BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
XVIII
H
33
NAPOLI

XVIII-H-33.

Digitized by Google

XVIII
H
31

DE
JURIS DIVINI
ET NATURALIS ORIGINE.

Digitized by Google

Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

Digitized by Google

DE

JURIS DIVINI

ET NATURALIS ORIGINE

CAROLI POLINI

S. MARTINI ABBATIS

LIBRI TRES.



BRIXIÆ. MDCCL.

Excudebat JACOBUS TURLINUS.

SUPERIORUM PERMISSU.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" - NAPOLI

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI
PETRO GRIMANO
AUGUSTOQUE VENETORUM
SENATUI

Obſequentiſſimus Servus ac Subditus
CAROLUS POLINUS S. MARTINI ABBAS
F.

ETSI *quidquid induſtriæ ac laboris in hac Hiſtorica diſſertatione a me poſitum eſt*, PRINCEPS SERENISSIME, PATRES CONSCRIPTI, *longe multoque ab ea dignitate abeſſe intelligo, quæ Auſpiciorum* VESTRORUM

Digitized by Google

MAJESTATEM *ſuſtinere poſſit, cum tamen in re graviſſima verſetur, ac* PATROCINIORUM VESTRORUM *apprime digna, integrum mihi audere arbitratus ſum, eaque deprecando obſervantiæ declarandæ voluntatem expromere diu pectore incluſam, & ægre moras paſſam hactenus atque ſilentium. Originem nempe Divini omnis & humani Juris perveſtigare aggreſſus ſum per ea, quæ Gentium ferme omnium ſunt monumentis tradita, nihil a me utilius fieri poſſe ratus hoc tempore, quam ſi præteritorum ſtudiorum fructus diligentiamque omnem ad ſumma utriuſque Juris capita illuſtranda conferrem ac vindicanda. Quamquam enim negotium hoc eruditionis ac doctrinæ copia jamdudum exornarint Viri clariſſimi, ad declarandam veritatem & confirmandam, cum tamen invaluiſſe nihiloſecius opinandi licentiam ſentirem, virium ipſe quoque mearum alia methodo ac via periculum facere decrevi, & quod in me erat proſpicere, ne progreſſa altius rationis ac Religionis obſequio abducat hominum mentes, ac fœda Jurium omnium*

per-

Digitized by Google

perturbatio & confuſio conſequatur. In quo duo mihi cum eſſent agenda, alterum ut Divini Juris ac naturalis principia bono in lumine collocarentur, alterum ut captioſis Philoſophorum argumentis, atque commentis occurrerem, qui aut novandi prurigine incitati, aut ingenii pravitate abrepti dum faſtidiunt omnia ac nauſeant, quæ novitatis fucis atque illecebris commendata minime ſunt, Religionis ac ſocietatis humanæ Jura in contemtionem ac diſcrimen adducunt, utrumque una opera exſequutus ſum; ac primo profecto, in quo plus ponderis ac momenti ineſſe exiſtimavi, alterum pro re nata ſum perſequutus, iis poſthabitis, quæ aut recocta & refutata jampridem obſoleverunt, aut exſecratione potius quam refutatione digna haberi debent ab iis, qui de hominum cogitatis non tam ex verborum leporibus & orationis concinnitate, quam ex veritatis candore decernere ſolent. Actum ne egerim, an vero adjumenti quidquam ad veritatem cognoſcendam tuendamque adtulerim aliorum erit judicium, Veſtri in primis PRINCEPS SERENISSIME,

PA-

PATRES AUGUSTI, *apud quos ſapientiæ ſtudia, Religionis ſanctitas, legum auctoritas nec impiorum unquam patuere conatibus, nec humanarum rerum viciſſitudines aliquando experta ſunt. In quo ſane efferunt ſeſe mirifice artes illæ, quibus* MAJORES VESTRI *admirabilem iſtam Ariſtocratiæ Molem erexerunt, perduxeruntque ad amplitudinem plane invidendam. Perviderunt quippe* VIRI *illi ſanctiſſimi in avitæ Religionis ſtudiis, legumque cuſtodia, quibus ſocietas hominum continetur, repoſita eſſe præſidia firmiſſima & publicæ & privatæ felicitatis. Itaque inter graviſſima negotia ac bellorum diſcrimina, quibus diutiſſime cum ſæviſſimis hoſtibus conflictati ſunt, nihil antiquius habuerunt quam ut eumdem ſemper Religio vultum, eamdemque leges retinerent auctoritatem. Quod ſane magnum adeo ac præclarum eſt, nihil ut eo ad ſummæ prudentiæ laudem, animique declarandam excellentiam cogitari poſſit magnificentius. Hoc enim non ſervata ſemel, vel aucta Reſpublica, quod plerumque fit bellorum periculis, ſed bene conſtituta & confir-*

mata,

Digitized by Google

mata, omninoque formata ad conſtantem gloriam minimeque interituram. Quamobrem tametſi bellicam rem minus tractaſſent ſtrenue, quam ii tractare debuerunt, qui rebus fortiter Terra Marique geſtis florentiſſimi IMPERII *jura impoſuere efferis Gentibus, ac longiſſime diſſitis regionibus intulere, nihil eis defuiſſet tamen ad celebritatem nominis ac decus perfectæ virtutis. Neque enim tantam ac tam eximiam hæreditatem ad* VOS *una cum Imperio tranſmittere potuiſſent, niſi magnas virtutis opes complexi eſſent animo, neque* VOBIS *illius ſplendorem integrum tueri licuiſſet incorruptumque, niſi imitatione factorum perfeciſſetis, ut cum ejuſdem generis dignitate eamdem & virtutis pulchritudinem, & conſiliorum gravitatem in* VOBIS *mortales cuncti admirarentur. Sed enim vero hæc in* VOBIS *non ſine ingenti animi exſultatione colunt, qui* POTESTATI VESTRÆ *ſubjecti ſunt. Non eis metuenda acerbiſſima illa de Religione diſſidia, quæ opulentiſſimis Regnis clades teterrimas adtulerunt; neque advigilandum, ne perditorum quorumdam*

homi-

hominum fraudibus obnoxii ſint , qui opiniones falſas & impias vel Religionis obtentu imperitis obtrudunt. Nulla ipſis ex eorum ſcelere calamitas admodum pertimeſcenda , qui Divina omnia & humana ſollicitare & commovere haudquaquam verentur , ut ambitioni , aliiſque pravis cupiditatibus ſubſidia & irritamenta ſuppeditent. Non vota iiſdem facienda , ut probis AUCTORITAS VESTRA *præſidio ſit , improbos vero pœnarum ſeveritate coerceat : Omnia namque ipſis ut ſecura & tranquilla eſſent curis conſiliiſque* VESTRIS *perfectum eſt , quibus & nativus Religioni nitor , & ſuum perſtat legibus pondus , & jura cuique ſua ita deſcripta & conſtituta ſunt , ut nemini migrare propria & aliena invadere impune liceat , omninoque* REIPUBLICÆ *ac privatorum bono ita proſpectum eſt , ut illius adminiſtratio ſit cum iſtorum commodis utilitatibuſque conjuncta. Quare ita vitam tranſigunt , ut dum in* VESTRA POTESTATE REGNI MAJESTATEM *verentur ,* PATERNAM *etiam beneficentiam colant , in qua tuti lætique conquieſcunt. Equidem*

cum

Digitized by Google

cum hæc mecum ipſe reputo virtutis ſpeciem menti obverſantem intueor, cujus amplitudinem & magnificentiam ſuſpicere cuique in proclivi eſt, aſſequi vero & corde complecti nequicquam nititur, qui magno excelſoque animo haudquaquam ſit, atque ad optima quæque & ardua capeſſenda virtutis ipſius diſciplina ſubacto. Non ejus inſtituam hic partes recenſere ſingulas, neque committam, ut quis exiſtimet me ejuſdem magnitudinem anguſtis Epiſtolæ finibus concludere voluiſſe; ſed in CLEMENTIÆ *incredibilis* VESTRÆ *cogitatione defixus, obſecro* VOS *obteſtorque, ut auſus hoſce meos æqui bonique conſulatis. Quod enim oculis* VESTRIS *a me ſiſtitur opus, non modo ob argumenti gravitatem, ſed ob felicitatem etiam temporum, quibus ſuſceptum & abſolutum eſt, favoris & gratiæ* VESTRÆ *flagitat* AUCTORITATEM; *otii enim illius fetus eſt, quod proximis ſuperioribus annis, dum Europa atroci ac diuturno bello conflagraret, exercituumque pondere oppreſſa Italia fere univerſa eorumdem redundaret ſanguine, nobis curæ*

&

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

HOmines a Deo primum, deinde ab Angelis ſanctis edoctos fuiſſe oſtenditur; idque apud Gentes continuata traditione pervulgatum. Pag. 121.

CAPUT II.

De præſtantiſſima Dei Natura, & maxime de ejus omnipotenti voluntate, quæ in mundi creatione, & gubernatione potiſſimum oſtenditur. 146.

CAPUT III.

De Homine primo, primaque mundi ætate, ac Juris Divini, & Naturalis Origine. 161.

CAPUT IV.

De animorum humanorum immortalitate, de extremo Judicio, præmiis pœniſve in vita futura. 192.

CAPUT V.

De portentoſa totius Orbis inundatione, deque Noacho, unde nova humani generis procreatio. 213.

CAPUT VI.

De Mundi ætate. 224.

CAPUT VII.

Capita ſumma, & quidquid ad religionis ſubſtantiam ſpectat, non ab Hebræis in Gentes perveniſſe oſtenditur. 235.

CAPUT VIII.

Quomodo in Hominibus conſervatæ ſint notiones, de quibus ſupra dictum eſt, ſtudioſe inquiritur. 247.

IN-

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

DE vera Religione, ejuſque continuata ſucceſſione. Pag. 263.

CAPUT II.

De antiquiſſima Gentium Religione. 294.

CAPUT III.

De origine, & progreſſu Idololatriæ. 304.

CAPUT IV.

De cultu Heroibus vita functis, interdum etiam viventibus a Gentibus præſtito, in quo tetrior Idololatriæ facies exhibetur, attamen in hiſce quoque denſioribus Idololatriæ tenebris capita ſumma aperte elucent. 325.

CAPUT V.

Deteguntur Dæmonis artes, quibus ad corrumpendam Religionem, depravandoſque Hominum mores uſus eſt. 349.

CAPUT VI.

Excutiuntur quorundam Philoſophorum rationes, Divinam Providentiam negantium, aut calumniantium. 368.

CAPUT VII.

Ad examen revocantur, ac refelluntur aliquorum rationes, quibus Religionem Reipublicæ cauſſa a Sapientibus invectam fuiſſe, pertinaciter contendunt. 392.

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la ſede di reviſione, ed approvazione del P. F. Lorenzo Filippi Inquiſitor del S. Officio di Padova nel Libro intitolato *De Juris Divini & Naturalis Origine Caroli Polini S. Martini Abbatis Libri Tres*, non v' eſſer coſ' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario Noſtro niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo licenza a Jacopo Turlini Stampatore in Breſcia, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 15. Febbrajo 1748.

(GIO: EMO PROC. RIF.
(BARBON MOROSINI CAV. PROC. RIF.
(

Regiſtrato in Libro a Carte 42. al num. 359.

Michiel Angelo Marino Segret.

DE

Digitized by Google



DE JURIS DIVINI, ET NATURALIS ORIGINE
LIBRI PRIMI.
CAPUT I.

De cauſſis, quibus hujus Operis Auctor adductus eſt, ut in hoc Opere verſaretur.

QUUM autumnalis ruſticationis tempore Calviſanum, Brixiani agri Caſtellum, me contuliſſem, V. Cl. Anſaldum tunc inibi degentem inveni; & cum ſæpe una eſſemus, variaque pro re nata haberentur colloquia, in eum aliquando ſermonem incidimus, quo graviter queſti ſumus, unde contingat, homines bene multos, nec rudes, nec imperitos.

Digitized by Google

ſed ad multiplicem eruditionem exultos, de ſocietatis humanæ vi ac jure ancipites eſſe: nutare ſæpe in agnoſcendis officiorum principiis, præceptiſque: prima ſumma legum capita, non ab æterna Dei O. M. voluntate, ſed a callido vafroque quorundam prudentum ingenio repetere. Propterea commemoratæ a nobis ſunt præſtantiorum Philoſophorum invicem pugnantium ſententiæ, quorum alii reprobantes alios, nihil certi de legum fontibus atque origine docent. Porro ex eorum altercationibus factum eſt, ut hujus etiam ævi plurimi anſam ſibi ſumſerint dicendi: de his rebus liquere nihil, cuncta opinionibus conſtare, nullumque locum veritati patere. Ad indaganda itaque celſiſſima principia, unde ſecundaria ex illis orta ſunt, a quibus pendet univerſa vitæ degendæ rerumque gerendarum doctrina, convertimus ſermonem. Animadvertimus primum Philoſophos Ethnicorum deficere multis in hac diſquiſitione; idque propterea eſſe, quod, ſi de veteribus loquamur, careant illa conſtructione doctrinæ, quam ſyſtema vocant. Non eſſe ſatis, præclare dixiſſe de moribus quibuſdam, cauſſas quoque aliquas illorum probabiles attuliſſe: manare latius vitæ moralis diſciplinam: hanc partibus quidem ſtare ſuis, ſed complexione tota corruere, niſi fundamenta jacias, quibus æque nitatur, undecumque illam ſpectes. Statuerunt quippe Ethnicorum Philoſophorum plurimi dogmata multa honeſta, & laudanda tradiderunt, at mira varietate diſtractos de juris origine, ac de finibus pugnantia dixiſſe, quorum comprehenſione illorum mens nequit partes omnes devincire; neque diſſoluta & divulſa membra apte conglutinare, ut quælibet objecta in punctum veluti unum deſinant, a quo ad ambitum æquales lineæ ducantur. Quotus autem quiſque antiquorum Philoſophorum eſt, qui hæc univerſa præſtiterit, momenta cujuſque

juſque veritatis ponderibus ſuis examinet, adverſaria evertat, conſectaria quælibet eliciat, verbo dicam, oſtendat, nihil aſſentari ſibi vel in præteritis relinquere? Præterea tantum abeſt, ut principia firmitatis nacta ſit recens quoque Philoſophia, ut in deliciis habeant eruditi complures ſæculi hujus Philoſophiæ viribus extenuare quæcumque ſcita & juſſa de legum origine hactenus prodierunt.

Philoſophorum itaque placitis ſublatis, aliorum mentio facta eſt, qui dum de celſiſſimis principiis, juriſque origine ad Sacras Scripturas ſe recipiunt, ſatis conſultum eſſe putant, deque impiorum cauſſa conclamatum. Quum autem impii Scripturis ſanctis fidem negent, hoc pacto non dirimitur quæſtio. Etenim tametſi ii, qui divinis Scripturis plenam fidem habent, nec fallere alios, neque falli poſſint; ſi de altiſſimis principiis congrediamur cum infideli homine, offendunt in eo, quod hoſtibus Divinitatis nihil incommodi ferant; propterea mente retinemus Divinam, qua pollent ſacræ litteræ, auctoritatem, ab adverſariis interea eam extorquere ſuperſedemus, donec irrefragabilibus omnium nationum monumentis celſiſſima principia, unde ſecundaria ſponte fluunt, & a quibus vitæ gerendæ doctrina pendet, totius orbis conſenſione ſacrata, non a ſolo ſacrarum litterarum teſtimonio, verum etiam a primigenia Traditione, apud omnes gentes pervulgata, pendere. Hujuſce Traditionis indolem altius excutienti liquido patebit, in ea mire concinere partes omnes, quas hucuſque ad ſtabilienda Divini Naturaliſque Juris principia quæſivimus; præterea manifeſtum eſt, Traditionem hanc vires addere Philoſophorum argumentis, ut ex probabilibus evadant certa; neque fulciantur principiis precariis imbecillium diſputationum noſtrarum, ſed luminis Divini, veluti ſydere, illuſtrentur, Traditione videlicet primigenia, quæ

Digitized by Google

altum perpetuo teneat, ſæculorumque omnium ſuffragio; quaſi aquarum mole feratur. Utpote quæ habenda ſit inter ſubſidia humanæ naturæ, ab optimo Conditore tradita homini primo, a quo filiis & nepotibus accurato magiſterio oralis Traditionis commendata, poſteri omnes, non diſquiſitione, ſed narratione majorum illam traduxerunt; delendam numquam, neque mutandam. Inani quidem ſapientiæ jactantia, vaniſque hominum commentis, meditationes meditationibus cumulando, primigenia Traditio deformata fuit; Et quo magis Philoſophi a ſimplici Traditione receſſerunt, eo magis in abſona & devia abierunt, ut merito Vellejus apud Tullium, lib. primo de Nat. Deor., eorum effata vocaverit „ miracula & portenta Phi„ loſophorum, non diſſerentium, ſed ſomniantium. Admiſſis autem principiis conſenſione totius orbis ſacratis, deſinet Philoſophus fluctuare de hominum officiis, de animorum noſtrorum vita ſempiterna, deque futuro extremo judicio; etenim ſi perſpexerit, Traditionis oraculo, capita ſumma, & celſiſſima principia ab ipſius mundi incunabulis ad hæc uſque tempora apud omnes Gentes deſcendiſſe, quod eſt peremtorium argumentum, non erit cur difficilem arguat earum rerum intelligentiam, quæ ab illis principiis ſponte hauriuntur; immo in hac primigenia Traditione compertum habebit, momenta eſſe maxima ad pie juſteque vivendum; ſed & per iſtam, extra naturæ cancellos minime egreſſus, videbit rationem connexionis, quæ inter humana & divina intercedit: & filo veluti ductus Traditionis exitum reperiet intricatiſſimi labyrinthi illius, quem tot mortalium de jure primo dicundo ſententiæ innumeris ambagibus intercluſerunt. Propugnator quoque religionis nullo negotio conficiet, unius Dei cultum, animorum immortalitatem, præmia, aut ſupplicia in vita futura;

tura; quum compertum erit, hæc omnia ab omnium Gentium firmiſſima perſuaſione pendere; ut autem hoc ſyſtema firmari poſſit, evolvenda ſunt ſæcula fere ſingula, quæ Moſen præceſſerunt, & conſecuta ſunt.

Atque hi fere ſermones fuerunt, quos invicem contſervimus, & diſputavimus una, ut Anſaldus ipſe in exordio ſui operis fatetur. Quum autem familiares curæ me in Urbem revocaſſent; ille labori minime pepercit, atque in id incubuit, ut conficeret opus, hoc ævo maxime neceſſarium, ad evertendam pravorum hominum impietatem; utque a Scepticis, quorum numerus late propagatur, ſtirpitus evellantur fibræ omnes dubitationis, quas in animis imbecillium ſpecioſa atque exquiſite diſpoſita impiorum argumenta defixerunt. Suum opus ſcriptis mandavit Anſaldus, publicique juris factum, eruditorum judicia ſubiit. Utrum nec ne feliciter ſuſceptum munus impleverit, aliorum judicium eſto. Porro qui Italas, Tranſalpinaſque Ephemerides componunt, vim quidem ſyſtematis hujus ultro faſſi ſunt, ad averruncandam impietatem aptiſſimi; attamen animadvertunt, Anſaldi opus deficere in multis, maximeque neceſſariis, ut veritas & duratio aſſertæ Traditionis ſolide firmetur. Illorum itaque ſententias, qui ejuſdem operis medullam critico examine ſcrutati ſunt, ſtrictim referam. Doctiſſimus Auctor Ephemeridum Florentinarum de hoc opere ſic (a) loquitur: Pulchrum monitum, laudeque dignum; at in eo difficultas omnis ſita eſt, quemadmodum poſſit hujus Traditionis veritas probari, adverſantibus Atheis, Spinoſa, ejuſque ſectatoribus. Numquid Traditionem hanc tamquam veram recipient hi? An eo probationum genere opus erit, quibus ad tam æquum, tamque rationi conſonum principium admittendum compellantur?

(a) *Anno 1742. Men. Auguſti. Et Anno 1742. Men. Janu.*

lantur? Numquid facile erit refractaria eorum ingenia levibus quibuſdam adductis veſtigiis primævæ Traditionis, vel inter idololatriæ tenebras apparentibus, in ſententiam pertrahere? Quis Moyſi de Adamiticis & Antediluvianis temporibus loquenti credat, quum fides eorum, quæ narrantur, tantummodo ſit penes Auctorem? Quis denique Hebræis aſſentiatur, aſſerentibus ſe certa hujuſce Traditionis monumenta tenere; quando natio illa cæterarum Gentium fabula & ludibrium fuit? Non itaque promta adeo expeditaque res eſt, ut de hac Traditione affirmari quicquam poſſit, quamquam ſtudio dignum & eruditorum negotium iſtud videatur. Atque his plane conſona ſunt, quæ Batavi, eruditiſſimi Ephemeridum Auctores, exacte perpenſis iis, quæ ab Anſaldo edita erant, protulerunt. Fuſius tamen rem (a) tractant. De humani quippe intellectus acie, ac vi differentes, illam deprimunt, floccique faciunt. Propoſitæ autem Traditionis veritatem, & durationem probationibus carere putant. Ad illam ſtabiliendam opus eſſe, ajunt, per omnes nationes diſcurrere, illarum Traditiones, hiſtorias, mores, doctrinamque ſedulo rimari, ac diligentiſſime inveſtigare, an de hac re veſtigia haud obſcura appareant, ut ab objectis vindicata hujuſce Traditionis veritas ſatis pateat: denique ſubdunt, negotium iſtud inter audacia facinora reponendum, quum nullus mortalium illud attentare auſus ſit. In actis vero Eruditorum Lipſiæ de hoc opere inter cætera ſic (b) legitur: Cl. Auctor, Traditionem juris Naturæ principium conſtituendo, hypotheſibus Eccleſiæ ſuæ aliquid dediſſe videtur, quæ, quod abunde conſtat, in doctrina religionis revelatæ multum huic concedit. Sed per Traditionem quid intel-

(a) *Tom.* 13. *art.* 10. *anno* 1742.
(b) *Acta Erud. anno* 1745. *Menſ. Octob.*

Digitized by Google

intellectum velit, non definite exponit, modo illam de doctrina morali, in ſacris litteris contenta, modo de ſententiis moralibus, inde a primis mortalibus, per reliquas orbis Gentes propagine quadam ſparſis, & jugiter conſervatis accipiens.

Perpenſis a Claro Anſaldo oppoſitis momentis, quæ ab eruditis Ephemeridum auctoribus edita fuerunt, in commentario adverſus Clericum (a) ſuum ſyſtema confirmare ſtuduit, & ſcripſit his verbis: Non arbitror hic profecto Viros Clariſſimos a me poſtulare voluiſſe, ut Græcorum Latinorumque in medium producerem teſtimonia, quibus illa de re certiores evaderemus; qui nempe Philoſophum non effingere; ſed cum eo me diſputare, ſecundum ſpectatas & cognitas Eruditorum lucubrationes profeſſus eram; neque enim ætate noſtra Grotii, Voſſii, Seldeni, Spenceri, Bocharti, Marchatui, Huetii, Blanchini, ſexcentumque labores Germanorum, quorum eſt innumerabilia ac infinita congerere, congeſtiſque iterum iterumque adjicere, non admodum etiam doctis ignotos arbitrari ſinit aliqualis ſæculi felicitas. Eorum quidem ſyſtematibus hærendum penitus non duxi; neque in eorum ſententia unquam fui, qui Gentiles omnia ab Hebræis mutuatos eſſe voluerunt; ex iiſdem tamen, exque vulgatiſſimis, qui reliqui adhuc ſunt Ethnicorum libri, ſat conſtare certo credidi, eos nobiſcum in exiſtentia principiorum illorum adferenda conveniſſe nempe in populorum Hiſtoriis fabuliſque ipſis, quæ vel antiquitate diverſitateque ſua nobis prima fronte minus videntur intereſſe, nexus adeſt rerum tamen maximarum; ſcilicet idonea conſenſio de originibus nationum, deque everſis per eluvionem terris, de humano genere varias in regiones diſtracto, de inſtitutione ſocietatum; quare

(a) *Pag.* 80. *uſque* 120.

re aures voci Moyſis claudentes, Populorum omnium clamori eas reſerare coacti eſſe videantur. Unus Pfannerus in ſyſtemate Theologiæ Gentilis purioris, qua quam proprie ad veram religionem Gentiles acceſſerint, per cuncta fere ejus capita ex ipſis præcipue illorum ſcriptis oſtenditur, tot ac tanta contexuit, tantamque congeſſit meſſem, ut nullam ſpicam viſus ſit cæteris reliquiſſe colligendam. Baldaſſar Beckerus, qui de Græcorum veterum atque Latinorum relate ad Dæmonas doctrina fuſe ſcripſit, relatis perpenſiſque mortalium omnium, quotquot recenſeri potuerunt, de religione opinionibus, in eo conveniſſe convenireque adhuc Populos omnino omnes apertiſſime evincit. Numen ut crediderint credantque adhuc providentia donatum; ſpiritus, ut ita loquar, ſive Genios quoque exſiſtere, bonos quidem alios, alios vero malos; haud mori animas cum corporibus; ſupplicia impiis, præmium altera in vita ſupereſſe; hiſque in principiis Barbaras politioribus cum Gentibus, cum integris corruptas, antiquiſſimis cum populis inferioris ævi homines præſenteſque convenire (Vid. Biblioth. Univerſ. Tom. XXI. pag. 126). Argumentum hoc exhauſit tamen, aut certe fallimur, Edoardus Herbertus de Cherburii in libro de religione Gentilium, ubi, cap. xv. de cauſſis agens primordiiſque cultus vetuſtiſſimi, eos veritatem eximiam veriſimilibus, poſſibilibus, & falſis quidem temeraſſe fatetur opinionibus, atque fere depreſſiſſe; perindeque feciſſe ac qui Ædificium in ſe ipſo ſolidum, ex recti pondere propemodum obruerunt; nihilo tamen minus ſumma apud eoſdem ſtetiſſe capita: Eſſe Deum ſummum: coli debere: virtutem eſſe præcipuam cultus divini partem: reſipiſcendum eſſe a peccatis: dari denique præmium ac pœnam, tum in hac vita, tum poſt hanc vitam; quorum, inquit, fides ſtetit in æternumque ſtabit. Quantumvis enim ſupra eorum baſim

baſim ſexcenti errores accumulentur: ex quinque tamen hiſce columnis inter ſe nexis, ita fulcitur cultus divini ratio, ut moles quæcumque (uti in fornicato opere videre eſt) hiſce ſuperpoſita, haud labefactari, vel loco moveri poſſit Ædificium. Hæc igitur providentiæ divinæ univerſalis caſtæque religionis ſunt fundamenta illa, quæ nullo defuere, vel deeſſe poſſunt ſæculo, vel regioni, unde etiam ea omnia, quæ ſub verborum involucris, fabularum myſteriis, revelationum figmentis, ſomniorum interpretationibus, rituumque ambagibus promulgabant olim ſacerdotes, & in faciles declivi Populi animos inducebant. Hactenus coacervata ex Anſaldi diligentia quæ quidem laudabilia ſunt, & vera. Quum autem, ad evertendam impietatem, non ſit ſatis vera loqui, ſed ſit neceſſe veſtigiis omnium Gentium haud obſcuris haſce veritates demonſtrare, quæ factum poſtulant; propterea ſervata veræ amicitiæ, & probitatis lege, qua, non obtrectandi conſilio, ſed ſtudio indagandæ veritatis, licet omnibus uti; ad examen revocanda ſunt ea, quæ in ſuo commentario congeſſit Anſaldus; & exacte diſquirendum eſt, an nodos omnes impiorum hac via idem Auctor reſciderit.

Porro præcipua impiorum dogmata ſunt: Deum negare, aut ejus Naturæ attributa minuere: Divinam providentiam negare: Animas humanas mortales dicere, aut ſaltem in dubium vocare: Spirituum, ſeu Angelorum bonorum & malorum exſiſtentiam impugnare: Vaticinia itemque miracula proſcribere: Scripturæ ſacræ auctoritatem ludibrio habere: Religionem callidorum hominum verſutia in orbe fuiſſe invectam; eamque immediata aut mediata cum Hebræis conſuetudine Gentes reliquas didiciſſe; neque deſunt impii homines, qui Moſen ipſum impoſturæ per turpiſſimam calumniam redarguentes, ab ipſo Moſe ob

Digitized by Google

politicas rationes religionem fuiſſe inſtitutam ; hinc nullas eſſe a Deo, ſive a natura regulas morum conſtitutas; propterea nihil ſanctum, nihil natura ſua eſſe juſtum. Profecto ſi de his congrediamur cum impiis, intra naturæ fines cohiberi debet diſputatio noſtra, quæ hauriri opus eſt ex Hiſtoria ratiocinata, ne adhæreſcat tantummodo ſcopulis imbecillium diſputationum, quæ vitio non uno premuntur; potiſſimum ubi ea involvantur, quæ a ſenſibus noſtris longiſſime diſtant. Servata igitur, ut dicebam, amicitiæ & ſocietatis lege, qua non obtrectandi conſilio, ſed ſtudio indagandæ veritatis, omnibus uti licet, propius accedendo, ad trutinam revocabimus Anſaldi reſponſa ad ea, quæ Ephemeridum Auctores poſtulaverunt, ut propoſitum Traditionis ſyſtema ſolide firmari poſſit. In Commentario (*a*) itaque adverſus Clericum, jam memorato, inquit Anſaldus: „ Non arbitror hic profe-„ cto Viros Clariſſimos a me poſtulare voluiſſe, ut Græco-„ rum Latinorumque in medium producerem teſtimonia. Porro non eſt hoc ſolum, quod Batavi poſtulant loco citato; verum, ad illud firmandum opus eſſe, ajunt, per omnes nationes diſcurrere, Traditiones earum, Hiſtorias, mores, ac doctrinam ſedulo rimari, ut videri poſſit, in quibus revera omnes nationes conſentiant. Demum ſubdunt negotium iſtud inter audacia facinora reponendum, quum nullus mortalium illud attentare auſus fuerit. Plurimi quidem Chriſtiani nominis Viri, quod de facili præſtari potuit, Græcorum Latinorumque Hiſtorias, mores, doctrinamque inveſtigaverunt; quæ etiam in unum congeſta ſcriptis mandarunt; propterea nonnulli eorum crediderunt, & ſcripſerunt, omnes Gentes in iiſdem principiis convenire ; quæ quidem conſecutio recta ratione hauriri nequaquam potuit; Hiſtoria enim Univerſalis, in qua exhiberi poſſit totius humani

(a) *Pag.* 94.

humani generis proſpectus, componi debet ex ſingularibus omnium Gentium monumentis; illudque eſt quod rite poſtulant Eruditi Batavorum, eſſe faciendum: quodque nemo hactenus, quod ego ſciam, præſtitit. Neque Pfannerus, celebris Auctor, hoc egit de quo ſcribit Anſaldus „ tantam congeſſiſſe meſſem, ut nullam ſpicam vi- „ ſus ſit cæteris reliquiſſe. Ille enim, de quo in hoc meo opere pluribus in locis erit ſermo, extra terminos noſtri Hemiſpherii vix egreſſus, puriorem Ethnicorum Philoſophiam ſpectandam exhibuit; neque ea mente, qua putat Anſaldus, id præſtitit, ſcilicet re de qua agitur: propterea ſpicas uberrime colligendas reliquit. Pace autem Anſaldi admonere licet, non ſatis eſſe referre, ad ſuum ſyſtema firmandum, Chriſtiani nominis Clariſſimorum Virorum tumultuario quodam modo ſententias; dum enim agitur de novo ſyſtemate condendo, neceſſe eſt in eodem contextu addere expreſſe monumenta, quæ factum poſtulant, ſed & ſcriptores, & loca, a quibus excerpta ſunt, unde comprobari poſſit a quolibet aſſertionis veritas, quæ fere omnia in ea parte Commentarii deſiderantur. Uſus iſte in omnibus Eruditorum operibus ſervatur; immo Anſaldus ipſe in aliis ſuis lucubrationibus hac lege uſus eſt. Verum etiam præterire non poſſum, quod certe idem Auctor in ſuo Commentario facere debebat, veritatem ſcilicet, & durationem propoſitæ traditionis Ethnicorum, ſaltem Græcorum & Latinorum monumentis oſtendere, ut corrigeret ea, quæ ex adverſo, haud ſibi conſtans, in libro de traditione ſcripſerat, ubi ſic (*a*) legitur: „ Aſt ut „ exiguo inviſoque in populo (hoc eſt Hebræorum) ſe „ vetus hæc demum recepit traditio, Græcorum ſapientes, „ qui de illa ne fando quidem audierunt, magnum illud

 „ perten-

(a) *Lib. I. n. 7. de tradit.*

„ pertentare auſi æquor, eſſentiamque ſupremi Numinis „ infinitam imbecilli humanæ mentis virtute rimari poſſe „ arbitrati. Idem alibi in ſuo opere inculcat, ex quo propoſitæ traditionis ſyſtema evertitur, quod conſenſione omnium Gentium firmandum eſt; quum præcipua hujuſce ſyſtematis vis ex hac ipſa conſenſione hauriatur. Præterea dum vetus aſſerta traditio in ſolo populo Hebræo ſe demum recepiſſet, hujuſce veritatis teſtimonium a ſolis Hebræis penderet; quæ gens Ethnicis & impiis inviſa ſemper fuit; hinc fidem quoque negant ſacris Hebræorum ſcripturis. Alia quæſtio ab Eruditis, noſtri quoque ævi, acerrime agitatur, aſſerentibus aliis capita ſumma ab Hebræis Gentes didiciſſe, negantibus aliis, hinc inde variis rationibus ac monumentis in medium productis. Porro ſi affirmativa ſententia vera eſſet, aſſertæ primigeniæ traditionis veritas Gentium teſtimonio probari nequaquam poſſet; ex quo ſponte fluit conſecutio, quod ſcilicet omnium Gentium conſenſus nullam omnino vim haberet, ad ſolide firmandum propoſitæ Traditionis ſyſtema; propterea laborandum erat in eruenda veritate, ſolvendo oppoſita adverſariorum argumenta; hinc nemo non videt haud fuiſſe ſatis dicere, ut (a) Anſaldus inquit: „ Neque in eorum ſententia unquam fui, qui Gentiles omnia ab Hebræis mutuatos eſſe voluerunt; nullam penitus addendo rationem, qua ſua ſententia fulciri poſſit. Sed vindicanda quoque erat impiorum calumnia, dicentium, ob cauſſas politicas callidorum hominum verſutia, inter quos Moſen ipſum recenſent, religionem in Orbem fuiſſe invectam. Hoc eſt maximum impiorum momentum, quod ni radicitus evellatur ab animis impiorum, falſumque omnino oſtendatur, religionis cauſſa caderet; agit enim hæc vetus calumnia

(a) *In Comment. pag.* 95.

nia, ab impiis ſuccedentibus temporibus renovata, radices in mentibus impiorum, alteque inhæret magis, quam quod a natura anticipatum erat & informatum. Anſaldus autem ad hoc oppoſitum momentum, quod eſt præcipuum in ſyſtemate impietatis, nihil fere reſpondit. „ Eam, in„ quit (a), poſteriorum temporum religionem artis ac po„ liticæ potius effectum fuiſſe, quam pietatis, eo ſcilicet „ ut conſilio vulgares homines in officio detinerentur, ad„ notum cuique eſt; aſt tamen probe ac diligenter perſpi„ cienti ſatis illud idem oſtendit vidiſſe compertiſſime ho„ mines, abſque umbra ſaltem religionis humanam non „ poſſe conſiſtere ſocietatem. At impii non calumniantur tantummodo poſteriorum temporum religionem, ſed omnem de medio tollere conantur; pertinaciterque contendunt, & aſſerunt: omnem religionem ob politicas cauſſas callidorum hominum verſutia in Orbem fuiſſe invectam. Hoc autem fatendum eſt, quod ſi ab Anſaldo, Viro doctiſſimo, ampliſſimum Traditionis ſyſtema primis curis ſolide firmari haud potuit, Clariſſimo Auctori non poteſt tribui defectus; tunc enim exiguo in Caſtello degens, nimium tenui librorum ſuppellectili laborabat; propterea ex hoc ipſo, quod præclarum in eodem Traditionis opere videtur, eximia ſuæ mentis acies evidentius oſtenditur. Neque in memorato Commentario de futuro ſæculo adverſus Clericum mens fuit Anſaldi, addere quæ deeſſent operi Traditionis, ut undequaque fultum munitumque a nemine quiret convelli, ſed aliud agendo, nonnulla ſcripſit in Commentario de Traditionis ſyſtemate, ut mentem ſuam candide exhiberet; & magis definite traderet, quid intellectum per hanc Traditionem velit. Neque mirum videbitur, Anſaldum ad maturitatem inceptum opus non perduxiſſe;

(a) *Lib. 3. n. 15. de Tradit.*

Digitized by Google

duxiſſe ; quum in Cœnobio ſuo Profeſſor in docendo ſui Ordinis diſcipulos toto pectore incumbat, aliiſque libris componendis, exquiſita eruditione refertis, indeſinenter vacet; propterea ſtudia ab eo inſtituta aliud agere non patiantur.

Porro, in repetito hujuſce rei examine, dilucide comperi, addenda eſſe ea omnia, quæ ab acutiſſimis Viris Ephemeridum Auctoribus poſtulantur; verum & alia plura, ne ulla ex parte primigeniæ Traditionis ſyſtema nutare videatur. Operæ itaque prætium me facturum putavi ſi nova prorſus methodo ac via, de monumentis mea præcipua cura induſtriaque congeſtis; inter quæ nonnulla, quæ potiora mihi viſa ſunt, ex lucubrationibus variis Anſaldi excerpta videbuntur, volumen conficerem, ab eo quod de Traditione Anſaldus compoſuerat, ſejunctum, in quo aſſertæ Traditionis tum neceſſitas, tum veritas, tum duratio comprobetur. Atque hæ cauſſæ fuere, quæ me ad ſcribendum impulerunt. Quod autem ad neceſſitatem hujuſce primigeniæ Traditionis attinet, paucis me expediam, quum fere nemo Eruditorum noſtri ævi eam inficietur; irrefragabili enim experientia magiſtra ſapientiores agnoverunt, quam acies humani intellectus imbecillis ſit, in diſquiſitione altiſſimarum rerum, quæ omnino ſupra ſenſus ſunt; & maxime dum agitur de ineffabilibus Divinæ Naturæ attributis. Propterea de ortu, & conſervatione primigeniæ Traditionis fuſius agam, unde Divinum & Naturale jus ortum duxit. Ut autem propoſitum ſyſtema ſolide firmetur, de re, de qua agitur, in medium proferam firmam conſtantemque cunctarum nationum perſuaſionem, quam omnes Gentes de altiſſimis ſummiſque capitibus tenent; unde jus Divinum, & Naturale ſponte fluxit. De Ethnicorum autem Theologia ea mente loquar, ut ea purior

rior dignoſcatur, quæ a primæva Traditione hauſta fuit, quæque ab illa non receſſit. Maxima igitur hujus ſyſtematis difficultas in eo videtur (quod certe ſpiſſum ac ſalebroſum eſt) ut oſtendatur non obſcuris monumentis omnium nationum, in omnibus indeſinenter firmam fuiſſe perſuaſionem, unum ſummum eſſe Deum, mundi opificem, nutu ſuo cuncta regentem, omnium bonorum liberalem datorem, æque ac juſtum ultorem adverſus ſceleſtos & impios, præcipue in vita futura; hinc apud omnes populos eſſe firmam perſuaſionem de animorum humanorum immortalitate, de extremo judicio, de præmiis pœniſque in futuro ſæculo; ex quibus omnibus Divini cultus ratio evincitur; & hominum officia conſtituta cernuntur, ad pie juſteque vivendum. Propterea tot elapſa ſæcula percurrenda ſunt, totuſque terrarum Orbis diſcurrendus, ſcrutandumque quicquid ad rem conferat, ut quod commune, apud omnes nationes, in unum coacervatum proferatur. Ex ſingularibus quippe Gentium hiſtoriis, traditionibus, aliiſque certis monumentis Univerſalis Hiſtoria, quæ verum totius humani generis proſpectum exhibet, rite conſarcinatur; quod optimum (*a*) Polybio, quamquam impietate polluto, viſum eſt. Baſis igitur hujus ſtructuræ erit ſacra, ac profana Gentium Hiſtoria. Moſes antiquiſſimus ſcriptor, Hiſtoriam in ſuis annalibus generis humani ab Orbe condito tradit; antiquorum Patriarcharum Deum colendi ritum, morumque diſciplinam; quæ omnia a Deo tradita fuerant homini primo, poſteris omnibus propaganda Traditione majorum, ne quærendæ & exſpectandæ eſſent ſemper novæ & peculiares Traditiones, ad rerum initia dignoſcenda, & ad hominum officia conſtituenda; idcirco in Moſis annalibus graphice antiquiſſimorum Patriarcharum Tra-

(a) *Lib.* 2.

Digitized by Google

Traditiones deſcriptæ ſunt: ſcilicet de Deo, Univerſi conditore, ac moderatore; de norma vitæ priorum hominum in actionibus regendis, ex quibus præſtantiſſima humanæ ſocietatis forma cum ſacræ tum civilis elucet; quæque fuerit antiquarum ætatum facies. Vitia quoque & lapſus ſummorum Virorum deſcribuntur; item magnorum Virorum conſtans pietas ac juſtitia innoteſcit; ſed & quam admiranda Dei providentia juſta vitæ moralis diſciplina conſervata ſit, quæ durat adhuc, durabitque ad finem uſque ſæculorum. Profanorum autem Hiſtoricorum defectus quam plures enumerantur, quorum alii maxime utilia prætererunt; alii negligentius referunt ea, quæ prolixius enarrare debuiſſent, eaque potiſſimum, quæ ad totius humani generis utilitatem referuntur. Excerptis igitur a nobis ſelectiſque ab Ethnicorum Hiſtoricis & Philoſophis iis omnibus, quæ ad rem noſtram conferunt, ut facta collatione cum Moſis annalibus, horum veritas Ethnicorum teſtimonio comprobetur, & Moſis hiſtoria præſtantiſſima & ab omni corruptela immunis videatur. Animadvertendum autem eſt, nationis populique nomine me nihil aliud intelligere, quam potiſſimam, majoremque incolarum alicujus regionis, aut civitatis partem; non enim nationis, aut populi vocabulo appellantur, qui alicubi degentes patrias leges, probatoſque illius regionis mores ſpernunt, atque a reliqua multitudine diſſentiunt. Ubique enim phanatici, aliique effrænata libidine vitam agentes inveniuntur: cujuſmodi vero homines ad Reipublicæ partem revera haud pertinere notum eſt, quum eorum mores, ſive opiniones nullis patriis legibus, ſive inſtitutis, ſive probatis uſibus, communive ſententia approbentur. Præterquamquod, de impiis loquendo, ſive illorum ratio habeatur, qui olim inter Græcos, Romanoſque vixerunt: ſive

eorum

eorum, qui in Sinarum & Japponenſium Regnis, veteri memoria fuerunt & nunc quoque ſunt: ſive denique eorum, qui Spinoſæ ſcripta adamantes, impia dogmata profitentur; hi omnes aliique impietate polluti nunquam certe populum aliquem nationemque compoſuerunt; immo patriam religionem aut ſubdole ſimularunt, aut ſi palam impietatem aliqui potentiorum profeſſi ſunt, ita ut a populi multitudine & patria religione diſcrepare viderentur, abominio & execrationi apud cives fuerunt; quamquam admodum paucos impietatem præſetuliſſe litteris proditum ſit. Reliqui autem, teſte (a) Tullio „ Epicuri calliditatem imitantes, qui non magnopere de Diis immortalibus pugnabat, tantummodo eos negare non audebat, „ ne quid invidiæ, aut criminis ſubiret. Porro per Atheiſmum in propria & genuina ſignificatione accipimus vocem hanc, qua homo ſibi perſuadere nititur, non dari Deum. Solet autem ſubinde ambitus hujus vocis ad eos extendi, qui falſos & erroneos de Natura Dei conceptus fovent, ex quibus conſequitur, ut homo in practicum Atheiſmum, ſive in impietatem abeat. Si enim cuncta in eſſentiam divinam reducantur, ſive res omnes creatas in Deum mutes, in laxiori Atheiſmi ſignificatione accipitur. Inter Atheos hujuſce generis quoque numerantur ii, qui omnes contemnunt rejiciuntque religiones. Idem eſt & de Scepticiſmo dicendum; hic enim ſi univerſalis ſit, Numinis etiam exſiſtentiam in dubium vocat. Perinde vero tandem eſt, ſive Deum eſſe quis neget, ſive an exſiſtat dubitet. De Scepticiſmo autem particulari, ex quo impietas haud deduci poteſt, etſi is vitio non careat, aliter exiſtimandum. Atheiſmus igitur vel ſcepticus eſt, vel dogmaticus. Scepticus illorum eſt, qui nullius rei certam

(a) *Lib. 3. de N. D.*

Digitized by Google

ſe habere poſſe notitiam putant : dogmaticus illorum eſt, qui Atheiſtica Philoſophia nixi, opinantur, ex nihilo nihil poſſe fieri; propterea negant, Univerſum hoc ſpectabile a Deo fuiſſe creatum.

Porro rudis vector ſuper navem imponor, qui necdum ſcalmum in lacu rexi, tetri maris credor fragoribus. In immenſo enim pelago hujuſce ſyſtematis, evaneſcente ſacrarum Scripturarum litore, undique Pontus eſt. Verum ad ſuſceptum munus præſtandum, ſi minus ingenio potero, in ſubſidium mihi, Deo adjuvante, diligentiam vocabo. Quod ſi aliqua deerunt, quibus res omnino conficiatur, hoc ſaltem conſecutus ero, præmonſtratam aliis a me viam illuc perveniendi, quo maximi momenti negotium vocat, ut de hominum mentibus impietate funditus eradicata, & a Scepticis ſublatis fibris omnibus dubitationis, veræ religionis & primigeniæ Traditionis ope ſemina puræ moralis diſciplinæ inſerantur. Hactenus non modo conſilii mei ſummam expoſui, verum etiam totius operis argumentum; quamquam autem vitio non uno hoc idem opus premeretur, voluntatem meam certe nemo flagitare poterit. Profecto quodcumque vitioſum erit, mihi imputa, non hujuſce ſyſtematis firmitati. Veniam quoque mihi dabit Lector benevolus eadem aliquando in progreſſu operis repetenti; quum alium in finem afferantur quæ repetita videbuntur.

Verum antequam ultra procedam animadvertere placet, Philoſophos bene multos humanæ mentis aciem, ſupra quam a natura conceſſum eſt, extollere, nihil ut tam impervium, nihilque tam abſtruſum ſit, ad quod percipiendum ſuis ipſa viribus nequeat pervenire : alios ex adverſo de illius calamitate nimium conqueri; quod mentis acies erroribus obnoxia modo huc, modo illuc feratur; ſæ-

pe

pe improbans quod ante probaverat, ſæpe probans, quod prius improbaverat; hinc factum eſt, ut ab iis humana mens rationis ludibrium fuerit nuncupata. Alii autem meliores ratiocinatores medium tenentes fatentur (a) cum Plinio, quod quidem aſſequi omnia humanus animus nequeat, ad multa tamen cognoſcenda humanæ mentis aciem non eſſe obtuſam. Quorum ſententiam amplector; ſive quod attinet ad ea, quæ ſenſibus percipi poſſunt; ſive quod ſpectat ad ea, quæ rationis adminiculo eliciuntur ex illis, quæ per ſenſus exteriores ingreſſa ſunt in ſenſum interiorem. Propterea hoc tam æquo principio innixus ad propoſitum ſyſtema ſtabiliendum aptiſſimo, Hiſtoriam univerſalem, cujus cognitionem ſenſibus haurimus, cum ratiocinatione conjunctam, ſponte fluentem, tradere inſtitui; quum multo certior tutiorque modus iſte diſſerendi videatur, nihil aliud humana mente præſtante de ſuo, niſi conſectaria quædam, quæ cum factis ab univerſali hiſtoria memoratis evidentem neceſſitudinem habent. Hiſtoria autem illa a nobis propoſita, ſi teſtimonio totius orbis terraquei firmetur, quamquam aliis de cauſſis alia orbis pars ab alia diſcedat, aut alia aliam orbis partem ignoret; attamen id, in quod omnes conveniunt, ab omni calumnia vacabit; immo ex hoc ipſo irrefragabilis hiſtoriæ veritas oſtendetur. Neque vero quiſquam dictum illorum mihi objiciat aſſerentium, conſenſum majoris hominum partis probare nihil; propterea, inquiunt, ſi hoc ita eſſet, veræ religionis cauſſa caderet, quum idololatria longe lateque per orbem diffuſa majorem viventium numerum ſuis ritibus obſtrinxerit. Id enim nullius roboris eſt ad propoſitum ſyſtema infringendum, quod annititur non majoris numeri teſtimonio, ſed nationum omnium, quæ ex populo Dei, & ethnico componuntur.

C 2 Illos

(a) *In Proœm. lib. 7.*

Digitized by Google

Illos etiam, qui hoc opus noſtrum aliquando legent, monendos cenſeo, ut librum hunc, quantumvis plura complectentem, quorum alia ab aliis penitus ſejuncta & diſcreta videbuntur, totum tamen percurrere non dedignentur; cuncta enim in eum congeſta, tanquam plures lineæ ad unum punctum tendentes, eo diriguntur, ut primigeniæ Traditionis ſyſtema omni ex parte ſolide confirmetur. Inſuper benevolos Lectores rogo obteſtorque, ut dare velint tanquam primum & verum id, cujus origo non invenitur, niſi in ipſis mundi incunabulis, illudque etiam quod cunctis nationibus commune videbitur. Quod enim univerſis videtur, ut ex Ariſtotele (*a*) verum eſt. Unde (*b*) Seneca inquit: apud nos veritatis argumentum eſt, aliquid omnibus videri. Item (*c*) Cicero: Omnium conſenſus naturæ vox eſt. Similiter (*d*) Flavius: Veritatis judicium eſt, ſi de rebus iiſdem omnes eadem dicant, & ſcribant. Opinionum autem commenta delet dies. Quod ſi quis mihi tam æqua juſtaque poſtulanti renuat, nullus profecto erit cum eo diſſerendi modus. Quod profecto non faciat quicumque ratione vivit.

De

(a) *Lib.* 10. *Ethi.*
(b) *Epiſt.* 117.
(c) *Lib.* 1. *Tuſcul.*
(d) *Lib.* 1. *contra Apion.*

Digitized by Google

De Homine in ſtatu mere naturali.

CAPUT II.

DE primævæ Traditionis veritate atque conſtantia dicere inſtituenti haud abſurdum mihi viſum humanam tantiſper in anteceſſum ſpectare naturam, & quantum roboris atque nervorum habeat ipſa per ſe cum ad veri cognitionem, tum ad ejus finis aſſecutionem, ad quem referuntur virtutis ſtudia, declarare. Non inquiram hic in ea diligenter, quæ in ipſius humanæ naturæ receſſibus poſita Philoſophorum aut feſellerunt induſtriam, aut delaſſarunt; ſed ea dumtaxat perſequar, quæ facile cuique occurrunt non oſcitanter hominem conſideranti. „ Neque enim enuntiationibus novis, quod ſcite (*a*) Epicurus admo„ net, aut legum decretis philoſophandum eſt, ſed eo „ modo, quo ea quæ videntur poſtulant. Eſt autem homo ex duplici ſubſtantia temperatum animal, omniſque ejus vis in animo & corpore ſita „ quorum alterum nobis „ cum Diis, ut (*b*) Salluſtius loquitur, alterum cum bel„ luis commune eſt. Conſtat ex utriuſque complexu vis ſenſus, quæ certis concluſa organis, & pro eorum varietate diſtincta, certis etiam rebus perinde atque pomœriis quibuſdam definita eſt, quæ ultra ſeſe porrigere neutiquam poteſt. Contra vero in animo vis tota reſidet mentis, quæ intelligentia ac libertate explicatur, atque ad univerſa pertingit, ſive quæ ſenſus ſolicitant, ſive quæ ab horum conſuetudine & affinitate aliena ſunt. Hoc tamen præſtans tamque excellens animal tam multis malorum generibus obnoxium eſt, ut iiſdem dinumeratis Plinius

(a) *Epiſt. ad Pytocl.* (b) *Proœm. B. C.*

nius (*a*) „ difficile æſtimatu dixerit, parens ne homini natura „ an noverca fuerit. Exſtitere proinde multi, qui non naſci optimum cenſerent. V. Cl. Foreſtus de homine ſic (*b*) inquit: Homo a fletu vitam orditur: in doloribus ærumniſque degit: perque varia ac multiplicium curarum genera ætatem traducit, quarum ſeries adeo perpetua eſt, ut aliæ ex aliis naſcantur, veteribuſque nova ſuccreſcant: neque his ſolum torquetur infelix homo, neque tantum in circuitu ejus hoſtes ejus, ſed intus etiam incluſos habet; qui nobiſcum nati ingeneratique in nobis ipſis, nobiſcum adolevere, quibuſcum pugnet, & dies noctesque conflictetur. Atque hi ſunt diſtorti depravatique animi impetus, quorum violentia adeo præcipites agimur, nullo ut tempore quieſcere datum ſit. Hactenus elegantiſſime Foreſtus. Erudite quoque V. Cl. Anſaldus (*c*) ait: Ut enim ajebat ille, qui e Perſona Tullii ſe ſuper morte filiæ conſolabatur: fac naſci hominem & in lucem edi: continuo ſenties non rerum humanarum Dominum & gubernatorem exortum, ſed verius miſeriarum ſervum atque incommodorum, nam infantiam & pueritiam vagitus, lacrymæ, imbecillitas, nullus nec rationis, nec corporis uſus, dolores moleſtiæque quamplurimæ amplectuntur. Adoleſcentiam ardor quidam excipit ætatis, nec prudentiæ nec judicii compos: rerum utilium ac laudabilium contemtio: veri boni ignoratio: in pares ferocia, in ſuperiores ſuperbia, in infimos arrogantia. Quare ſi quis ætatis potius vitia, quam naturæ miſerias velit appellare, quamquam nominis quæſtionem inducat, non tamen ipſas ab homine miſerias atque incommoda removebit. Nec vero audiendus erit, qui hæc ab humanæ naturæ miſeriis ſeparanda putet, quod non

(a) *Lib. 7. cap. 1.*
(b) *Moral. inſt. lib. 4. cap. 1.*
(c) *Lib. 2. n. 1. de Trad.*

Digitized by Google

non in natura ſint, ſed unius, vel aliquorum hominum errores videantur. Vere enim humanæ miſeriæ ſunt; quod etſi non omnes in uno, certe omnes in omnibus, & aliquæ in multis, & multæ ſæpe in uno agnoſcuntur. Ætas numquam ſibi ipſi non infeſta, numquam pacata; ſemper laborioſa, ſemper anxia & ſolicita. Enim vero tametſi ad bene ſapienterque operandum, non rationem modo, ſed præclara etiam nobis atque apta adminicula viſa ſit præſtitiſſe natura, quum ſcilicet per lenes quoſdam & compoſitos animi motus erga objecta, tum virtutem innatam animæ, tum etiam ſenſus demulcentia rapimur, quæ honeſta ſuapte natura ſunt atque virtuti conjuncta; rebelles tamen haud ſemel alii motus, accenſi nimium iracundique animi impetus, a machinali inſtinctu ac ſpirituum commotione profecti, animum agunt adeo atque detorquent, ut eorum colliſione perpetua atque conflictu non angi modo ac diſcruciari, ſed ad inhoneſta & virtuti adverſa rapi miſeri mortales, impetuſque ipſi nulla videantur poſſe ratione ſuperari. Quum enim in nobis fervet animi calor, qui per alterius oculos ad intima delatus præcordia vires paulatim carpit, ac circa jecur ſæviens ulceroſum medullas urit, in quibus acerrimum tandem movet incendium; ille, inquam, calor animos adeo furiare ſolet, ut fortis eſto natura ſua, iners tamen evadit illa, quæ reliqua fuit in homine virtus: hactenus Anſaldus. Etenim modo ira æſtuamus, modo tumemus ſuperbia, modo invidia tabeſcimus, modo pavore concutimur, ſæpe mœrore contriſtamur, amore ſæpe accendimur, fervemus libidine, & quotquot ſunt malæ affectiones, tot motibus agitamur. Variorum quoque generum gaudiis, ac voluptatibus perfunditur quælibet humanæ naturæ ætas, quæ ſingillatim referre ſupervacaneum cenſeo, quum quilibet experiundo teſtis ſit.

De

De humanæ autem mentis imbecillitate S. Gregorius Papa verba faciens (*a*) ait: „ Cæcum eſſe genus hu„ manum, quod in Parente primo a Paradiſi gaudiis ex„ pulſum claritatem ſupernæ lucis ignorans damnationis „ ſuæ tenebras patitur. Hinc eruditi complures ſæculi hujus in deliciis habent humanæ rationis vires extenuare, & quæcumque ſcita & juſſa de hominum officiis hactenus prodierunt, recte, ſecuſne ſancita fuerint ambigere: contra res morum teſtatiſſimas exquiſita eruditione proferre, ut ſcepticam dubitationem de omnibus notionibus, conſenſu quoque totius orbis ſacratis, invehi & late propagari doleamus. Ex hominum enim ſtudiis diſcrepantibus arguunt, humanas rationes eſſe plane commentitias, animumque humanum ſemper in phantaſmatibus ludere; propterea nullam eſſe rem, quæ nos delectet diu, nihilque eſſe, quod rationabilis natura unice doceat, in quo omnes permanere, ſeſeque oblectare oporteat; demum concludunt, nihil quidquam eſſe natura ſua juſtum, nihilque humanitati commune debitum. Verum indagatores hi humanæ naturæ aperte videntur indiligentius exploraſſe, quid homo recto rationis uſu poſſit. Etenim etiam poſt vitium in mente a primis Parentibus contractum, adhuc ſuperſtitem manſiſſe aliquam humanæ mentis vim, adeo manifeſtæ veritatis eſt, ut eam probare velle, inutilis diligentia putiduſque labor futurus ſit. Profecto in qualibet regione rationis uſu percolitur homo, ut ſit ſibi ipſi aptus civilique ſocietati accomodatus; & a rationabili natura id omnes accepimus, ut aliquatenus juſti ſimus; ſed & naturam noſtram experimur anxiam urgendi id, ex quo demum oritur juſta virtus, exquiſite elaborata honeſtarum actionum frequentia.

Ari-

(a) *Homil. 2. in Evang.*

Digitized by Google

Ariſtoteles quidem (*a*) docet „ virtutes morales „ non eſſe a natura inditas, ſed aſſidue acquiri. Illud quidem verum eſt, neminem ſapientem prudentemque naturam in lucem edere. Plerique tamen tradidere, virtutum initia indidiſſe naturam : factum quippe hominem ad uſum rationis, præparaſſe eum etiam, ut recte ratione utatur; propterea ex hac anticipatione naturæ homines cognoſcere, recipiendam eſſe honeſtatem, repudiandam turpitudinem: naturali quoque rationis inſtinctu docemur, appetenda eſſe conſentanea, diſſentanea declinanda; & inter res appetendas unam aliquam præſentire eſſe, in quam voluntas, ut in bonum perfectum finemque ultimum, natura ipſa rationabili incitante, feratur. Hanc proclivitatem bonitatemque congenitam, hos igniculos & ſcintillulas appellari naturæ lumina, præmonſtrantia quid ſequendum, quidve fugiendum in vita ſit, hancque proclivitatem a natura ipſa accipimus cum primum naſcimur; illamque cupiditatem nobis injecit natura, nos veri amatores faciendo; propterea dediſſe ingenium avidum, ſemperque paratum nova & admiranda ſitire; proinde ad ſcientias, diſciplinas, & artes exſuſcitaſſe ipſam nos, & ad indagandum perquirendumque nos exacuiſſe inexplebili voluptate diſcendi, maximeque ad rimanda & deprehendenda boni Viri officia: idcirco in bonitate intelligenda oſcitantem & dormientem impellere, & in ſe monentem convertere ultro, ac dimittere in ipſum.

Semper vero difficile fuit in magna caligine circumfuſa jura rationabilis naturæ ibi recondita prævidere; ſed interea nemini, dum ſe pertentat & excutit, difficile eſt, boni Viri officia invenire, quæ inquirendi natura ipſa eſt auctor ſuaſione vehementi, in quibus oportet hominem

D eſſe

(*a*) *Libro magn. moral.* I. *cap.* 7.

Digitized by Google

eſſe maxime intelligentem : ea omnino ſubjecit mentis oculis, quæ ducuntur ex bonitate, & ad bonitatem referuntur. Arduum quidem eſſe probum, ſemitam tenuem, veſtigium lubricum, labendi modos innumerabiles: verumtamen moralia rationabilis naturæ principia non aboleri, non permutari, non ſurgere alia : eſſe hominum naturam ſecundum illa, volentes nolenteſque eadem reminiſci & recognoſcere; propterea non expungi, nec oblitterari moralia principia, quamquam in libertate ſit naturæ juribus reſiſtendi; adverſari tamen impune non licet. Inſidere enim homini hærereque in omnium pectore cuſtodem appoſitum (ſcilicet ſynderesim) & vindicem juris infixi, & quaſi inſculpti in animo, jubentis ac vetantis judicio ſcitoque inviolabili, nos inclinantis ad conſentiendum naturæ legibus, nec aberrandum inde unquam: idcirco, ſi quodcumque natura improbat, in eo contriſtat obtinentem; declarare autem voluntatem probantis jucunditatem illam, quæ obſecundantem præceptis internis conſequitur; propterea arcano teſte ac judice ſic laudare in omnibus factis, dictis, conſiliiſque noſtris, ut locus querelæ ne clam quidem obſtrepenti relinquatur : hæc eſſe illa interna gaudia, hanc ſolidam germanamque lætitiam, quam nulla vis debilitat, adverſitas nulla contaminat; quantumque poſſit in homine ſynderesis aptiori loco Ethnicorum quoque teſtimonio luculenter demonſtrabitur.

Principia vero illa, quibus hominum officia nituntur, non ipſa re quidem poſtulante, ſed hominum aliquorum ſive ſocordia, ſive perverſitate in dubium vocata ſunt, qui quum perſuaderi ſibi facile ſinant, avideque amplectantur ea, quæ libidini cujuſque favent; in iis autem, quæ cum ratione conveniunt, & injiciunt fræna cupiditati, adeo difficiles & moroſi ſunt, ut his evidentia ipſa non

ſatis-

Digitized by Google

ſatisfaciat, quorum affectibus & malis moribus obtuſa conſcientia depravataque ratio eſt, quamquam ab ipſa hominis natura petatur, quæ in recte factis magnam vim habet, & ſeſe maxime prodit in iis, quæ ratione obtinente ubique admiſſa ſunt, & a convenientia rerum immutabili unice humano generi congruunt, & apud omnes nationes propagata cernuntur; quæque regula & radices ſunt virtutum omnium, & ſocietates quotquot fuerunt, & ſunt nectuntur, earum quoque nationum, quarum eſt ſenſus magis, quam animus exercitatus; hinc juſtitia, & actionum honeſtas naturæ voces ſunt; ſed & Ethnicorum Philoſophi Ethicæ principia a naturæ voce acciverunt, quorum effata non longe a populari ſenſu disjuncta cernuntur.

Quoniam vero firmamenta horum principiorum extra omnem dubitationem ſtatui debent, & intus quæſita a Philoſophis in homine ipſo non eadem in omnibus videantur, eo quia raro homo ſincerus integerque videatur, & in multis ratio ipſa depravata ſit, idcirco alia generali prænotione opus eſſe, ex qua irrefragabilis principiorum horum firmitas deducatur. Etenim ſi ſermo habeatur de univerſo ſyſtemate, ex quo pia & juſta hominum officia conſtituuntur, humanique mores omnes reguntur, fatemur aliis auxiliis opus eſſe, ut firmiter conſtitui poſſint; de quibus in contextu hujus operis erit ſermo. Hoc loco referre ſufficiat, aliqua per ſe citra omnem impoſitionem eſſe turpia aut honeſta, natura ipſa rationabili eadem præmonſtrante & docente, qualia ſunt filiorum educatio, quod Parentum debitum belluis quoque natura indidit; ex quo inſtinctu cunctorum animalium ſpecies ſervatur; ſed & filiorum erga proprios Parentes obſequium; naturæ rationabilis vox eſt; hanc enim legem ediſcimus cum primum naſcimur. Quum autem homo ad ſocieta-

Digitized by Google

tem factus ſit, natura ipſa docet, nullum eſſe unquam ſui cauſſa lædendum, nullo unquam tempore ſibi plus æquo indulgendum; hinc turpe eſſe innoxium occidere, aut aliena rapere; propterea naturale jus eſt, ſe ſuaque tueri, & vim vi repellere licitum. Profecto naturæ lex, ut (*a*) ſcriptum eſt, in uno ſermone impletur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum; quæ quidem lex ſcripta eſt in hominum cordibus, & nobiſcum una exſtat, quæque cuique animadvertenti ſe facile prodit: non autem urget hominem cæca vi, qua cieri ſolent rationis expertia, ſed intus animum colluſtrat, ac ſuaviter movet; quum humana mens veritate trahatur. Hæc omnia, quæ ab ipſo noſtræ naturæ fonte profluunt, agnovit Confucius quamquam impietate pollutus; congruentia enim (*b*) naturæ eſſe vult, unumquemque proximum ſuum diligere, cupiditatibus reſiſtere, neminem factis dictiſque lædere, Parentibus obtemperare, eiſdemque addictiſſimam obſervantiam exhibere. Quibus ſimillima ſunt, quæ Sciutus aliique antiquiſſimi Japponenſium Doctores ſcripſerunt: docent enim, quod quum ratione præditi ſimus, virtutem ſponte honeſtatemque ſequi debemus. Hanc veritatem agnoverunt etiam Ethnicorum Philoſophi noſtri Hemiſpherii; ſed & Epicurus ipſe; propterea in omnibus fere Senecæ Epiſtolis laudatus. Hinc evertitur impium Hobbeſii ſyſtema, (*c*) dicentis: „ Naturam dediſſe unicuique omnia; hinc in ſtatu mere naturali, ſive antequam pactis „ ſeſe obſtrinxiſſent homines, licebat unicuique poſſidere, & frui omnibus, quæ volebat & poterat: nam juſtitia erga homines ſupponit leges humanas, quæ in ſta-

„ tu

(a) *Ad Galat. cap.* 5.
(b) *Picardus tom.* 2. *de Sinenſ. & Jappo. doctrina.*
(c) *In Element. Philoſoph. de Cive cap.* 1.

„ tu mere naturali nullæ ſunt. Ad ſocietatem ergo homo „ non natura factus eſt: hinc, inquit, nullas eſſe a natura „ inſtitutas regulas virtutum, nihil honeſtum, nihil ſan„ ctum, nihil impium. Jactis hiſce principiis honeſtaſtem, ac turpitudinem omnem, quæ inter homines eſſe videtur, ortam putat a timore & neceſſitate, quam invicem habent homines, ne ſi forte alii alios læſerint, ab aliis majorem vim patiantur, aut legum ſeveritate puniantur. Unde autem abſurda hæc opinio proceſſerit commodiori loco enucleate explicabitur; nihil enim aliud hoc capite proponendum mihi ſumſi; niſi naturæ ſtatum habitumque breviter indicare. Attamen ex hactenus dictis ſatis aperte conſtare puto falſum eſſe, quod Hobbeſius ait: nihil omnino imperare Naturam.

Animadvertendum vero eſt, quod quamquam eadem ſit omnium hominum natura; attamen quæ fiunt varia ſunt ac ſui diſſimilia; propterea non ex uno dumtaxat agendi principio fluunt; quamquam unum a ratione ſit omnibus præſcriptum. Manifeſtum quippe eſt, quemque non tantummodo cæterorum, ſed ſui etiam ipſius poſſe eſſe diſſimilem; libertas enim ipſa diſpareſque inter ſe vires ac affectiones hominibus a natura impertitæ in cauſſa ſunt, ut vita nobis agenda diſſimilis ac difficilis obtigerit. Sed & variæ educationes, & varii hominum ſtatus in cauſſa ſunt, ut non idem in moribus hominum proſpectus exhibeatur; propterea varietatem illam, quæ ab illis fontibus profluit, indicio non eſſe, nihil omnino a natura eſſe præſcriptum, ſed quid impedire plane nolit. Interior autem lex ſe facile prodit animadvertenti: at quum id multi perraro faciant alio avocati conſuetudine vitæ, ex eo accidere, ut legem interiorem haud conſulant, quæ recte facienda præſcribit, & recte facta interno gaudio mu-

nerat,

nerat ; ex quo dilucide apparet , legem quamdam nobiſcum una exſtare , quæ univerſa componit , & ſingula colligat in unum finem , qui eſt omnium ſocietatum coagulum ; & optime conſtitutæ ſunt ſocietates illæ , quæ in hunc incorruptum naturæ finem diligentius intenderunt.

Longe tamen hæc innata virtus a parta diſtat, ut ab abſolutione ingentis operis leviter tantum adumbrata initia diſtant. Non enim ſatis eſt , præclare dicere de moribus quibuſdam : manare latius diſciplinam vitæ moralis ; hanc quidem partibus ſtare ſuis, ſed complexione tota corruere, niſi fundamenta jacias, quibus æque nitatur , undecumque illam ſpectes. Hac de cauſſa plurimi Ethnicorum Philoſophi, de quibus in capite ſequenti erit ſermo , in tot abſona & devia abjerunt ; eo quia homo appetitionum plurimarum ſit capax ; propterea in multiplici genere diſſimilitudinis varios quoque eſſe gradus ; & ſæpe in contrarias partes diſtrahimur , & interdum ad pejora devolvimur. Etenim quum homo ex naturis plane diverſis ſit conflatus , ſenſuque & ratione polleat , ex variis affectionibus innumerabiles oriuntur diſſimilitudines opinionum atque ſtudiorum , ita ut plerique ſe huc & illuc ab iis temere concurſantibus impelli ſinant , propter earum partium diſſidium , quibus conſtamus : idcirco quamquam eadem ſint notionum initia , progreſſus iidem in omnibus non ſunt ; variis quippe motibus ac animi cupiditatibus perturbati homines aut diſtrahuntur , aut crebro pervertuntur. Plato in Phædone animadvertens ad naturas diverſas , ex quibus factus eſt homo , inquit : „ Humanum animum, quandiu corpori immixtus eſt, nunquam „ ad rerum ſublimium cognitionem pervenire , ſed cæcutire, labi, nec unquam poſſe veritatis, quam deſiderat,

„ api-

Digitized by Google

„ apicem attingere. Nam, inquit (*a*) Seneca, inter cætera mala illud peſſimum eſt, quod vitia ipſa mutamus. Sic ne hoc quidem nobis contingit, permanere in malo jam familiari. Aliud ex alio placet, vexatque nos. Hoc quoque, quod judicia noſtra non tantum prava, ſed etiam levia ſunt. Fluctuamus, aliudque ex alio comprehendimus: petita relinquimus, relicta repetimus: alternæ inter cupiditatem, & pœnitentiam vices ſunt. Pendemus enim toti ex alienis judiciis: & id optimum nobis videtur, quod petitores laudatoreſque multos habet, non id quod laudandum petendumque eſt. Nec viam bonam ac malam per ſe æſtimamus, ſed turba veſtigiorum, in quibus nulla ſunt redeuntium. Hactenus Seneca. In ſacris quoque Scripturis ſic (*b*) legitur: „ Corpus enim, quod corrumpitur, „ aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſen„ ſum. De imbecillitate autem animi humani S. Gregorius Papa verba faciens, (*c*) ait: „ humanus animus arun„ dini comparatur, qui mox, ut favore vel detractione „ tangitur, ſtatim in partem quamlibet inclinatur.

Agnoverunt tamen Ethnicorum Philoſophi hominum cauſſa Univerſum hoc ſpectabile fabricatum fuiſſe; hinc loco ſupra citato, inquit Plinius, „ quod principium „ jure tribuetur homini, cujus cauſſa videtur cuncta alia „ genuiſſe natura. Hanc ſententiam ſecutus Cicero, ſic (*d*) diſſerit: Sin quæret quiſpiam, cujuſnam cauſſa tantarum rerum molitio facta ſit, arborum ne & herbarum, quæ quanquam ſine ſenſu ſunt, tamen a natura ſuſtinentur? At id quidem abſurdum eſt, an Beſtiarum? Nihilo probabilius, Deos mutorum, & nihil intelligentium cauſſa tantum laboraſſe. Quorum igitur cauſſa quis dixerit ef-

fectum

(a) *De otio ſapientis cap.* 27.
(b) *Lib. ſapient. cap.* 9.
(c) *Homil.* 6. *in Evang.*
(d) *Lib.* 2. *de N. D.*

Digitized by Google

ſectum eſſe Mundum? Eorum ſcilicet animantium, quæ ratione utuntur. Hi ſunt homines, quibus profecto nihil eſt melius; ratio eſt enim, quæ præeſt omnibus. Veſcimur beſtiis & terrenis & aquatilibus & volatilibus, partim capiendo, partim alendo. Efficimus etiam dominio noſtro quadrupedum vectiones, quorum celeritas atque vis nobis ipſis affert vim, & celeritatem. Nos onera quibuſdam beſtiis, nos juga imponimus: nos Elephantorum acutiſſimis ſenſibus, nos ſagacitate canum ad utilitatem noſtram abutimur; nos e terræ cavernis ferrum elicimus, rem ad colendum agros neceſſariam: nos æris, argenti, auri venas abditas invenimus, & ad uſum aptas, & ad ornatum decoras. Arborum autem confectione, omnique materia & culta & ſilveſtri, partim ad calefaciendum igni adhibita, & ad mitigandum cibum utimur, partim ad ædificandum. Magnos vero uſus affert ad navigia facienda, quorum curſibus ſuppeditantur omnes undique copiæ: quaſque res violentiſſimas natura genuit, earum moderationem nos ſoli habemus, maris atque ventorum, propter nauticarum rerum ſcientiam. Terrenorum item commodorum omnis eſt in homine dominatus. Nos campis, nos montibus fruimur: noſtri ſunt amnes, noſtri lacus. Jam vero circuitus Solis & Lunæ reliquorumque ſiderum, quanquam etiam ad Mundi cohærentiam pertinent, tamen & ſpectaculum hominibus præbent. Quid enim oves aliud efferunt, niſi ut earum villis confectis atque contextis homines veſtiantur? Nec vero tantum ſupra terram, ſed etiam in intimis ejus tenebris plurimarum rerum latet utilitas, quæ ad uſum hominum orta, ab hominibus ſolis invenitur. Hactenus Cicero, irrefragabili experientia teſte, graphice demonſtrat, illa omnia, quæ in hoc univerſo conſpiciuntur, hominum gratia parata fuiſſe; rationem

Digitized by Google

tionem vero humanam alia ad propriam utilitatem, aliaque ad proprium commodum, & ad delicias perducere. Proinde quiſquis es juſtus humanæ naturæ æſtimator cogita, quanta nobis tribuerit humana ratio. Diligentius autem in hoc libro explorabitur, quid humanæ mentis acies in moralibus etiam poſſit, quibuſque auxiliis veri intelligentia in homines deſcendat; in ſequentibus vero, unde vera pietas, perfectaque juſtitia, ex quibus conſtituuntur hominum officia, ortum habuerint.

De ea Philoſophiæ parte, quæ humanos mores reſpicit.

CAPUT III.

DEfinite expoſuimus, quid homo ſit, quidque in ſtatu mere naturali poſſit; diſquirendum nunc eſt, unde juſtitia omnibus numeris perfecta originem traxerit; propterea ordo poſtulat, ut diſſeramus, an morum diſciplina a Philoſophia deducta ſit. Plurimi Philoſophorum in eam ſententiam abierunt, ut officiorum præſcribendi ratio, quam Latini Moralem, Ethicen Græci dicunt, ab hac facultate originem duxerit. Pertinaciter enim profitentur, philoſophiam eſſe humanarum actionum moderatricem, probitatis opificem, ſocietatis effectricem, ac felicitatis ducem. Præſentis igitur diſquiſitionis erit ad trutinam revocare veterum recentiorumque Philoſophorum placita; ex quibus de facili dignoſci poterit, quantum a veritate aberraverint. Mentis quidem munus eſt, quælibet objecta, quæ a ſenſibus exterioribus repræſentantur, & in mirabilibus cerebri tabulis exacte pinguntur, attente contemplari, ac de iis probe perpenſis judicium ferre;

re; quoniam vero ad ſocietatem homo factus eſt, ſermocinandi facultate præditus eſt; ut quæ cogitaverit, ſolertique indagine cognoverit, cum aliis etiam communicaret: quid enim ad ſocietatem ſcientia prodeſſet, ſi tanquam theſaurus in occulto latens nullam aliis utilitatem afferret? Illud autem ſummopere animadvertendum eſt, ne naturalis quædam judicandi prurigo hominum animos ita vellicet, ut de omnibus adeo facile opinentur, ut quicquid ſibi probabile videtur, pro certo exploratoque proferatur. Siquidem innumerabilia ſunt, quæ ſub ſenſus non cadunt; propterea mens facillime ad falſa dilabitur. „ Error, teſte „ (a) Seneca, ex falſa opinione ortus, ubi deſinat, finem „ non habet, nulluſque terminus falſo eſt. Ut autem huic „ malo obviam eatur, exquiſita diligentia utendum eſt, ut a probabilibus certa ſejungantur; quod quidem Logicæ facultatis ope, exactæque criticæ ponderibus præſtari poteſt; dummodo ſermo, ac examen ab iis principiis ducatur communi conſenſione probatis, quæ iter tutiſſimum ad agnoſcendam muniunt veritatem. Quamquam vero ita res ſe habeat, ut nullus, cui ſanum caput eſt, inficias ire queat: exſtitere tamen plurimi ex veterum, ac recentiorum Philoſophorum familia, qui, ſpreta communi principiorum notione, ſibi nimium placentes, ſoli Philoſophiæ conſuetudini in explicandis hominum officiis omnem poteſtatem tribuerunt; hinc in abſona & devia abierunt.

Ut ab antiquis exordiar, notum eſt, prodiiſſe quoſdam morum magiſtros obſoleto laceroque pallio indutos, ore inculto atque horrido, barbatos, ac ſuperciliofos, qui tanquam Cœlo demiſſi, ad coercendam hominum licentiam ampulloſe jactantes, auſi ſunt dogmata quædam fundere, quæ cum eorum fœdo vultu, atque habitu plene con-

(a) *Epiſt.* 16.

Digitized by Google

convenirent : cujuſmodi ſunt, peccata omnia eſſe æqualia, de re nulla dolendum, lætandum de nulla : nullum amicitiæ locum, gratiæ nullum, miſericordiæ nullum tribui debere ; quoniam, inquiebant, hujuſmodi affectiones fortitudinem, animique conſtantiam infringunt. Contra vero alii, concupiſcentiis laxantes habenas, ventri, laſciviæ, aliiſque pravis cupiditatibus inſervientes, omnem beatitudinem in voluptatibus carnis conſtituerunt. Multa id genus ab iis tradita ſunt, quæ ſi communiter recepta fuiſſent, jam ſocietas nulla probe conſtituta, nullum caritatis officium in hoc terrarum Orbe haberetur, indeque virtus omnis exſularet. Procul igitur Diogenis, ſuorumque Cynicorum ſordida aſperitas : procul Ariſtippi mollis vita : procul Zenonis Stoicorumque duritia, ac ſuperbia ; hi enim omnes non modo non utilia pro regula morum præſcripſerunt, ſed moralem omnem diſciplinam fœde perturbarunt. Quid porro de Stoicorum opinione ſentiendum, qui omnia fato fieri, & inexorabili neceſſitatis lege contingere putabant ; ſublata quippe mortalibus agendi libertate, ſublatum quoque eſt omne virtutum vitiorumque diſcrimen. Epicurei vero, ex principiis certe Epicuri, quanquam haud ex morum diſciplina ejuſdem præceptoris, nimium concupiſcentiæ indulgentes exiſtimabant, licere homini actiones ſuas ex ſuo arbitrio determinare, niſi quatenus lege civili prohibeantur. „ Cum enim, inquit (*a*) Wolf-
„ fius, non admittant intrinſecam actionum honeſtatem,
„ ac turpitudinem in ſe ſpectatas, omnes actiones pro in-
„ differentibus habent, earumque demum moralitatem
„ conſequi ex lege, quatenus eæ vel præcipiantur, vel
„ prohibeantur. Itaque ſuprema Epicureorum lex eſt :
„ quod lubet, licet, niſi quatenus coacti, aut formidine

 „ pœ-

(a) *Part. 2. cap. 4. 5717. & ſequent.*

„ pœnæ agunt. Ab hac fœdiſſima ſententia excerpta ſunt Hobbeſii dogmata, quibus ille damnati nominis auctor, nihil inter honeſta & turpia intereſſe opinatur; propterea juſtum & injuſtum a pactis, aut humanis legibus pendere, quæ omnia ex reciproco timore ab initio conſtituta ſint, & ſocietates coagulatæ. Intrinſecum actionum diſcrimen apud omnes nationes in confeſſo eſt, ne plurimis quidem Græcorum, Romanorum, Sinenſium, & Japponenſium Atheis repugnantibus; hinc nonnulli eruditiſſimi Viri confutatione indignum nefarium hoc deliramentum putarunt. Alii vero, inter quos emicat Cumberlandus celeberrimo opere, convincentibus rationibus Hobbeſianum ſyſtema evertunt. Quoniam autem omnem impietatem univerſali hiſtoria ratiocinata penitus eradicandam eſſe propoſui, quod eſt peremtorium argumentum; idcirco adductas de hac re doctiſſimorum Virorum rationes referre, ſupervacaneum cenſeo.

Multi quidem morum diſciplinam ducentes ex ea hominis parte, in qua ineſt concupiſcentia, omnem vivendi rationem fœde perturbarunt; ex quo tot abſurdæ ortæ ſunt opiniones. Hinc ſcripſit (*a*) Cæſar de Gallis, qui „ ut aut ipſi injurias inferrent, aut illatas propulſarent, „ omnes in bello verſantur. Ex diverſis profecto principiis, & cogitandi modis, id fieri certum eſt. Exemplum præclarum exhibet Livius: „ quodnam, ait (*b*) id jus eſſet „ agrum a poſſeſſoribus petere, aut minari arma, Romanis quærentibus, & quid in Hetruria rei Gallis eſſet? „ Cum illi ſe in armis jus ferre, & omnia fortium Virorum eſſe ferociter dicerent, accenſis utrinque animis ad „ arma diſcurritur. Ex adverſo ea, quæ juſta, honeſta, aut per ſe citra omnem impoſitionem turpia ſunt, faciunt ob-

jectum

(a) *Lib. 6.* (b) *Lib. 5. Decad. 1.*

Digitized by Google

jectum juris naturalis ac perpetui. Juſtitia autem dividitur in naturalem, & civilem. Hæc ab humanis inſtitutionibus pendet: illa a natura rationabili originem ducit; verum etiam leges civiles ad naturales referuntur. Hinc Ariſtoteles de juſtitia ſic (*a*) loquitur: „ Quod agitur in al„ terum juſtum æquale, & huic proportionale. Et ſane „ juſtum duplex, unum quidem ex lege, juſta ſiquidem „ perhibent, quæ lex jubet: alia juſta ſunt, quatenus ſeſe „ a juſto ſunt. Jus quippe civile nihil aliud eſt, niſi naturalis ratio ad talem, aut aliam datam ſocietatem relata. Quoniam vero confuſa quædam aliquando, nec ſatis diſtincta legis naturalis notio e Philoſophorum profertur ſcholis; hinc alii legem naturalem ſola humana ratione a radice ſua efferunt, rectumque animi judicium, inconſultis naturæ affectionibus, adeo anteponunt, ut ſenſus honeſtati contrarios vitium exiſtiment naturæ univerſæ quodammodo ægrotantis, atque ab inſtitutione ſua turpiter deflectentis. Contra vero alii abſurdum autumant, partem anteferre toti, legemque communem rerum creatarum contrahere ad certæ, ac peculiaris naturæ ſenſum, & ad rationem humanam res ita expendere univerſas, ut quod homunculis conveniat, aut repugnet, id infinitatis totius perfectio, aut vitium habeatur. Unde nullam ponunt boni malive naturam, eique inhærentes, jus naturale omnino convellunt, ne honeſtatis lege per naturam conſtituta, ſuis ipſamet legibus natura damnetur: quod eveniret, ſi virtus una & vitium eadem natura conſiſterent: nam lex virtutis a natura veniens damnaret vitium ab eadem natura profectum: quæ ratio non homines modo, ſed & bruta etiam amplectitur; diſcrimen vero inter homines & bruta manifeſtum eſt; homo enim ratione, quæ vitanda, &

(a) *Lib. magn. moral. cap.* 1.

& expetenda ſunt, boni & mali definitione diſcernit; bruta autem fuga, & appetitione naturali nulla diſtincta lege moventur.

Quærens Cicero, unde contingat, quod in tam abſurdis, & inter ſeſe oppoſitis ſententiis verſetur doctrina morum, ſic (*a*) diſſerit: Da ſcilicet mihi hominem, qui ex vitæ genere oſtendat ſe virtutis cauſſa, niſi eam voluptatem, aut quæſtum acciret, ne manum quidem verſurum, non mirabor, huic ſenſim tacere leges omnes, & ratum non ægre fore, eas eſſe hominum pura puta commenta; tum quod venerit in conſuetudinem id cogitandi atque expetendi, tum vero maxime, quod animus undique illecebris delinitus, morem aliquando ſenſibus gerat. Alibi (*b*) Tullius inquit: Philoſophos ſegregatos ab omni ſocietate Reipublicæ, cujus partem neque noſcebant ullam, neque noſcere umquam valuerunt, cæteroſque omnes Philoſophos de vita regenda ac officiis hominum diſputantes, adeo inter ſe contendere ſolitos, ut advocatos eos dicere audeant Demiphoni, aut malum Genium ad eos adloquutum. Propterea Cato redargutus fuit (*c*) ab eodem Tullio, quod interdum noceret Reipublicæ, eo quia vellet Philoſophicam Platonis Rempublicam Romanis tradere, quum in concionibus ſolitus eſſet Platonis ſententias in medium proferre. A nonnullis enim Philoſophis convulſa pene univerſa vitæ degendæ ratione, rerumque gerendarum doctrina, in id videri eos præcipue conniti, ut igniculos ipſos idoneæ naturæ, qui veritati in nobis ſemper prælucent, non modo malis moribus, ut idem Tullius (*d*) animadvertit, verum ingenioſis etiam artibus pertinaci meditatione reſtinguant.

Præ-

(a) *Lib. de legibus.*
(b) *Lib. 1. de N. D.*
(c) *De finibus* 93.
(d) 3. *Tuſcul.*

Digitized by Google

Præclare quidem ſcripſerunt nonnulli Ethnicorum Philoſophi de moribus quibuſdam, docendo multa laudabilia, humaniſque moribus accomodata, atque ad juſtitiam, temperantiam, honeſtatemque compoſita; inter quos numerantur aliqui impietate polluti, ut videre eſt de Democrito, atque Epicuro in Epiſtolis Senecæ: de Plinio ubi (*a*) inter cætera ſic legitur: noſſe ſe quemque, & nihil nimium cupere; comitemque æris alieni eſſe miſeriam. Impii etiam Sinenſium, & Japponenſium Doctores congruentia naturæ agnoverunt, & tradiderunt; id eſt, unumquemque proximum ſuum diligere, cupiditatibus reſiſtere, neminem dictis factiſque lædere, Parentibus obtemperare; quumque ratione præditi ſimus, virtutem ſequi debemus, ut a brutis diſtinguamur, teſte (*b*) Picardo. Non eſt autem ſatis præclare dixiſſe de moribus quibuſdam, illorumque congruentes cauſſas attuliſſe; certum enim eſt manare latius diſciplinam vitæ moralis: hanc quidem partibus ſtare ſuis, ſed complexione tota corruere, niſi fundamenta jacias, quibus æque nitatur, undecunque illam ſpectes; & quælibet objecta in punctum veluti unum deſinant, a quo ad ambitum æquales lineæ ducantur; ita ut partes omnes non careant illa conſtructione doctrinæ, quam recentiores ſyſtema vocant. Syſtematis vero punctum eſt finis, ad quem omnes virtutes morales diriguntur; quum enim ad ipſas non referantur ſed propter aliquem finem expetantur, conſequens eſt, juſtas actiones eſſe eas, quæ ad verum finem diriguntur: quapropter, ut optime (*c*) animadvertit Auguſtinus „ non officiis & „ actionibus, ſed finibus virtutes a vitiis diſcernuntur. Quotus vero Ethnicorum Philoſophorum eſt, qui hæc uni-

(a) *Lib. 7. cap. 32.* (b) *Tom. 2. de Confucii, & Jappon. doctrina.*
(c) *Lib. 21. cap. 25. de C. D.*

univerſa præſtiterit & omnes morales virtutes ad verum finem perduxerit, & ex his omnibus datum ſit corpus perfectum architectari? Ab illa igitur ſumma ſapientia, quæ & Univerſi Opifex fuit, perfectum & ſtabile moralis diſciplinæ ſyſtema perfici potuit, undecumque illud ſpectes, ita ut nulla ex parte nutare videatur; quæ omnia aperte elucent in primigeniæ Traditionis ſyſtemate, ut in contextu hujus operis uberrime demonſtrabitur. Quæ cum ita ſint, non video, cur tantis laudibus moralis Philoſophia ſit ornanda, de qua Seneca ad Lucillum ſcribens (a) totis eloquentiæ viribus illam commendat, ut quæ animum format, vitam diſponit, actiones regit, agenda vel omittenda demonſtrat, ſedet ad gubernaculum, & per ancipitia fluctuantium dirigit curſum: ſine qua nemo ſecurus, nemo beate, ne tolerabiliter quidem vivere poſſit. Idem Seneca, Philoſophus & ipſe, haud ſibi conſtans, imbecillitatem, & contradictiones Philoſophorum oſtendit, quorum verba ſunt plurima, multamque in diſputando vanitatem habentia; horum ſententias ſtrictim referens, (b) ait: Quidam mihi non profuturam ſcientiam tradunt: alii ſpem omnem ſcientiæ eripiunt: alii non præferunt lumen, per quod acies dirigatur ad verum. Si Protagoræ credo, nihil in rerum natura eſt, niſi dubium. Si Parrænidi, nihil eſt præter unum. Si Zenoni, ne unum quidem: non facile dixerim, utrum magis iraſcar illis, qui nos nihil ſcire voluerunt: an illis, qui ne hoc quidem nobis reliquerunt, nihil ſcire. Hactenus Seneca, magnus Stoicæ ſectæ ſive Patronus, ſive Aſſecla; quorum Philoſophorum dogma erat; omnia fato fieri, & inexorabili neceſſitatis lege contingere; hinc nullum virtutum vitiorumque diſcrimen eſſe poterat; quod morum diſciplinæ, & philoſophicæ faculta-

ti,

(a) *Epiſt.* 16. (b) *Epiſt.* 88

ti, quam tot laudibus ornavit, e diametro opponitur. Veteres etiam fere omnes Philoſophi de finibus actionum fœde erraverunt; ſed & de officiis hominum mira varietate diſtractos, non tam pugnantia, quam abſurda dixiſſe. Illud enim manifeſtum eſt, non omnibus eadem fuiſſe honeſta aut turpia; quum in una regione tamquam honeſta recepta fuerint ea, quæ in alia turpia viſa ſunt. Inceſtuoſa quippe exercere commercia, & ſolemni quoque matrimonio miſceri filiabus, olim Perſis permiſſum, quod apud cæteras nationes nefas maximum fuit. Puerorum etiam amores, & propudioſa virorum cum adoleſcentibus commercia a nonnullis Ethnicis probata fuerunt. De Peruviæ regione Levinus Appollonius ſic (*a*) inquit: „ Peruvani fœdæ marium libidini proclives ſunt; exiguo in „ precio mulieres habent, quas viliſſime ſibi ancillari co- „ gunt. Profecto ii, qui libidini laxant fræna, adeo inflammantur, ut craſſa quædam mentis hebetudo oriatur, ex qua quælibet corporum conjunctio licita videatur. „ Non „ eſt enim, inquit (*b*) Chryſoſtomus, corporum, & pe- „ cuniæ par cupiditas; ſed acrior multo atque vehemen- „ tior eſt illa corporum. Pleraque alia quoque hominum officia haud ſunt apud omnes honeſta aut turpia. Etenim barbaræ adhuc Gentes ſunt, quæ in magno precio habent ferocitatem, aut immanitatem, & in alienas terras violentas irruptiones; hinc aliena rapere, ſervos, & eunuchos facere, mulieres, puellaſque proſtituere, non modo licitum, ſed glorioſum prædicant. Populi hiſce efferatis moribus dediti, ferociter fortiterque ſe gerendo, naturæ leges probe conſuluiſſe putant; experientia enim magiſtra ediſcimus, nullum eſſe deteſtabile facinus, quod aliqua ratione, aut antiquata conſuetudine ab improbis non excu-

(a) *Lib.* 1. (b) *Homil.* 79. *in Matth.*

ſetur, honeſtaſque ipſa ad oppoſita non detorqueatur. Verum multis honeſtum ac laudabile videtur illud, quod laudatores plurimos habet, quamquam cum vera virtute & juſtitia jungi haud poſſit, quod non raro in rebus bellicis evenire ſolet; vulgus enim perſæpe rumorem ſequitur, optimaque arbitratur ea, quæ magno ſenſu recepta ſunt, multoſque petitores habent. Sed & Heroibus ſæculi hujus, & Ethnicorum Philoſophis glorioſum viſum eſt, ſe ipſos occidere, aut Reipublicæ cauſſa, aut ne ingruentibus malis ſupereſſent; iique potiſſimum ſunt, qui illuſtres & glorioſi apud Gentes habiti ſunt. Hujuſce diſſimilitudinis ſentiendi modus non raro oritur ex diverſa conſuetudine vitæ; ii enim, qui malis moribus obtuſam & depravatam mentem habent, veræ juſtitiæ, honeſtatiſque facies obvertitur; & mala conſuetudine vitæ obcæcati, honeſtati, quæ ex bonitate ducitur, & ad bonitatem refertur, adverſantur.

Invidia etiam, maximorum malorum parens fœcunda, proditur primum in Dæmone, qui nulla injuria offenſus Protoplaſtas ad peccandum induxit, ea ſpe, ut innocentia amiſſa, bonis, quibus a Deo tam liberaliter ditati fuerant, ſpoliarentur. Hoc aſſequuto haud Dæmonis invidia quievit: inexplicabili enim invidiæ livore tabeſcens, nunquam a maligno propoſito receſſit trahendi univerſum genus humanum in perditionem; propterea ut gradatim ad totum perveniret, veram religionem fœdare, humanoſque mores corrumpere verſuta calliditate conſtituit. Profecto hujus maligni graſſatoris artes, divinitus detectæ, apud omnes Gentes pervulgatæ in progreſſu hujus operis reſerabuntur. Dæmonis invidia ad ſceleſtos homines tranſiit, quorum animi ab hac maligna rabie adeo inflammantur, ut ad turpia quæque perpetranda non erubeſcant;

hinc

Digitized by Google

hinc invidorum cogitata, effata, & opera, maledictione, detractione, amaritudine plena ſunt. Invidiæ radix ſuperbia eſt, quæ intus latet, & vires carpit paulatim, & in infimam quoque plebem mittit radices; propterea invidi acuunt linguas ſuas ſicut ſerpentis, & venenum aſpidum ſub labiis eorum. Invidorum autem alii, vilem abiectumque animum habentes, quos coram laudant, ſecreto iiſdem detrahunt: alii vero, qui ſe pollere viribus ſentiunt, maligna invidiæ opera palam præſeferunt, Cainum imitantes, qui invidiæ livore æſtuans innocentem fratrem interfecit. Quot quippe rixas, ſeditiones, & bella ab invidia excitata ſint, omnium temporum experientia oſtendit; quantumque inter cives invidia poſſit S. Ambroſius (a) declarat, inquiens: „ Non mediocris invidia proditur, quæ civicæ charitatis oblita in acerba odia cauſſas amoris inflectit. Simul hoc exemplo (invidorum Judæorum) & „ oraculo declaratur, quod fruſtra opem Cœleſtis exſpectes, „ ſi alienæ fructibus virtutis invideas; aſpernator enim „ Dominus invidorum eſt; quoniam ut ſcriptum eſt, qui „ malignantur exterminabuntur.

Porro non turbæ pravorum hominum, non lites diſſidentium audiendæ ſunt, avertentes alio; ſed veræ juſtitiæ dogmata per quævis tempora ad hæc uſque noſtra trajecta, quæ inſident hærentque in pectore juſtorum, tranſcripta ex lege æterna, jubentia ac vetantia judicio inviolabili, ſuperne illapſa ex ratione illa ſumma, certiſſima & immutabili imperandi prohibendique ſapientia, nos inclinante ad conſentiendum Dei rationabiliſque naturæ præceptis; quæ pandunt, dilucidaque faciunt ea, quæ, quodam concupiſcentiæ velo obducta, deliteſcerent, niſi divina lex diceret: non concupiſces; propterea Apoſtolus

(a) *Lib. 4. in caput 4. Lucæ.*

lus (*a*) inquit: „ concupiſcentiam neſciebam, niſi lex di-
„ ceret: non concupiſces. Porro concupiſcentia, quæ militat adverſus animum, ab initio in primo Parente fuit juſta peccati pœna, quæ in poſteris, ſimilitudine Parentum, natura eſt. Mala autem concupiſcentia adeo inſidioſe intus ſe gerit in perniciem noſtram, ut ejus nequitia adhuc humanum genus lateret, niſi divino lumine prælucente fuiſſet detecta; ſed non modo caro illecebris æſtuat; verum etiam animus, qui eſt forma ſui corporis, de facili furiari ſolet ab iiſdem appetitionibus carnalibus, a quibus quodammodo infirmatur; tantaque concupiſcentiæ vis eſt, ut nunquam ſuis illecebris animum titillare deſinat, quæ niſi probe cognoſcatur, & cohibeatur, rationem ipſam in ſubſidium trahat, & demum in deteriora animus ipſe ruat. Illud autem maximum diſcrimen eſt inter juſtos & peccatores; juſti enim ſub poteſtate habent omnes malas appetitiones: concupiſcentia vero mala dominatur peccatoribus; & hæc eſt juſta retributio, ut dixit (*b*) Dominus ad Cainum: ſi bene egeris recipies. Ab Abel autem juſto uſque ad ultimum electum concupiſcentiæ dominium aperte elucet; quotquot enim juſti fuerunt apud omnes nationes, hujuſce veritatis ſunt teſtes; & multorum venerabilis memoria permanet, quamquam plurimorum virtus efferatur cum funere, illorum etiam, qui in ſublimi honorum atque dignitatum faſtigio vixerunt, ut omnium temporum experientia docet; manifeſtum quippe eſt, præclariſſimos Viros tractu temporis ab hominum memoria dilabi, & monumenta ipſa litterarum diem oblitterare; veræ autem juſtitiæ diſciplinam indeſinenter perſeverare; quod enim a Deo eſt æternum eſt, neque temporis voracitati ſubjacet.

Pro-

(a) *Ad Romanos cap. 7.* (b) *Geneſ. cap. 4.*

Digitized by Google

Profecto quæ hucuſque de Ethnicorum Philoſopo-rum placitis dicta ſunt, non adeo mirum videtur, ſi in multiplici errorum caligine a recta etiam morum diſcipli-na aberraverint. Illud quidem valde miramur, plures ex Hebræis, & ex noſtris Theologis, quamquam eis ſcripta Divinorum & naturalium præceptorum lex apertiſſime præluceret, in legis interpretatione adeo deflexiſſe a recto tramite, ut variæ inter Hebræos numerentur ſectæ, inter quas emicat falſa Phariſaica juſtitia: adſunt etiam plures noſtrorum Theologorum de morum diſciplina ſententiæ, quæ a ſummis Pontificibus anathemate feriri meruerunt. Cogitanti mihi, unde contingat, ut eruditi Viri aliquando in abſona & devia dilabantur, quamquam unum ſit, quod unice fieri deceat, aliam cauſſam excogitare haud potui, niſi quod mala concupiſcentia haud ſatis, uti par eſt, exploretur, & detegatur. Sæpe enim ſubrepunt pro virtutibus vitia proximitate fallentia. Inordinatus enim ſui amor aut alterius, caritatis interdum locum occupat: fru-galitatis, ſive temperantiæ avaritia: Zeli ſuperbia: corre-ctionis odium, ſive vindicta: humilitatis animi dejectio; & his ſimilia, quæ aliquam cum vera virtute ſpeciem præſeferunt.

Quæ cum ita ſint, jam a nobis peſpicuum factum eſt, moralis diſciplinæ firmitatem a Philoſophia, dubita-tionibus & contradictionibus ubique conſperſa, non eſſe profectam; ſed a Deo omnis veritatis fonte, ut libro ſe-quenti omnium Nationum conſenſione uberrime demon-ſtrabitur: & hoc loco referre ſufficiat, quod nomine Gen-tilium ſcribit Cœlius Secundus Curio, Præfatione ad Li-vium: Juſtitia, inquit, fides, pietas ex veterum monu-mentis ſunt humani generis vinculum; ſed in tanta re promovenda, Divino favore opus eſt primum, deinde homi-

hominum. A Deo aſſiduis omnium votis & precibus & vitæ ſanctimonia bona imploranda, & exoranda ſunt, ſine quo nihil boni inveniri poteſt. Quod ſi fecerint, in hujus felicitatis parte & gloria numerabuntur: ſi minus, Diis erunt & hominibus inviſi; præclare enim Heſiodus:

Felix qui rerum potuit cognoſcere cauſſas,
Et dubiis optata tulit ſolatia rebus.
Fortunatus & ille eſt, qui recta monentem
Audit, & inventis ponit veſtigia lætus:
Qui rebus non conſulit ipſe cadentibus ultro,
Inducitque animum voces contemnere veras,
Ille quidem inviſus Divis, & inutilis Orbi eſt.

CAPUT IV.

De humanæ animæ natura, & proprietatibus, an ejus notitia ab humani intellectus acie haberi poſſit.

EX omnibus rebus, de quibus diſputatio inſtitui ſolet, nulla gravior, majoriſque apud nos momenti eſſe debet, quam de humani animi natura & proprietatibus diſquiſitio. Licet enim homines animatos ſe eſſe ſentiant; quid tandem illud ſit, per quod vivant, per quod moveantur, ſentiant, intelligant, ac eligant, haud facile percipiunt. Ex antiquis, recentioribuſque Philoſophis non defuere, qui auxilio ſolius humanæ rationis oſtendere conati ſunt, humanam animam eſſe ſubſtantiam quandam ab omni materia ſejunctam, ſimplicem, ac propterea incorruptibilem, immortalemque, cogitandi, intelligendi, ratiocinandi, volendique facultatibus præditam.

Quo-

Digitized by Google

Quoniam vero in præſenti libro de Philoſophis inſtitutus eſt ſermo, exordiar a rationibus, quas in medium protulerunt, apud nos aptiſſimas, ad firmandam humanorum animorum immortalitatem. Præcipuæ rationes, a recentioribus adductæ, deſumtæ ſunt ex Platonis libro, qui eſt de animo, quaſque ſtrictim referam: ſi ſingulas enim recenſere velim, in immenſum fere protraheretur oratio. Præterea, ut alibi etiam monuimus, ratio ſuſcepti muneris poſtulat, oſtendendum eſſe, Gentium perſuaſionem de humanorum animorum immortalitate a Philoſophia non eſſe profectam; quod in præſenti libro demonſtrandum eſt ex oppoſitis inter ſeſe de hac re ſententiis, Philoſophorumque æternis diſſidiis. Unde autem hæc firma omnium nationum perſuaſio proceſſerit, in libro ſequenti omnium Gentium teſtimonio luculenter referabitur. Præcipuæ igitur rationes, de hac re a Philoſophis in medium productæ, ſunt: Quod ſemper movetur, æternum eſt, & quod ſe ipſum movet, nunquam deſeritur a ſe; quum habeat in ſe fontem, ac originem motus: æternum igitur eſt, quod ſe ipſum movet. Præterea animi ſubſtantia ſimplex, ſecretaque ab omni materia videtur; animus enim humanus in intellectuali actione nihil commune habet cum idea materiæ, quæ iners per ſe eſt; animus vero ſimplicitate ſumma agit, maximaque agilitate utitur; quæ omnia omnino aliena ſunt a communi idea materiæ. Quum autem momenta hæc ab aliis Philoſophis improbentur, horum argumenta proponenda ſunt; ut demum immortalium animorum veritas, ab adverſariorum momentis vindicata, hiſtorica ratiocinatione firmata, nulla ex parte nutare videatur, & inconcuſſa permaneat.

Variæ quidem hac de re Ethnicorum Philoſophorum ſententiæ fuerunt, ideoque plurimæ falſæ, ita tamen,

ut

ut & vera apud Ethnicos Philoſophos locum invenerit. Eas omnes brevi compendio complexus eſt Cicero: „ ſunt, „ inquit (a), qui diſceſſum animi ex corpore putent eſſe „ mortem, ſunt qui nullum fieri diſceſſum, ſed una ani- „ mum & corpus occidere, animamque cum corpore ex- „ tingui. Qui diſcedere animam cenſent, alii diſſipari, „ alii diu permanere, alii ſemper. Plutarchus recenſet eos Philoſophos, qui ſemper permanere animos tradiderunt; Ariſtoteles, inquit (b), in definitione animorum dixit; eſſe actum primum corporis naturalis, & inſtrumenti apti, vivendi facultatem habentis. Animus ſolus eſt ſeparatus, quicquid eſt; & hoc ſolum eſt immortale & ſempiternum. Plato ſubſtantiam mente præditam, a ſe ipſa mobilem, & quæ moveatur ſecundum numerum harmoniacum. Pythagoras, & Plato dixerunt: ratione præditam partem non interire: eſſe quippe animam non Deum, ſed Opificium æterni Dei: Brutam autem eſſe obnoxiam interitui. Thales primus dixit: animam eſſe naturam, quæ ſemper, aut a ſe ipſa moveatur. Pythagoras: numerum, qui ſe ipſum moveat; numerum autem ſumit pro mente. Hactenus excerpta ex Plutarcho. „ Alii „ autem Ethnicorum Philoſophi, inquit (c) Pfannerus, „ inter quos Pythagorei, animæ humanæ excellentiam „ agnoſcentes, ex univerſa mente divina nos delibatos „ habere animos dixerunt.

Antequam ultra progrediamur, ſcrutandum eſt, unde de animæ natura Philoſophorum errores proceſſerint. Primus Atheiſticæ ſectæ fuit, negare Dei virtutem creandi ex nihilo, ex quo ortum habuit nonnullorum Philoſopho-

pho

(a) *Apud Pfannerum cap. 17. 69. & 10.*
(b) *De Placitis Philoſoph. lib. 4. cap. 2. uſque ad 8.*
(c) *Cap. 5. de Creatione.*

phorum ſententia, nos e mente divina delibatos animos habere; & hoc pacto immortales animos dicebant, quod ſcilicet poſt diſceſſum a corpore univerſali principio unirentur. Altera erroris origo fuit, quod animus humanus, dum corpori mortali immixtus eſt, nunquam claram apertamque ſubſtantiæ ſpiritualis notionem habere poſſit. Quoniam enim fieri nequit, ut anima ſine ſenſuum adminiculo quidpiam intelligat; inde ſequitur, ut ſpirituales ſubſtantiæ, analogico quodam modo, veluti umbra quædam, aut fumus, ſive tenuiſſimus vapor, aut alia ſubtilior materia ſenſui interno repreſententur: unde fit, ut mens humana nequeat adeo ſe ſupra ſenſus attollere, ut ſubſtantiæ omni materia carentes intime percipiantur.

Propius igitur accedendo ad rem, de qua agitur; Laertius ſic (*a*) ait: Stoici autem, non quidem immortales animas, longævas tamen, neque corpori illico commori, arbitrati ſunt: animam etiam corpus, ſive corpoream eſſe, ac durare poſt mortem, eſſe tamen obnoxiam interitui. Plutarchus vero, loco ſupra citato, ſic loquitur: Stoici exeuntem e corpore animam ſimul cum concreto interire ſtatuerunt, eam ſcilicet, quæ ſit imbecillis: quales ſunt ineruditorum animæ. Validiores, quæ ſunt ſapientum, durare uſque ad conflagrationem. Hæc, quæ Laertius ſcripſit, diſerte explicat Seneca, qui, Martiæ Patrem defunctum loquentem introducens, poſtquam monuiſſet Mundum aliquando conflagraturum, ſubdit (*b*): „ Nos „ quoque felices animæ, & æterna ſortitæ, cum Deo viſum erit, iterum iſta moliri, labentibus cunctis & ipſi „ parva ruinæ ingentis acceſſio in antiqua elementa vertemur. Ethnicorum Philoſophi fere omnes animæ naturam ſcrutantes, ſupra materiæ ſubſtantiam ſe attollere

G haud

(a) *In vita Zenonis*. (b) *Epiſt. ad Martiam*.

haud potuerunt; quorum varias ſententias, a Plutarcho, libro ſupra citato, traditas, ſtrictim referam: Dicæarchus dixit, ſubſtantiam mente præditam, harmoniam quatuor elementorum: Aſclepiades Medicus coexercitationem ſenſuum: Anaxagorei corpus eſſe cenſuerunt, idque aereæ naturæ: Stoici ſpiritum calidum: Democritus igneam compagem partium, mente ſola perceptarum, quæ formis ſint globoſis, ignea vi, denique corpus: Epicurus: temperatum quidpiam ex quatuor qualitatibus, ignea, aerea, aquea, & alia cui nomen non ſit poſitum, quod ei erat, vis ſentiendi: Heraclitus animam eſſe exhalationem humidarum Mundi partium. Hactenus ex Plutarcho excepta. Tullius vero de animæ natura ſic (a) diſſerit: „ Anima ſit animus „ ignisve neſcio, nec me pudet fateri neſcire, quod ne„ ſciam. Illud ſi ulla alia de re obſcura affirmare poſſem, „ ſive anima, ſive ignis ſit animus, eum jurarem eſſe divi„ num. Et quidem ſi Deus aut anima, aut ignis eſt, „ idem eſt animus hominis. Nam ut illa cæleſtis natura, „ & terra vacat & humore; ſic utriuſque harum rerum „ humanus animus eſt expers. Sin autem quinta quædam „ natura ab Ariſtotele inducta, primum hæc & Deorum „ eſt, & animorum. Atque hæ ſunt præcipuæ veterum Philoſophorum ſententiæ, quæ de animorum humanorum natura in hoc, quem incolimus, Orbe vulgatæ fuerunt.

Agendum etiam eſt de Philoſophorum opinionibus, quæ, in altero Hemiſpherio prolatæ, ad nos pervenerunt. Picardus Sinenſium & Japponenſium doctrinæ diligentiſſimus ſcutator (b) refert: Quendam nomine Loachum, qui ſexcentos circiter annos ante Chriſti tempora natus, auditores ſuos primum docuiſſe, animos cum corporibus inte-

(a) *Lib. 1. Tuſcul. quæſt.*
(b) *Tom. 2. part. 1. de Sinenſ. & Jappon. relig.*

Digitized by Google

interire, voluptateſque, quæ corpore percipiuntur, ſummum eſſe hominis bonum. De Confucio autem, quadraginta annos a morte Loachuni nato, tradit: Hunc Philoſophum docuiſſe, hominum animas a ſubtilioris craſſiorisque materiæ concurſu ita componi ac coagmentari, ut ex utraque conſtituantur; hinc ſponte conſequitur, animas cum corporibus interire. Confucii doctrina a quodam Sciuto Japponenſibus delata; auditores ſuos docuit de duplici materia, ex qua coagmentatæ eſſent animæ humanæ; verum addidit, Mundi animam, ideſt Spiritum Univerſalem e ſubtiliori materia conſtantem, in quaslibet Mundi partes diffundi, eaſque intime pervadere, atque ab hoc Spiritu corpora animari, a quibus quum receſſerit, cum anima univerſali iterum conjungi; quemadmodum aquæ ad mare profluentes, unde fluxere, mirabili circumvectione revertuntur. Hæc fere fuit nonnullorum Philoſophorum noſtri Hemiſpherii ſententia, qui ex repetita conjunctione cum anima univerſali animorum immortalitatem intelligebant. Eo reſpiciens Virgilius ſic (a) canit:

Eſſe apibus partem divinæ mentis, & hauſtus
Æthereos dixere: Deum namque ire per omnes
Terraſque tractuſque Maris Cœlumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, Viros, genus omne ferarum
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.

Ex falſo quidem principio, quod in rerum natura non detur alia ſubſtantia, niſi materialis, in tot abſona & devia Ethnicorum plurimi iverunt; & conſequens erat, ut ſoluta hac partium compage, interire animas exiſtimarent. Alii vero Ethnicorum Philoſophi, qui animum hominis particulam Divinitatis eſſe dixerunt, & ex mente di-

(a) *Lib. 4. Georg.*

divina nos delibatos animos habere, quum comprehendere haud poſſent, Deum ex nihilo poſſe alias ſubſtantias creare, inanem immortalitatem induxerunt. Idcirco Auguſtinus ad Varronem ſic (*a*) loquitur: „ Anima tamen „ tua tam docta & ingenioſa (ubi te multum dolemus) „ per hæc myſteria doctrinæ ad Deum ſuum, ideſt a „ quo facta eſt, non cum quo facta eſt, nec cujus portio „ eſt, ſed cujus conditio eſt; nec qui eſt omnium anima, „ ſed qui fecit omnem animam. Hunc errorem Ethnicorum diſerte Clemens Alexandrinus (*b*) refellit: Niſi quis, inquit, ipſam ejus partem eſſe, & eſſe nos ejuſdem cum Deo eſſentiæ auſit dicere. Neſcio autem quomodo quis, qui Deum novit, æquo hoc audire animo poſſit, reſpiciens ad noſtram vitam, in quot verſamur malis. Sic enim fuerit, quod nefas eſt dicere, Deus peccans in ſingulis partibus, ſiquidem partes ſunt totius partes, & totum complent, ſin autem non complent, ne partes quidem fuerint. Apud Ciceronem eundem fere in modum Vellejus: Pythagoras, inquit, qui cenſuit (Deum) animum eſſe per naturam rerum intentum, & commeantem, ex quo noſtri animi caperentur, non vidit diſtractione humanorum animorum diſcerpi, & dilacerari Deum; & cum miſeri animi eſſent, quod pleriſque contingit, tum Dei partem eſſe miſeram, quod fieri non poteſt. Verum partem divinæ naturæ non in hominibus modo, ſed & omnibus animalibus, immo quibuſcumque vegetabilibus poſuiſſe, quod ſine ſumma profanatione perfectiſſimæ naturæ divinæ quiſquam admiſerit. Bonum igitur pulchrumque animæ in eo conſiſtit, non quia portio Dei, ſed quia Deo ſit ſimilis. Hactenus egregie Clemens.

Epi-

(a) *Lib. 7. cap. 5. de C. D.* (b) *Strom. lib. 2.*

Digitized by Google

Epicurus totus in eo fuit, ut rationes a Platone adductas pro firmanda animorum immortalitate refelleret; deinde ſuam ſententiam exhibens, dixit: animum eſſe temperatum quidpiam ex quatuor elementis; propterea hac partium compage ſoluta animum interire. Hinc ad Monovecum ſcribens hæc habet: Illud aſſueſce, ut exiſtimes, nihil ad nos mortem pertinere, quoniam omne bonum in ſenſu verſatur: eſt autem mors privatio ſenſus. Itaque recta ea cogitatio, qua mortem nihil ad nos pertinere intelligimus, vitæ mortalitatem jucundam reddit, non infinitum illa quidem tempus adjiciens, ſed immortalitatis deſiderium adimens. Nihil enim grave in vita eſt, qui nihil eſſe, in non vivendo, grave vere perceperit. Ergo vanus eſt, qui ſe non ideo timere mortem dicit, quod allatura dolorem ſit præſens, ſed quod futura dolorem afferat, quod enim præſenti non affligamur, id exſpectatum inaniter angit. Mortem ergo malorum omnium maxime horribile, nihil ad nos pertinere, quoniam dum nos fuerimus, mors non eſt: Cum mors adfuerit, nos non ſumus. Cui Epicuri opinioni aſſentiri videtur (*a*) Seneca, qua in re dixit: Hoc erit poſt me, quod ante me fuit. Lucretius autem Epicuri diſcipulus & aſſecla, Præceptoris ſui ſententiam integro libro confirmare conatus eſt. Opinionem hanc Epicureorum intereuntis animi cum corpore amplexati ſunt ex Hebræorum gente Sadducæi, qui, teſte (*b*) Flavio, animos ſimul cum corporibus extingui putarunt: nec poſt hanc vitam præmium, aut pœnam exſpectant; quorum tamen, inquit, opinionem pauci admodum adoptarunt. Porro hæc opinio, ut Voſſius (*c*) refert, cœpit poſt Magni Alexandri tempora, cui

(a) *Epiſt.* 54.
(b) *Antiq. Judaic. lib.* 18. *cap.* 2.
(c) *Lib.* 1. *cap.* 10.

cui occaſionem dedit Antigonus Sochæus, cujus diſcipuli fuerunt Sadoc, & Baithos. De Sadducæorum vero ſecta plura S. Philaſtrius (*a*) tradit; nos præcipua deſcribemus: Secundum carnem æque ſolum prædicant vivendum, circumcidendum, baptizandum. De lege autem Domini non aliud exſpectant, Epicureorum dementiam potius, quam divinæ legis jura ſectantes. Hanc Sadducæorum opinionem ad Samaritanos etiam idem S. Doctor tranſiſſe teſtatur.

Quum autem, ut ſupra diximus, præcipuum Philoſophorum argumentum, ad firmandam ſententiam immaterialitatis & immortalitatis animi humani, illud ſit, quod vivat, ſe ipſum moveat, intelligat, ratiocinetur; quæ omnia ſimpliciſſimæ ſubſtantiæ, a conceptu materiæ diverſum oſtendunt. Profecto rationi ita concluſæ illud adverſari videtur, quod quum bruta non vivere modo, & ſe movere, ac aliquo modo intelligere, & ratiocinari videantur; ex illo principio quod plus & minus ſubſtantiam non mutet, concludunt, dicendum eſſe, ipſa quoque bruta immortali conſtare animo; at ubi hoc repudietur, dicendum foret, animum quoque hominis corporeis conſtare partibus, & eſſe mortalem. Recentiores Philoſophi ut huic objecto occurrerent, & ab hoc intricatiſſimo nodo ſe extricarent, variis modis ingenia ſua contraxerunt, & in omnes animorum ſpecies verſarunt, ut funditus & intime cognoſcerent, unde vita & brutorum ſenſus originem ducat. At ecce tricæ, ecce ſaltus e quibus tantum abeſt, ut ſola Philoſophia duce emergere poſſint, ut magis magiſque implicentur, quamquam nullum non moveant lapidem, ut ſubſtantiæ diſcrimen inter hominum beſtiarumque animos inveniant. Illud autem hic

(a) *De hæreſ. num.* 4.

Digitized by Google

hic adnotare placet, non anxie laborandum eſſe, in quærendo hoc diſcrimine inter humanas brutaſque animas; licet enim quadam affectionum communione ac ſimilitudine utræque vivant; maximum tamen diſcrimen illud videtur, animas humanas ad finem altiſſimum fuiſſe creatas, capaceſque altæ contemplationis effectas; omnia autem cætera animata & inanimata hominum gratia creata videantur; propterea divinæ providentiæ conſentaneum erat, ut hominum animi, ſicuti ſpe, ita & immortalitatis privilegio gauderent. Quum autem reliqua animalia, penitus religione carentia, quidquid ſit, quod illa animat, ad ſubeunda viliora ſæculi hujus officia a divino Opifice condita, neque Dei cognitione, neque pietate erga Deum, neque immortalitatis ſpe gaudeant, nihil intereſt, ſi illorum animæ cum corporibus extinguantur.

Aliorum opinio fuit, teſte (a) Philaſtrio, hominum animas ita nunc appellari, quæ ante Spiritus vocabantur, & erant in Cœlo; poſtea autem, quia terrena deſideraverunt, diſceſſiſſe de Cœlo, & ex eo animas nuncupatas arbitrantur. Horum Philoſophorum ſententiam amplexatus eſt Origenes contra Celſum, ubi inquit: Ante intellectus vocabatur Spiritus. Intelligentes, ſive Intelligentias in Cœlo vitam duxiſſe primum, deinde prolapſas in peccatum, ut pœnas darent, detruſas in corpora; hæc & Platonicorum fuit opinio. Hinc V. Cl. Galeardus, ibi in notis Origenis, Auguſtini aliorumque clarorum ſcriptorum monitum ſequens, animadvertit, Philoſophorum libros caute eſſe legendos. Supereſt, ut recens Spinoſæ inventum exponamus. Hujus Philoſophi ſyſtema eſt: multiplicem ſubſtantiam dari poſſe negat; putat materiam ſolam, unam rerum omnium eſſe ſubſtantiam, nullo pacto veræ

(a) *De hæreſ. num.* 99.

Digitized by Google

veræ diviſioni obnoxiam ; propterea quidquid in infinita hac rerum varietate diviſum apparet , revera tale non eſſe , ſed deceptionem & ludificamentum eſſe oculorum. Cogitationes quoque hominum puras illuſiones eſſe autumat ; neque in hominibus ineſſe vult agendi libertatem, quam ſimiliter ab illa univerſali ſubſtantia aufert. Quanta errorum ſeges ex hoc ſyſtemate oriatur nemo non videt, de quo paulo infra erit ſermo. Hæc ſunt miracula & portenta impiorum Philoſophorum , non diſſerentium , ſed ſomniantium.

Alii vero Philoſophi hiſce variis opinionibus implicati, de immortalitate animorum dubitare cœperunt. „ Atticus quidem , inquit (*a*) Tullius , delectari ſe fatetur „ in ea (ideſt ſententia) quæ ſpem affert , docetque poſſe „ animos , quum a corporibus exceſſerint , in Cœlum , „ quaſi in domicilium ſuum pervenire : quod etiamſi ita „ futurum non ſit , ſibi tamen perſuaderi vellet ; quam ob „ rem evolviſſe , ait , diligenter , & quidem ſæpius , Platonis librum , qui eſt de animo : ſed neſcio , ſubdit , „ quomodo dum lego , aſſentior : cum depoſui librum , „ & mecum ipſe de immortalitate animorum cœpi cogitare , aſſenſio omnis illa elabitur. Aliam ambigendi rationem exhibet Plinius. „ Omnibus , inquit (*b*) , a ſuprema die eadem, quæ ante primam : nec magis a morte ſenſus ullus aut corpori aut animæ , quam ante natalem. Ubi cogitatio illi ? Quomodo viſus ? auditus ? aut „ quid agit ? Qui uſus ejus ? aut quod ſine his bonum ? „ Quæ deinde ſedes ? Quantave multitudo tot ſæculis „ animarum velut umbrarum ? Noſtro quoque ævo prodiere quidam, qui Pyrrhonis ſectæ nomina dantes , nihil de re tanta adſtruentes , aliorum tantummodo argumenta

(a) *Quæſt. 1. Tuſcul. lib. 1* (b) *Lib. 7. cap. 55.*

Digitized by Google

ta eludentes, improvidorum mentes dubitationibus impleverunt; libriſque evulgatis exquiſita eruditione refertis, impii ſcepticiſmi ſemina in Italiam quoque noſtram, malo fato, importarunt; qui quum in mentes non ſatis edoctas, nimiumque curioſitati addictas ciderint, corruptiſſimam frugem gignunt.

Ex hactenus dictis manifeſtum eſt, Gentium de immortalitate animorum perſuaſionem a Philoſophia non eſſe profectam; ſed ex adverſo Philoſophantium alii in impietatem, alii in ſcepticiſmum abierunt: immo mirum videtur, populos, contradicentibus iis qui Sapientes vocabantur, in primigeniæ Traditionis doctrina permanſiſſe; tanta enim divinitus ſoliditate omni ævo munita fuit, ut eam impia unquam corrumpere pravitas, nec Ethnica Philoſophia potuerit labefactare, ut in contextu hujus operis uberrime demonſtrabitur. Verum doctrina a primæva Numinis Traditione profecta, ea eſt, quæ omnino ſedat Philoſophantium lites; ea enim admiſſa deſinit Philoſophus fluctuare ſuper animorum noſtrorum immortalitate, utpote quæ eſt inter ſubſidia naturæ; hoc filo ductus, videt rationem connexi inter divina & humana; hinc ab animo ſtirpitus evellit fibras omnes dubitationis, quas in improvidorum mentibus ſpecioſa Philoſophantium argumenta defixerant. Neque miramur, ſi plurimi Ethnicorum Philoſophi, re de qua agitur, in tot devia abierunt; animadvertit enim (*a*) Auguſtinus „ humanis argumentationibus hæc invenire conantes, vix pauci magno præditi ingenio, abundantes otio, doctriniſque ſubtiliſſimis eruditi, ad indagandam ſolius animæ immortalitatem pervenire potuerunt.

(a) *De Trinit. lib. 13. cap. 4.*

CAPUT V.

De Phyſica facultate: quam dubia & fallax ſit, in explicandis rerum cauſſis naturalibus.

QUum de omnibus Philoſophiæ partibus ſermo inſtituendus ſit, ordo poſtulat, ut de ea quoque parte diſſeramus, quam Phyſicam recentiores dicunt. Ab inſtituta diſputatione alienum quibuſdam fortaſſe videbitur, habere ſermonem de cauſſis, quæ in abdito naturæ deliteſcunt. Qua de re conſilii mei aperiam rationem. Antiquiſſimi Philoſophorum ad naturales & neceſſarias cauſſas nunquam acceſſerunt; eorum enim mens erat, cauſſam cauſſarum inveſtigare. Nonnulli autem in hac diſquiſitione defecerunt, in materiæ regno, ſive in hoc Orbe ſpectabili primam cauſſam quærentes; propterea in phantaſmatibus ludentes, fœde erraverunt. His poſteriores ſunt, quibus Phyſicorum nomen fuit inditum; diverſo a prioribus inſtituto; quoniam hi non primam cauſſam in hoc Univerſo quærunt, ſed occultas naturæ cauſſas, quæ in hoc Orbe deliteſcunt, ac mutationum, & ordinis effectrices ſunt, ut ſcite animadvertit (*a*) Pfannerus. Mens itaque mea eſt, præoccupatione quadam legentes monere, ne tam facile Philoſophantibus fidem habeant, ut qui animis, nulla unquam arte conciliandis, tum de Phyſica, quam rationalem vocant, tum de illa, quæ ab experimentis pendet, inter ſe perpetuo digladiantur: multoque minus fidem habeant Philoſophis, quum ſola humana ratione, de divina natura ejuſque attributis agunt; non ullis unquam percepta ſenſibus, quæque ſunt a reliquarum ſpecie diſſimillima.

Æter-

(*a*) *Cap. 5. § 3.*

Digitized by Google

Æterna Phyſicorum diſſidia erudite V. Cl. Anſaldus (*a*) collegit, quæ ſtrictim referam, quum nemo eruditorum hujus ævi ignoret oppoſitas inter ſeſe Phyſicorum ſententias. Exſtitere quidem magni naturæ interpretes, Galilæus, Carteſius, Gaſſendus, Newtonus, Borellus, Leibnitius, aliique plurimi: quid autem profecerint in detegendis naturæ arcanis, eorum judicium eſto, qui contra ſenſere. Hoc ſane certiſſimum eſt, eorum inventa aliquandiu obtinuiſſe, & placuiſſe, cum nova proferuntur: at illis recentiora ſuccedentia, de medio priora ſuſtuliſſe: neque meliore fato, quæ ſucceſſere duratura. Volumina voluminibus opponant, factiones factionibus: omnia ſollicitent, turbent, miſceant, non ſolum ex eorum dictis nihil certi, conſtitutique erui poteſt; ſed ex eorum inſita pugnandi libidine, cuncta nutant, & ubique fucum faciunt veritati. Quis enim de principio ac progreſſione motus: quis de ventorum cauſſis, de fontium origine, de maris modo creſcentibus, modo decreſcentibus aquis recte adeo, vereque diſſeruit, ut non ab alio rejectus fuerit? Atque his adde, quæ de Cœlorum, cœleſtiumque corporum magnitudine, de Solis, ac Terræ ſitu, de horribili ejuſdem Terræ concuſſione: de tonitruis, fulminibuſque, de mirabili vi magnetis, deque ſexcentis aliis tradita fuere; quæ quidem ita abdita, humaniſque mentibus adeo impervia, ut nemo unus veritatem ab aliis Philoſophis probatam attigerit. Propterea recentiores plurimi, agnoſcentes certitudinem aliquam a Phyſica rationali haberi non poſſe, toti in experimentis fuere, unde chimicæ illæ vulgatæ ſubſtantiæ: tametſi neque illa methodus rebus omnibus naturalibus cognoſcendis apta certaque dicenda ſit: ut enim Chawino animadverſum in Lexico, inveni-

(a) *Lib.* 1. *num.* 21. *de Tradit.*

ri vix aliqua experimenta pro hypotheſi, quin pro altera ſtatim haud ſuppetant contraria ab aliis auctoribus relata. Hactenus Anſaldus.

Profecto variæ opiniones, in quas abeunt communiter Philoſophi circa materias Phyſicas, quanta in iis ſtabiliendis difficultas occurrat, ſatis ſuperque evincunt, conjecturis potius ut plurimum agendum eſſe, quam demonſtrationibus teſtantur. Quare mirum non eſt, quod antiquæ Sectæ repullulent identidem, & ex cineribus antiquatæ jamdiu opiniones in novæ Philoſophiæ placita coaleſcant. Quæcumque ex his ruderibus eruta nomen aliquod ſibi facere his temporibus conata ſunt, contraria licet inter ſe, in hoc tamen placito conveniunt, quod motum localem, tamquam præcipuum mutationum principium agnoſcant: mirum tamen quam altum de motus localis natura & proprietatibus ſilentium, ita ut vix tradita adumbrata ejus notione, nullam continuationis motus rationem aſſignent. In hunc præcipue lapidem impegiſſe videtur Cartheſiana hypotheſis, quæ cum materiam uniformem, ut ubique ejuſdem rationis, atque adeo ad motum & quietem indifferentem ſtatuat, eique in cubos diviſæ motum circularem a Deo imprimi velit, cum ea ſtabili lege, ut eadem motus quantitas in Mundo perſeveret, nec in uno corpore motus deſinat, quin alteri communicetur, non aſſignans hujus continuationis principium, omnia denſiſſimis tenebris obvolvat. Illud autem fatendum eſt, Phyſicam ſive rationalem, ſive experimentalem, plurimas abditas naturales cauſſas reſeraſſe. Hujus facultatis utilitas in Medicina rationali ſyſtematica potiſſimum elucet. Verum & Matheſis ſcientia cum Phyſica facultate, præcipue experimentali, conjuncta, nonnulla naturæ arcana aperuit: Alia autem tamquam incerta tradun-

duntur, quamquam cum Matheſi conjuncta videantur. Inter cæteros eruditiſſimus Mazinus, publicus in Patavino Gymnaſio Medicinæ Profeſſor celeberrimo opere (*a*), in quo potiores ſenſibiles affectiones, paſſiones, vires, motus, ac corporum ſenſibilium morbi mechanice demonſtrantur: idem doctiſſimus Auctor tranſit ad conjecturas Phyſico-Medico-Hydroſtaticas, tanquam dubias, & nondum ſatis cognitas, ubi (*b*) ſic ait: In obſcuris ac difficillimis naturæ Myſteriis Philoſophorum mentes, quantumvis præſtantiſſimæ, ſæpe ac ſæpius tam alta caligine obvelantur, ut horum judicia incerta ſint atque dubia. In hujuſcemodi rerum genere deficiunt data, vacillant theſes, ſolummodo hypotheſes ægre ſuſtinent occulta naturæ opera, quæ anxie poſtulantur. Hinc variæ hominum ſententiæ, aliquando ancipites ortæ ſunt. Interim opera naturæ multiplici ratiocinio agitata & ſuccuſſa, nunquam cognita, nec juſto acquiſita, adhuc remanent incerta, inpoſterum acquirenda, veritate deſiderata.

Profecto mentis acies in quærendo inutilia, fere omnino obtuſa videtur; dum autem ſe excutit in rerum utilium diſquiſitione, altiſſimæ contemplationis veritatiſque capax videtur, quod in vera, non autem mixta Matheſi potiſſimum elucet. Attamen non defuerunt eruditi Viri, qui hujus facultatis initia inficiari conati ſunt. Idcirco Huetius (*c*) inquit: Principia geometrica Academici repudiant; repudiant & Sceptici, multaque iis confutandis ſubtiliter & erudite diſſerunt. Democritus adverſus demonſtrationes acriter decertavit, iiſque Canones ſuos oppoſuit. Plurima adverſus eaſdem collegit Sextus Empiricus. Ratiocinandi artem aſpernatus eſt Seneca,

&

(a) *Tom. 2. part. 1.*
(b) *In Exord. tom. 3.*
(c) *In Præfat. demonſtr. Evang.*

& ante eum Epicurus, qui & Geometriam, & reliquas artes mathematicas, utpote ab initiis non veris profectas, veras eſſe non poſſe docebat: id perſuaſit Polyæno Lampſaceno familiari ſuo, magno mathematico; idemque ex mente Epicuri pronunciat L. Torquatus apud Ciceronem; pronuntiat & Ariſtotelis interpres Simplicius. Alia via adverſus Geometriam graſſabatur Zeno Epicureus, imperfecta ejus eſſe docens initia, unde nihil effici poſſe, niſi alia quædam adjicerentur, quæ in iis prætermiſſa ſunt: quam ejus ſententiam toto libro confutare conatus eſt Poſſidonius. Quamquam & alii prodierunt ſubinde, a quibus querela eadem inſtaurata eſt. Quin etiam a mathematicis nonnullis in controverſiam vocata ſunt Geometriæ principia, ut oſtendam deinde, eaque oppugnavit acriter Hobbius Anglus. Ita erudite Huetius. Nuperrime autem Milliet de Chales, eruditiſſimus in Matheſi Vir, ad trutinam revocavit ea, quæ ad labefactanda Matheſis principia, hactenus Philoſophi jactaverunt. In primis omnium, (a) inquit, Princeps geometra Euclides, firmiſſima hujus ſcientiæ fundamenta ponens, ſic ait: Punctum eſt, cujus pars nulla: Linea eſt, quæ percipitur generari ex fluxu puncti: Superficies eſt, quædam quantitas longitudinem & latitudinem habens ſine profunditate. A definitionibus autem ad poſtulata tranſiens, aſſerit: a quovis puncto ad quodvis punctum duci poſſe lineam rectam. Inter axiomata vero hæc ponit: Quæ uni tertio ſunt æqualia, & inter ſe æqualia dicuntur; & quod æqualium majus eſt, aut minus, majus etiam eſt, aut minus altero æqualium. Indiviſibile autem, ſeu punctum mathematicum illud eſt, cujus pars nulla: nempe quod ita ſine partium diſtinctione concipitur, ut men-

(a) *Geomet. lib. 8.*

Digitized by Google

mente una ab alia non diſtinguantur, ſive partes revera habeat, ſive non, parum intereſt. Hanc puto puncti mathematici genuinam eſſe definitionem, quod a Zenonico bene diſtinguit Matheſis, ne ſe difficultatibus & opinionibus philoſophicis inutiliter implicet. Non ergo puncta Zenonica admittit hæc methodus, quæ apertam ſecundum multos contradictionem involvunt, aut ex eorum ſuppoſitione aliquid demonſtrat, ſed tantum ex mathematicorum punctorum ſuppoſitione, quæ nullus, ſi modo terminos penetret, negare poteſt, figurarum æqualitatem, aut inæqualitatem concludit. Punctum ergo mathematicum eſt quæcumque quantitas, ita concepta, ut partem ejus aliam ab alia non diſtinguamus. Unde liberum eſt cuique, quamcumque quantitatem ut punctum mathematicum aſſumere, beneque procedent mathematicæ demonſtrationes, ſi facta ea ſuppoſitione nulla committatur aberratio, quæ illud punctum aſſumtum adæquet. Linea finita numerum certum punctorum continet in qualibet ſuppoſitione; quia tamen fieri poſſunt aliæ atque aliæ ſuppoſitiones, in quibus partes minores & minores aſſumentur, ideo poſſunt plura & plura puncta cogitari. Hæc explicatio praxi communi conformis eſt; cum enim ad praxim deſcendimus, volumuſque ex. gr. ſuperficiem metiri, longitudinem per latitudinem multiplicamus, eaſque in hexapedas dividimus, & tunc hexapeda quadrata nobis eſt punctum mathematicum, & ſufficit nobis, ut non aberremus una hexapeda. In eo igitur ſenſu vocem indiviſibilis intelligo, nec inquiro, an ſit vox propria, nec ne; plures enim invenio, qui hujuſmodi methodi titulum reprehendunt, ſed modo de re inter nos conveniat, facile omnis de verbo controverſia dirimetur. In eodem ſenſu accipiendæ ſunt iſtæ voces, linea, & ſuperficies; quæcum-

que

que enim longitudo, cujus latitudo non conſideratur, aut non diſtinguitur in ſuas partes, dicitur linea mathematica, & fluxus puncti mathematici, majorem aut minorem realiter obtinens latitudinem, prout punctum primo aſſumtum majus aut minus fuerit; quod pendet ex operantis arbitrio, majorem aut minorem in ſuis operationibus accurationem exigentis. Similem ſenſum admittit hæc vox, ſuperficies, quæ licet ſine ulla craſſitie intelligatur; nulla tamen exſiſtit, quæ profunditatem non habeat. Quare quodcumque propoſitum corpus ſolidum intelligere poſſum in ſuperficies diviſum, uni certæ paralellas, craſſitiem quidem aliquam habentes, ſed indiviſibiliter ſumtam. Ita præclare de Chales. Celeberrimus etiam D. Guidus Grandi Matheſis Profeſſor, Epiſtola ad ampliſſimum Cardinalem Quirinum, inter cætera inquit: „ Geometrarum Principi ſuam laudem relinquendam eſſe, „ qua per tot ſæcula conſtantiſſime fruitur; quod ſcilicet „ abſque omni penitus erroris, aut paralogiſmi nota, ele„ menta ſua conſcripſerit; in quibus etſi majorem nonnulli „ claritatem, brevitatemque deſideraverint, vitium tamen „ nullum, quod veritati aut ſoliditati ejus demonſtrationum „ officeret, eſt deprehenſum. Quæ cum ita ſint, Matheſis, quæ revocatur ad praxim, in dubium vocanda non eſt; propterea inconcuſſa principiorum ſoliditate gaudere. Illud enim manifeſtum eſt, univerſam Matheſim habere ad vitæ cultum uſum maximum. Profecto a Geometria diviſio telluris pendet: a Geographia Orbis terrarum cognitio, omniumque regionum deſcriptio, quæ ita cum aſtronomicis principiis connexa eſt, ut ab iis divelli & ſeparari haud poſſit, quod maxime liquet ex uſu Sphæræ armillaris. Uſus quoque aliarum Matheſis partium adeo communis eſt, ut hunc probare velle inutilis labor futurus ſit.

Pro-

Digitized by Google

Profecto ut tandem ab inſtituta diſquiſitione emergamus, animadvertendum eſt: Recentiorum Philoſophorum plurimos Phyſicam facultatem cum Matheſi nectere totis viribus conatos eſſe, inſtituendo quæſtiones, Phyſico-Mathematicas nuncupatas. Alii autem laudabiliter decertarunt, ut Medicinæ artem Matheſis ope illuſtrarent: alii vero, curioſius inquirendo, obſcura & inutili diligentia, abditas in natura cauſſas Mathematica methodo inveſtigaverunt. Mechanicæ quidem & Hydroſtaticæ Matheſis partes haud parum Medicinam illuſtrarunt, plurimorumque morborum initia, Matheſi duce, detecta ſunt. Alii vero inutilia inveſtigantes, quanto plus laboraverunt, tanto minus invenire potuerunt; decipit enim vana ſciendi cupiditas, mentemque in errorum caliginem conjicit. Verum quamquam homines ad exactam omnium Phyſicarum cauſſarum cognitionem pervenirent, quid, quæſo, hujuſmodi ſcientia prodeſſet; qua tamquam calamiſtro ornati dicerentur, nullo tamen modo meliores, aut Orbi utiles redderentur? Illud igitur potiſſimum omnium munus eſſe debet, ut vere utilia inveſtigemus, & ſolliciti ſimus tum de præſenti, tum maxime de vita futura; propterea nihil intereſt, circa cauſſas Phyſicas errare, aut ſcire, aut omnino neſcire; harum quippe ſcientia, ſive errore, ſive ignoratione, nulla utilitate, aut detrimento afficimur. Quamobrem, ut probe mentis acies exerceatur, utiliſque reddatur contemplatio noſtra, ex illa rerum utilium congerie ea capita ſeligenda ſunt, quæ non modo præſtantiora videntur, ſed & menti noſtræ aptari exacte poſſunt, quibus meditandis operam ſtudiumque maxime impendamus, ne aut vana cogitatione vis animi diſſipetur, aut in materia inutili verſati, poſt aliquot annorum lucubrationes, vitamque exhauſtam, nos multum in nugis profeciſſe comperiamus.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De ea Philoſophiæ parte, quæ naturalem Theologiam complectitur.

QUæ hactenus a nobis de Philoſophis dicta ſunt, non in eum finem protulimus, ut inanis gloriæ vento inflati, nomen Eruditi hominis captaremus, ſed ut legentium mentes anticipatione quadam ad capeſſendam primigeniæ Traditionis neceſſitatem diſponerentur; quum enim Philoſophia inepta viſa ſit in inveſtigandis iis, quæ ipſius humanæ naturæ videntur propria, aliiſque rebus, quæ ſub ſenſus cadunt, quanto magis fatendum erit, ineptam eſſe ad comprehendendam, ſola humanæ mentis acie, ineffabilem Dei naturam, infinitaque ejus attributa, ut in Deo vere ſunt, percipienda. Quotus enim quiſque eſt, qui immenſum capiat, infinitumque circumſcribat? Propterea quod immenſum eſt, ſoli ſibi notum eſt, id quod eſt; hinc nunquam cogitationis hominis Divinum eſt ſimile; quoniam natura Dei ab omni viſibili ſpecie eſt diſſimillima.

Veritatem hanc nonnulli Ethnicorum prudentiores probe agnoverunt, de quibus aptiori loco erit ſermo; & nunc referre ſufficiat, quod ſcribit Cicero de Simonide (*a*): „ Ille enim ab Rege Hierone interrogatus, „ quis aut qualis eſſet Deus? Deliberandi cauſſa, ſibi diem „ poſtulavit: quum idem poſtridie quæreret Hiero, biduum „ petivit: quumque ſæpius numerum dierum duplicaret „ Simonides, admiratus Rex, quæſivit, cur ita faceret? „ tum ſerio Simonides: quia, inquit, quanto diutius co- „ gito, tanto magis res obſcurior videtur. De Deo enim duo conſideranda ſunt; ſcilicet, quod Deus exſiſtat, & quid

(*a*) *Lib. 1. de N. D.*

quid ſit Deus. Quod ad primum attinet, neminem fere de exſiſtentia Dei (utar voce Philoſophorum) dubitaſſe video, quum impii ipſi, de quibus erit ſermo, unum aliquod principium, cujus nulla ſit origo, & a quo omnia, & in quo ſint omnia, admittant. In diſquiſitione autem naturæ & attributorum Dei fere omnes Ethnicorum Philoſophi enormiter erraverunt. Profecto manifeſtum eſt, illos haud dubitare de exſiſtentia Dei, qui de illius natura attributiſque inquirunt. Variis quidem nominibus apud Gentes Deus appellatus eſt. „ Stoici, teſte (*a*) Laertio, Deum, & Mentem, & Fatum, & Jovem, unum „ atque idem eſſe ajebant: quem aliis quoque nominibus „ Ethnici appellare conſueverunt. Quamquam enim apud Gentes unus eſſet Deus ſummus, ad cujuſque tamen arbitrium plura ei nomina, ex diverſis Dei attributis, imponi poſſe, ſcripſit (*b*) Seneca: „ Quoties voles, inquit, „ tibi licet aliter hunc auctorem rerum noſtrarum com„ pellare: tot appellationes ejus poſſunt eſſe, quot munera.

Videndum itaque eſt, quid de Natura Dei ſcripſerint Ethnicorum Philoſophi. G. Voſſius, diligentiſſimus plurimarum Gentium ſcrutator, ſic (*c*) ait: Antiquiſſimi Philoſophorum agnoverunt Mentem infinitam, Mundi Opificem. Longeque clarius comprehenderunt Gentiles, Deum eſſe omnibus numeris abſolutum; ſic ut nihil in eo ad perfectionem deſideretur. Nec enim erat operoſum videre, quidquid in Mundo, ac homine in primis boni eſſet ac præclari, id longe illuſtrius ineſſe Deo; propterea quod quæ virtus in inſtrumentali cauſſa eſt, ea in principali modo nobiliori inſit oportet. Verum enim vero cum gentes etiam efferæ, nec multum ſollicitæ de rerum natu-

I 2 ra,

(a) *Laert. in Vita Zenonis.* (b) *De Benef. lib. 4. cap. 7.*
(c) *Lib. 1. cap. 1. 2. & 3.*

ra, Traditione ſola, vel pene ſola hæc cognoſcerent: aliud his acceſſit nationibus, quæ humanitatem minus exuerant; Mundi enim conſideratione ita ſunt firmatæ, ut liquido viderent, certiſſima ratione eſſe ſubnixa, quæ Traditione accepiſſent. Nimirum cernebant ſingula & ſenſu prædita, & ejus expertia, animata pariter & inanima certum ob finem agere, aliaque ad alia referri. Nec enim terram propter ſe vel Sol calefacit, vel nubes irrigant, nec ipſamet terra, vel tepefacta a Sole, vel madefacta pluvia, ſui gratia herbas ac fructus gignit, ſed propter muta animantia, ac hominem in primis, qui mentis altæ capax cæteris dominatur; quod gentilis etiam Poeta agnovit initio operis, ut ipſe appellat, de formis in nova corpora mutatis. Hæc ſine conſilio eſſe non poſſunt; quod ſi aliter eſſet ſingula raro, non ſemper ſuum adipiſcerentur finem. Alius igitur eſt, qui hanc rerum univerſitatem moderatur. Neque hæc ſolum oſtendunt, eſſe quempiam, qui mundum hunc nutu ſuo temperet; ſed liquido etiam teſtantur, eumdem eſſe Architectum Univerſi; ſiquidem omnia & ſingula ſunt propter finem, ut quæ naturam habeant tum ſingularis boni appetentem, tum univerſali ſic naturæ innexam; ut particulare bonum referant ad bonum Univerſi. Hæc tam clare relucebant, ut quin vera eſſet illa omnium gentium traditio, de Deo Univerſi conditore & moderatore minime potuerit dubitari. Hinc Socrates dixit: meus liber eſt, o Philoſophe, natura rerum a Deo conditarum. Anaxagoras univerſitati, non fortunam, neque fatum, ordinatæ deſcriptionis principium, ſed mentem puram, ac ſinceram præfecit, ab iis omnibus admixtis ſimiles particulas ſecernentem. Ariſtoteles ait: Mentem motum produxiſſe, ac partes ſecerniſſe: Nec primus e Philoſophis Anaxagoras Deum mundi agnovit Opificem; nam & Jonicæ Phi-

Philoſophiæ conditor Thales Mileſius, a quo diſciplinam ſuam hauſit Anaximander, qui fuit Anaxagoræ præceptor eadem in ſententia fuit. Cæteri Philoſophi, ac maxime Stoici, acerrime contenderunt, nec fieri mundum ſine divina ratione potuiſſe, nec conſtare, niſi ſumma ratione regeretur. Tullius de Deo ſic loquitur: Eſſe præſtantem aliquam æternamque naturam, & eam ſuſcipiendam, adorandamque hominum generi pulchritudo mundi, ordoque rerum cœleſtium cogit confiteri. Pythagoras vetuſtiſſimus Philoſophorum, in eadem ſententia fuit. Hinc Lactantius inquit: Pythagoras unum Deum confitetur, dicens, incorporalem eſſe mentem, ideo Deum vocabat unitatem. Nec me fugit, ſequitur Voſſius, Pythagoram plures Deos coluiſſe, attamen unum agnoſcebat, ut ex Onato Pythagorico, Patrem Deûmque hominumque. Macrobius in ſomnium Scipionis inquit: Monas initium finiſque omnium, neque ipſa principii aut finis ſciens, ad ſummum refertur Deum. Idem Onatus Pythagoricus in Stobæi Eclogis ait: reliqui Dii erga ſummum, primumque mente cognoſcendum, ſic ſe habent, ut Chorus ad Choriphæum, & milites ad Ducem. Similiter Plato, Epiſtola ad Hermeam, & Coriſcum apud Strabonem, dixit, Opificem principem omnium Deorum, & qui ſunt, & qui futuri. Plures Deos coluiſſe certum eſt, attamen agnoſcebat Patrem Deûmque hominumque. Cæteros pro minoribus Diis habuerunt, & coluerunt pagani. Hactenus eruditiſſimus Voſſius. Clemens Alexandrinus ſic (a) inquit: Auctor operis (Ariſtoteles) de ſecretiore parte divinæ ſapientiæ ſecundum Ægyptios, ex Verbo divino, quod procreans ipſe cognominat, omnia orta & quæcumque cogitatione complectimur, ab intellectu Principe, etiam ab ipſo Verbo procrea-

ta

(a) *Stromat. lib.* 5.

ta aſſerit. Unde & Verbum, quod vocat expreſſum, cauſſam cauſſarum etiam ex Babyloniorum opinione haberi obſervat. Proxime veritatem attingere, qui Verbo mundum confectum dixerunt, ſive illud de Verbo ſubſtantiali, ſive ſermone, quo omnia fieri juſſit ſimul, effecitque Deus, intelligas; ſeu potius is vocandus ſit, cum ita dixerit Deus, non ut per vocis organa quidam ſonus exiret, nec ut linguæ motus cæleſte formaret alloquium, atque aerem iſtum quidam verborum ſtrepitus verberaret, ſed ut voluntatis ſuæ cognitionem proderet operationis effectu. Hinc & in ſumma Pythagoras, & Socrates, & Plato dicentes ſe audire vocem Dei, conſiderantes univerſorum conſtructionem, quæ a Deo accurate facta eſt, & ab eo perpetuo continetur. Hæc ab eruditiſſimo Alexandrino congeſta ſunt.

A Plutarcho etiam nonnullorum veterum Philoſophorum ſententiæ de natura Dei referuntur, ubi ſic (*a*) legitur: Pythagoras de principiis dixit, unitatem Deum, ac bonum, quæ natura ſit unius, ipſa mens: Socrates, & Plato unum ſingulare, & per ſe ſubſiſtentis naturæ, ac ſolitarium, revera bonum; omnia autem hæc ad mentem referuntur: Mens ergo eſt Deus, ſpecies ſeparata, ſincera ab omni ſpeciei admixtione. Rurſus Socrates, & Plato dixerunt mentem ſeparatam, ſinceram ab omni admixtione materiæ, & per ſe ſubſiſtentis naturæ. Ariſtoteles dixit Deum eſſe ſpeciem ſeparatam, quæ inſiſtat globo Univerſi. Pythagoras, & Plato mundum a Deo factum arbitrati ſunt; nam & mundus omnium operum eſt pulcherrimum, & Deus omnium cauſſa præſtantiſſima. Ad hæc, quæ a Plutarcho tradita ſunt, apte addenda eſſe cenſeo ea, quæ de Philoſophis teſtatur Diogenes Laertius, qui

(a) *De placit. Philoſoph. lib. 1. cap. 7. & lib. 2. cap. 4.*

Digitized by Google

qui (a) inquit, docuiſſe Anaxagoram ſic de rerum initiis: Omnia ſimul erant, inde Mens accedens ea in ordinem adduxit, ex quo Anaxagoras Mens eſt appellatus. Idem Laertius in vita Zenonis: Mundum tripliciter appellat Zeno, tum ipſum Deum, omni ex natura proprie qualem: qui & immortalis eſt, & nullo ortu generatus; qui ſtato quodam temporum ambitu, totius mundi ædificator extiterit: qui omnium naturam in ſe ipſum conſumens, ex ſe ipſo eandem generavit: tum aſtrorum diſtributione mundum eſſe: tertio, quod ex utriſque compoſitum eſt. Eſt autem mundus ex omnium rerum natura proprie qualis: vel, ut ait Poſſidonius in elementis earum rerum, quæ in ſublimi regione generantur; id quod ex cœlo, terraque, & naturis his, quæ in eis ſunt, conſtat: vel quod ex Diis, hominibus, rebuſque illis componitur, quæ ſunt illorum cauſſa generatæ: Cœlum vero eſt ultimus Orbis, in quo omne divinum collocatur. Tandem Laertius confirmat, Stoicis Deum eſſe initium rerum omnium: mentem Platoni primam cauſſam. Ariſtoteles autem mundi originem deſcribens (b) ait: Deus univerſum Cœlum exornavit, una per omnia penetrans potentia, ex incommixtis alienis aere & terra, igne & aqua univerſum mundum fabricans, & una comprehendens Spheræ ſuperficie, contrariiſſimas in ipſo naturas inter ſe invicem cogens convenire, & ex his machinata univerſi ſalute. Diſcuſſione autem Peripatetica Patricius (c) addit: Quod ab Ariſtotele dicitur etiam mundus ordo, & univerſorum digeſtio, quæ a Deo & per Deum aſſervatur. Epicurus ipſe ad Monovecum ſcribens, de Deo ſic inquit: Omnia vero quæ illius immortalitati conjun-

(a) *In vita Anaxagoræ, & Zenonis.*
(b) *Lib. de Mundo cap. 5.* (c) *Tom. 2. lib. 3.*

junctam beatitudinem ſervare poſſunt, in eo opinare.

Bene hactenus Ethnicorum Philoſophi, primigeniæ Traditioni eniſi, ut aptiori loco uberrime demonſtrabitur, tam ſublimem Theologiam aſſecuti deprehenduntur; ſed ut aliqui ex recenſitis, ſive alii ſola humana ratione nixi, ultro procedere non dubitarunt, in turpiſſimos & perniciosiſſimos errores prolapſi ſunt. Philoſophi enim multi opinantur, nihil tam impervium, nihil tam abſtruſum eſſe, ad quod percipiendum ſuis ipſa viribus humanæ mentis acies nequeat pervenire; hinc impia & falſa dogmata prodierunt. De hac Philoſophantium perſuaſione audiamus doctiſſimum Wolffium, qui ſic (a) loquitur: Theologia naturalis eſt ſcientia eorum, quæ per Deum poſſibilia ſunt, hoc eſt, eorum, quæ ipſi inſunt, aut fieri poſſe intelliguntur. Res enim divinæ illæ ſunt, quæ ideo poſſibilia concipiuntur, quod detur Deus, ipſique talia inſint attributa. Et quamvis non addatur, ſcientiam iſtam ope principiorum rationis, aut ut alii loqui amant, ſolo naturæ lumine eſſe acquirendam, recto nimirum uſu facultatum animæ, quæ per naturam ipſi inſunt; id tamen per ſe intelligitur. Theologiam enim naturalem tractamus tanquam partem Philoſophiæ. Omni autem Philoſophiæ hoc proprium eſt, quod ſolo naturæ lumine, hoc eſt, recto uſu facultatum animæ, quæ ipſi per naturam inſunt, acquirantur, ad eam ſpectans poſſibilium cognitio. Hactenus Wolffius.

Videamus modo de iis Philoſophis, qui neglectis majorum Traditionibus, ſola humanæ mentis acie rerum initia, & divinæ naturæ attributa inquiſierunt. Horum primus in noſtro Hemiſpherio ſe offert Democritus, qui ſpretis patriis majorum Traditionibus, uni ſuo ingenio ſer-

(a) *Part. 1. Proleg. § 1.*

Digitized by Google

ſervire decrevit. Profecto hoc pacto ſemitam primus impietati aperuit. Democritus, teſte (a) Laertio, Xerſis tempore vixiſſe fertur. Hic, qui riſu caſus omnes humanos excipere ſolebat, librum compoſuit, in cujus exordio quum ita ſcripſiſſet: De Diis quidem neque ut ſint, neque an non ſint, habeo dicere, multa enim impediunt, quo minus hoc ſciri poſſit, tum obſcuritas, tum etiam humanæ brevitas vitæ. Eam ob cauſſam ab Athenienſibus ejectus eſt, qui ejus in Foro libros combuſſerunt. Placet autem ei, ſequitur Laertius, omnium rerum eſſe atomos, inaneque initia; reliqua omnia ejuſmodi, ut de illis opinari liceat, infinitoſque eſſe mundos, eorumque & ortus & interitus eſſe. Nihil ex nihilo oriri, neque in nihilum occidere. Atomos quoque & magnitudine, & numero eſſe infinitas, eaſque in univerſo ferri Orbe, Orbem conficientes, atque ex his omnia, quæ concreta ſunt gigni, ignem, aquam, aerem, terram; nam & hæc ipſa quibuſdam ex atomis conſtare, quæ ob ſoliditatem omnis ſunt mortalitatis commutationiſque expertia. Solem, & Lunam ex hujuſmodi corpuſculis levibus, ac rotundis, ſimiliterque animam conſtare, quam & mentem unum atque idem eſſe. Spectris incidentibus nos videre, omniaque neceſſitate fieri, cum omnium rerum converſio cauſſa ſit, quam neceſſitatem appellat. Hæc omnia ex Laertio. Democritus vero haud ſibi conſtans, Dei naturam inquirens, ſtatuit Dei naturam in igne globoſo, teſte (b) Plutarcho. Quum autem Democritus aperte ſcripſiſſet, ignem ortum habuiſſe ex atomorum concurſione, jure ac merito Democriti aſſeclis dixit (c) Tullius: „ Nullo igitur modo

K „ Deum

(a) *Laert. in vita Democriti.*
(b) *De placit. Philoſoph. lib. 1. cap. 7.*
(c) *Lib. 1. de N. D.*

Digitized by Google

„ Deum immortalem efficitis. Profecto Democritus in ſuo ſyſtemate immortalitatem atomis tribuit; non quidem iis, quæ ex atomis concreta ſunt; propterea arbitratus eſt: infinitos eſſe mundos, eorumque & ortus & interitus eſſe. Igitur Democriti Deus interitui eſſet obnoxius; quod per ſe repugnat naturæ primi principii, cujus nulla poteſt eſſe origo, ut natura ſua immortale ſit. Inter Democriti aſſeclas numeratur Epicurus, de quo Laertius ſic (a) loquitur: Mortuo Alexandro Macedone Athenienſium rebus a Perdica afflictis, ad Patrem ſe contuliſſe Epicurum, & Democriti de atomis, & Ariſtippi libros de voluptate ſuos eſſe dixiſſe. Hoc confirmatur a Tullio: mihi quidem, (b) inquit, Democritus, Vir magnus in primis, cujus fontibus Epicurus hortulos ſuos irrigavit, nutare videtur in natura Deorum. Epicurus ipſe Epiſtola ad Monovecum exhibet, quid hac de re ſentiat. Etenim, ait, Dii quidem ſunt; eſt enim illorum cognitio perſpicua. Quales autem multi exiſtimant, non ſunt; non enim tales tuentur, quales exiſtimant. Nec vero ille impius eſt, qui multitudinis Deos tollit, ſed qui multitudinis opiniones Diis accommodat. Nec enim anticipationibus, ſed ſuſpicionibus falſis multorum de Diis enuntiationes continentur. Hinc maximorum detrimentorum atque utilitatum cauſſæ ab improbis in Deos conferuntur; propriis enim ſemper accomodati virtutibus, ſimiles ſibi Deos recipiunt, omnia aliena exiſtimantes. Ac primum quidem Deum animal immortale, beatumque exiſtimato, quemadmodum communi Dei notione definitum eſt, nihilque ei, quod ab immortalitate alienum, aut ad beatitudinem parum accommodatum ſit, adjungito. Hactenus Epicurus. Diis autem omnibus, ut loco ſupra citato refert Plutarchus, hu-
manam

(a) *Laert. in Vita Epicuri.* (b) *Lib. 1. de N. D.*

manam formam Epicurus tribuit, ſolaque eos cerni ratione ob tenuitatem partium naturæ ſimulacrorum. Inſuper addit Plutarchus, Epicurum divinam Providentiam negare, Deique beatitudinem in corporalibus voluptatibus conſtituere. Hinc Cicero ſic (a) diſſerit: Porro Epicurus ex animis hominum extraxit radicitus religionem, cum Diis immortalibus opem, & gratiam ſuſtuliſſe fertur: etenim quum optimam & præſtantiſſimam naturam Dei dicat eſſe; neget autem in Deo gratiam, tollit id, quod maxime proprium eſt optimæ præſtantiſſimæque naturæ: quum nihil ſit melius bonitate & beneficentia: qua ſi Deus careat, quis vota, quis præces ad eum funderet? Videamus nunc de beato. Sine virtute certe nullo modo. Virtus autem actuoſa, & Deus veſter nihil agens; expers virtutis igitur; ita ne beatus quidem. Quæ ergo vita? Non arbitror te Vellei ſimilem eſſe Epicureorum reliquorum, quos non pudeat earum Epicuri vocum, quibus ille teſtatur, ſe ne intelligere quidem ullum bonum, quod ſit ſejunctum a delicatis & obſcænis voluptatibus, quas quidem non erubeſcens perſequitur omnes nominatim. Quem cibum igitur, aut quas potiones, aut quas vocum & florum varietates, aut quos tactus, quos odores adhibebis ad Deos, ut eos perfundas voluptatibus? Tu autem Epicure quid facies? Neque enim, unde habeat iſta Deus tuus, video, nec quo modo utatur. Locupletior igitur hominum natura ad beate vivendum eſt, quam Deorum, quod pluribus generibus fruitur voluptatum. Neque tunc reprehendo, quod ad voluptatem omnia referantur: alia eſt quæſtio; ſed doceo, Deos veſtros eſſe voluptatibus expertes: ita veſtro judicio ne beatos quidem. Cogitant, inquis, aſſidue beatos eſſe ſe; habent enim nihil aliud, quod agitent in mente. Comprehende

(a) *Lib. 1. N. D.*

igitur animo, & propone ante oculos Deum, nihil aliud in omni æternitate, niſi, mihi pulchre eſt, & ego beatus ſum, cogitantem. Quid eſt enim, cur Deos ab hominibus colendos dicas, cum Dii non modo homines non colant, ſed omnino nihil curent, nihil agitent? At eſt eorum quædam præſtantiſſima natura, ut ea debeat ipſa per ſe ad ſe colendum elicere ſapientem. An quicquam eximium poteſt eſſe in ea natura, quæ ſua voluptate lætans, nihil nec actura ſit unquam, neque agat, neque egerit? Quæ porro ei pietas debetur, a quo nihil acceperis? Aut quid omnino, cujus nullum meritum ſit, ei deberi poteſt? Eſt enim pietas juſtitia adverſus Deos: cum quibus quid poteſt nobis eſſe juris, cum homini cum Deo nulla ſit communitas? Hactenus Cicero.

Stoici vero, ut tradit (a) Laertius, arbitrabantur, Deum, ſive mentem, ſive fatum ab initio per ſe ipſum omnem naturam in aquam convertiſſe, in qua ut in origine ſemen contineatur, quod ad reliqua aptiorem reddat materiam; propterea ſemen in humore ſubſediſſe; inde Deum cetera elementa procreaſſe; de quibus ipſis & Zeno in libro de univerſitate, & Archedemus in quodam libro de elementis diſſeruerunt. Ad hæc addit Plutarchus, loco ſupra citato, quod Stoici opinabantur, Deum eſſe ignem artificioſum, via ingredientem ad mundi procreationem, materiam pervadentem. Ac ſpiritum quidem totum penetrare mundum; nomina autem a materiæ, quam pervadit, ſumere mutationibus. Ad hæc addit idem Plutarchus, in Stoicorum ſententia Deum eſſe mundum; ſed & ſtellas, & terram eſſe Deos. Supremum autem Deorum eſſe mentem, quæ eſt in æthere. Hinc (b) Varro de natu-

(a) *Laert. in vita Zenonis.*
(b) *Apud Auguſt. lib. 7. cap. 6. de C. D.*

Digitized by Google

naturali Theologia præloquens, dixit, ſe arbitrari Deum eſſe animam mundi; quæ ſententia multis Ethnicorum Philoſophis placuit. Plinius vero (*a*) mundum hunc, quem conſpicimus, Numen quoddam eſſe putat, æternum, immenſum, neque genitum, neque interiturum unquam: cujus extera indagare, ſubdit, nec hominum interſit, nec capiat humanæ mentis conjectura. Cicero etiam fatetur, admodum eſſe arduum divinam naturam inveſtigare; in quo, (*b*) inquit, nihil eſt difficilius, quam a conſuetudine oculorum mentis aciem abducere: ea difficultas induxit & vulgo imperitos, & ſimiles Philoſophos imperitorum, ut niſi figuris hominum conſtitutis, nihil poſſent de Diis immortalibus cogitare. Hiſce præmiſſis, idem Cicero ſuam de natura Dei exhibet ſententiam, quæ ſuis adverſariis deridiculo fuit. Sed cum talem, ait, eſſe Deum certa notione animi præſentiamus, primum ut ſit animans, deinde ut in omni natura nihil eo ſit præſtantius: ad hanc autem præſenſionem notionemque noſtram nihil video, quod potius accomodem, quam ut primum hunc ipſum mundum, quo nihil fieri excellentius poteſt, animantem eſſe, & Deum judicem. Hic quam volet Epicurus jocetur, homo non aptiſſimus ad jocandum, & dicat ſe non poſſe intelligere, qualis ſit volubilis & rotundus Deus; tamen ex hoc, quod etiam ipſe probat, numquam me movebit. Placet enim illi eſſe Deos, quia neceſſe ſit præſtantem aliquam eſſe naturam, qua nihil ſit melius. Nec dubium, quin, quod animans ſit, habeatque ſenſum, & rationem, & mentem, id ſit melius, quam id, quod his careat. Ita efficitur, animantem, ſenſus, mentis, rationis mundum eſſe compotem. Qua ratione Deum eſſe mundum concluditur. Sed hæc facilius cognoſcentur ex iis rebus

(a) *Lib. 2. cap. 1.* (b) *Lib. 2. de N. D.*

bus ipſis, quas mundus efficit. Interea Vellei noli quæſo præterferre nos plane expertes eſſe doctrina. Conum tibi ais, & cylindrum, & pyramidem pulchriorem, quam ſphæram videri. Novum etiam oculorum judicium habetis. Alia plura apud Ciceronem de Divina Natura fuſe diſputata leguntur: nec vacat ea omnia exſcribere; valde enim moleſtum eſſet ea ſingillatim referre; propterea tantummodo ea tradere conſtitui, quæ meo ſyſtemati conſentanea videntur.

De quibuſdam aliis Philoſophis diſſerit Auguſtinus: contendunt, (*a*) inquit, etiam iſti, terreſtria corpora ſempiterna eſſe non poſſe, cum ipſam univerſam terram Dei ſui, non quidem ſummi, ſed tamen magni, ideſt, totius mundi membrum in medio poſitum & ſempiternum eſſe non dubitent. Cum ergo Deus ille ſummus fecerit eis alterum, quem putant Deum, ideſt iſtum mundum, ceteris Diis, qui infra eum ſunt, præferendum, eumdemque eſſe exiſtimant animantem, anima ſcilicet, ſicut aſſerunt, rationali vel intellectuali in tam magna mole corporis ejus incluſa, ipſiuſque corporis, tamquam membra locis ſuis poſita, atque digeſta, quatuor conſtituerit elementa. „ Hinc Auguſtinus (*b*) concludit: Philoſophi turpitudi„ nem miſerrimi erroris velut altioris doctrinæ ſpecie colo„ rare conantur. Deiſtæ autem noſtri ævi mundum dicunt Deo coeternum: Ens neceſſarium, & a ſe; idcirco quum hæc opinio fere omnino conveniat cum nonnullis antiquorum ſupra recenſitis, de his verba facere ſupervacaneum cenſeo.

Ex his, quæ hactenus de Natura Divina a noſtri Orbis Philoſophis dicta ſunt, palam colligitur, quam varie alii & quam impie aliqui de ſupremi Numinis natura opinati ſint. Nunc de iis verba faciemus, qui remotiſſimas hujus

(a) *Lib. 13. cap. 17.* (b) *Lib. 7. cap. 5. de C. D.*

Digitized by Google

hujus noſtri Hemiſpherii plagas primigeniam Traditionem mortifero Philoſophicarum quæſtionum veneno infecerunt. Omnium primus, qui inter Sinenſes impietatis ſemina ſparſit, fuit quidam nomine Loakun, qui, ut ſupra diximus, ſexcentos circiter annos ante Chriſti tempora natus eſt. Hic, ut ab auditoribus ſuis ſuperſtitionem tolleret, ea omnia rejicienda eſſe cenſuit, quæ ab hominibus inſtituta, aut fabuloſa judicabat; hinc arbitratus eſt, ſolo naturalis rationis lumine inquirenda eſſe rerum initia, primique naturam Principii, ut abſque fœditate naturalis religio revocaretur. Sed ſua ſpe fruſtratus viam impietati aperuit; quemadmodum (a) a Picardo colligitur. Docuit enim, Deum corpore conſtare, eumque ſummæ rationis vocabulo deſignabat. Hanc rationem Cœlum, terramque creaviſſe; immobilem quidem dixit hanc ſummam rationem, cuncta tamen moventem: ab hac reliquas Divinitates regi: æternam illam ſummam rationem unum quoddam produxiſſe: ab hoc uno fluxere duo: a duobus tria: a tribus denique profecta omnia, quæ in Univerſo ſunt. Quid autem ex repetita horum numerorum productione intelligat, nec ipſe explicat, neque facile conjici poteſt: nullam autem ſubſtantiam ſolo conſtantem ſpiritu reperiri ajebat; ſed cuncta, quæ exſtant, materia componi. Loakuno, non longo intervallo, Confucius ſucceſſit, qui famæ celebritate longe adeo anteceſſorem ſuum ſuperavit, ut illarum gentium Primores cœleſtem doctorem, magnum, ſanctumque præceptorem appellent. Ab regio ſanguine traxiſſe ortum ferunt: utque admiratione dignior reputetur, mirabilia quædam prodigia nativitatem ſuam comitata eſſe dicuntur. Morum integritate, innocentia vitæ, ingenii acumine, excellentia

(a) *Tom. 2. de Sinenſ. doctrina.*

lentia doctrinæ tantis laudibus a Sinenſibus effertur, tantiſque religioſis honoribus colitur, ut ſummo æternoque Numini nihil ſupra tribui poſſit. Quod ad Confucii religionem ſpectat, antiquam Sinenſium in ſpeciem obſervaſſe, ac ſervaſſe videtur, quam illius regionis Sacerdotes, ac Dynaſtæ originariam vocant; quamque nunc quoque populi illi profitentur. Profecto Confucius patrios ritus ſervavit, revera autem ab auditoribus ſuis radicitus extraxit omnem religionem, & impietatem induxit. Mentem illi etiam fuiſſe fertur, ſuperſtitione quavis ſublata, naturæ leges, primique cultus ſimplicitatem reparare. Quod ut perficeret, depellendas eſſe cenſuit ab auditorum animis omnes notiones ſuperſtitioſas, quas humana commenta invexerant, a quibus ſuperſtitioſi ritus ortum habuerant; idcirco ſola ſui intellectus acie de natura Dei, rerumque initiis novum ſyſtema compoſuit. Spiritum quidem ſupremum, æternum, præpotentemque in Univerſo agnoſcit; in cujus tamen declaratione ita ſe implicat, ut nihil aliud in Univerſo putet eſſe, quam ipſam naturam, quæ ſit motus quietiſque origo, in qua conſiſtat rerum omnium principium, quod materia conſtet. Confucii aſſeclæ bifariam dirimunt materiam, ſcilicet in ſubtilem, & craſſam; ita ut ſubtilis, quam appellant rationem, leviſſima ſit, ſemperque ſe moveat; propterea hanc perfectam dicunt: altera autem craſſa, impura, & motibus expers ſit; utraque vero æterna, & infinite extenſa: ab utriuſque tamen materiæ confuſione quinque elementa componi, unde corpora varia conſtruuntur. Hinc tot rerum diſcrimen, aſtrorum motus, telluris quies, fecunditas, ſterilitaſque agrorum; generatio, & corruptio omnis. Mundum hunc initium habuiſſe fatentur, ſed & finem habiturum dicunt: alium tamen ſucceſſurum, qui & ipſe finietur; pro-

propterea mundorum infinitorum, ſibi invicem ſtatis temporibus ſuccedentium ſeriem conſtituunt. Demum ſtatuunt, mundum non eſſe Deum, neque Deum eſſe mundum, ſed Deum eſſe rationem per excellentiam, quam in ſubtili materia conſtituunt.

Strictim tradidimus varias Philoſophorum ſententias de Natura Dei, rerumque initiis; exhibenda modo ſunt oppoſita adverſariorum momenta adverſus ea, quæ in Traditionis ſyſtemate continentur. Epicurus, teſte (a) Tullio, quærere ſolebat, quibus manibus, quibus machinis, quibus vectibus, qua molitione hoc tantum opus fecerit Deus? Vos enim ipſi (ſic ait ad Epicureos Tullius) dicere ſoletis, nihil eſſe, quod Deus efficere non poſſit, & quidem ſine labore ullo; ut enim hominum membra nulla contentione, mente ipſa, ac voluntate moventur, ſic Numine Deorum omnia fingi, moveri, mutarique poſſe. Neque id dicitis ſuperſtitioſe atque aniliter, ſed phyſice conſtantique ratione; materiam enim rerum, ex qua, & in qua omnia ſint, totam eſſe flexibilem & commutabilem, ut nihil ſit, quod non ex ea, quamvis ſubito, fingi, convertique poſſit: univerſæ autem ejus fictricem & moderatricem divinam eſſe providentiam. Hanc igitur, quocumque ſe moveat, efficere poſſe quidquid velit. Lucillus etiam apud Ciceronem diſſerens, (b) inquit: Quod ſi omnes mundi partes ita conſtitutæ ſunt, ut neque ad uſum meliores potuerint eſſe, neque ad ſpeciem pulchriores: videamus, utrum ea fortuita ſint, an eo ſtatu, quo cohærere nullo modo potuerint, niſi ſenſu moderante, divinaque providentia. Si ergo meliora ſunt ea, quæ natura, quam illa, quæ arte perfecta ſunt, nec ars efficit quidquam ſine ratione: nec natura quidem rationis expers

(a) *Lib. 1. de N. D.* (b) *Lib. 2. de N. D.*

eſt habenda. Qui igitur convenit ſignum, aut tabulam pictam cum adſpexeris, ſcire adhibitam eſſe artem: cumque procul curſum navigii videris, non dubitare, quin id ratione atque arte moveatur: aut cum ſolarium vel deſcriptum, aut ex aqua contemplare, intelligere declarari horas arte, non caſu: mundum autem, qui & has ipſas artes, & earum artifices, & cuncta complectitur, conſilii & rationis eſſe expertem putaret. Quod ſi in Scythiam, aut in Britanniam Sphæram aliquis tulerit hanc, qualem nuper familiaris noſter effecit Poſſidonius, cujus ſingulæ converſiones idem efficiunt in Sole, & in Luna, & in quinque Stellis errantibus, quod efficitur in Cœlo ſingulis diebus & noctibus: quis in illa barbarie dubitet, quin ea Sphæra ſit perfecta ratione? Hi autem dubitant de mundo, ex quo oriuntur, & fiunt omnia, caſu ne ipſe ſit effectus, aut neceſſitate aliqua, an ratione, & mente divina, & Archimedem arbitrantur plus valuiſſe in imitandis Sphæræ converſionibus, quam naturam in efficiendis, præſertim cum multis partibus ſint illa perfecta, quam hæc ſimulata. Hactenus egregie Cicero. Hinc Seneca (*a*) ait: Quiſquis formator Univerſi fuit, ſive ille „ Deus eſt potens omnium, ſive incorporalis ratio ingen„ tium operum artifex, ſive divinus ſpiritus per omnia „ maxima, minima æquali intentione diffuſus. Mundi opificium ad ſummum Deum, ideſt ad Numen Deorum Ethnici referebant; propterea Plutarchus (*b*) ait: Mundum hunc, neque Deorum quiſquam, neque hominum fecit.

Siquidem autem ſummo Deo, omnium fere Ethnicorum Philoſophorum conſenſione, mundi opificium tributum eſt; illud mirum, atque iiſdem Philoſophis indignum

(a) *Conſolat. ad Helviam cap.* 8. (b) *De anim. Procreat.*

gnum videtur, quod plurimi, Deum quidem conditorem Orbis profeſſi, materiam tamen illi, ex qua mundum fabricarit, addiderint, contra ipſiſſimam Ethnicæ rationis regulam, qua cuncta ad unum primum principium revocanda eſſe agnovere, unde certe materiam excipere nulla ratio ſuadet, admittitve; qui enim ſic arbitrantur, manifeſtum eſt, ſe Deo imbecillitatem jungere; neque eſſet perfectiſſima ea natura, quæ alia præſtantior excogitari poſſet, quæ procul dubio illa eſſet, quæ creandi ex nihilo prædita eſſet virtute. Neque verum eſſet, quod communi Ethnicorum notione definitum eſt, Deum poſſe omnia; quippiam enim non poſſet, niſi illi prius ſubjecta ſit materia, eadem ratione, qua & fabro materiam ſuppeditari oportet, ut fabricari poſſit. Erit igitur Deus, in illorum ſententia, non rerum conditor, ſed Artifex. Attamen plures ex præſtantiſſimis Ethnicorum Philoſophis in contrariam ſententiam abjerunt, ſtatuendo duo rerum principia, Deum ſcilicet, & materiam: hæc patiens, ille faciens. Laertius in vita Platonis ſic ait: Duo omnino eſſe rerum principia, Deum, atque materiam, docuit Plato. Illum & mentem & cauſſam appellat, eſſe autem materiam informem & infinitam, ex ea concretiones fieri. Paria de Stoicis in vita Zenonis Laertius refert. Horum autem ſententiam fuſius Plutarchus ſic (*a*) explicat: Subſtantiam vero & materiam, ex qua factus eſt mundus, non natam, ſed ſemper ſubjectam opifici, diſponendam ſe, & ordinandam, adque ipſius ſimilitudinem, quantum ejus fieri poteſt, effingendam præbuiſſe. Non enim ex eo, quod nihil eſſet, exſtitit mundus, ſed ex eo, quod non pulchre, non recte, aut perfecte eſſet, quomodo fiunt domus, veſtes, ſtatuæ. Fuit nimirum, ante-

(a) *De anim. Procreat.*

quam mundus naſceretur, materies, non corporis eo, non motus, non animæ expers, ſed corpore informi atque incompoſito, temerario & bruto motu præditum. Hæc ex Plutarcho.

Profecto Ethnicorum Philoſophi errore hoc laboravere, eo quia comprehendere animo haud poſſent, creandi ex nihilo, in Deo dari poſſe virtutem. Excedit quidem virtus hæc humanum ſenſum, ut quaſi per caliginem mentibus noſtris tenebras obducat. Revera tamen id omnibus minime accidere animadvertimus, ſed iis duntaxat, qui divinam naturam nudis, ut ita dicam, oculis introſpiciunt, atque adjumentis in rem hanc comparatis uti negant: non ſecus atque, ut in eodem ſimili verſer, ii tantum redundantia fulgentis ſolis obcæcantur, qui patentem viſum in adverſos ejus radios infigunt; cum cæteri, qui ſubſidia oculorum conſpicillis ex arte muniunt, minutiſſima illius aſtri quæque commode diſpiciunt. Propterea, de ineffabili Dei natura loquendo, niſi divina opituletur traditio, cæcutire, errare, labique neceſſe eſt. Hac admiſſa vim maximam acquirit ipſa humana ratio. Quum enim Deus perfectus eſſe debeat, nec ſapientia poteſt habere terminum, nec fortitudo menſuram: Opera Dei videntur oculis; quomodo autem omnia ex nihilo creare potuerit, nec mente videtur; verum hoc ſcimus, quia mortale immortali, temporale perpetuo, corruptibile incorrupto, finitum infinito propinquare non poteſt; præterea animus humanus corpore quaſi cuſtodia ſeptus tenetur, quo minus ſoluto ac libero ſenſu altiſſima cernat. Epicurus autem ipſe, quod & recta ratio præſcribit, faſſus eſt, perfectiſſimam eſſe Dei naturam, quod profecto dici non poſſet, ſuppoſito quod Deus ope indigeret aliena. Indiget quidem, ſi nihil moliri poteſt, niſi illi materia miniſtretur.

Quod

Digitized by Google

Quod ſi ita eſſet, imperfectæ utique virtutis eſſet; perfecta enim virtus nullam fortitudinis habere poteſt menſuram. Igitur ut Deus perfectus abſolute dici queat, virtute creandi ex nihilo præditus eſſe debet. Hinc agnoverunt homines conſentaneum eſſe rationi, quod Traditione perceperunt.

Ut autem Traditionis primigeniæ neceſſitas evidentius pateat, fingamus hominem aliquem in telluris centro natum, qui, patefactis improviſo terræ faucibus, ex obſcuris illis ſedibus in hunc, quem incolimus Orbem, evaſerit: tum cernere Solis, & Orbis pulchritudinem, arvorum & arborum fecunditatem, amœnitatem, & ordinatam rerum omnium varietatem, innumera in aere volatilium, in aquis piſcium, in terra beſtiarum genera, & reliqua omnia, quæ orbis ſpectabilis complectitur, & ſub ſenſus cadunt. Deinde poſt Solis occaſum, fulgentem ſuſpicere Lunam, innumera ſydera Cœlum ornantia, eorumque rapidiſſimos motus, totumque Cœlum diffuſa luce ſplendeſcere, ac in tam mirabili motuum varietate conſtantem ratumque ordinem, finiſque unitatem contemplari. Quale judicium, nemine docente, & tradente rerum initia, de rebus hiſce omnibus hominem hunc facturum putamus? Numquid ſola humanæ mentis acie percipere poterit, hæc omnia in tempore cœpiſſe, & eſſe unum ſempiternum Numen, quod hæc omnia omnipotenti ſua voluntate ex nihilo creaverit, & moderetur? Cogitanti mihi, quonam modo homo ille, ſola humana ratione duce, poſſet ea omnia inveſtigare, conſtantique animi perſuaſione altiſſimas notiones comprehendere, manifeſte comperi, quod ille in tot abſona & devia abiret, in quot identidem abierunt Ethnicorum Philoſophi, qui ſpreta primigenia Traditione, & uni ſuo ingenio ſervire volentes, impia deli-

ria

Digitized by Google

ria amplexati ſunt, de quibus ſupra factus eſt ſermo; & in pejora etiam abiit Spinoza, de quo in capite ſequenti inſtituendus eſt ſermo.

CAPUT VII.

Exploditur Spinozæ ſyſtema.

EXtinctam jampridem in noſtro Hemiſpherio impietatem, ac pene ſepultam renovavit ſuperiore ſæculo Benedictus de Spinoza, produxitque in hominum lucem novo fuco oblitam, quo licentius ad veritatis ac religionis perniciem graſſaretur. Uſus ille quidem perſæpe eſt Dei, Entis perfecti, infiniti, immenſi nominibus; ſed notionem ſpuriam ac plane monſtroſam iiſdem ſubiecit, Deumque agnovit nullum præter naturam Univerſi. Antequam tamen impia ipſius dogmata proferamus, commemorare libet nonnulla, quæ in Spinoziano ſyntagmate memoriæ prodidit Vir doctiſſimus Luchius in Patavino gymnaſio publicus ſacrarum Scripturarum interpres. Benedictus de Spinoza, inquit n. IV. anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo tertio Amſtælodami inter Judæos infima fortuna natus, non mediocris mentis vi præditus fuit; ſed ingenio malo pravoque ſupra quam cuique credibile eſt. Hunc ab adoleſcentia vehemens cupido invaſit, famam ſibi litteris, gloriamque parandi, neque id deinceps, quibus modis aſſequeretur, quicquam penſi habuit: nam in magna litterarum ac litteratorum hominum luce, qua ſuperius ſæculum clarum fuit, ſibi in angulo agendum eſſe metuens, niſi nova, inaudita, & ſingularia proferret, Divina omnia, & humana perturbare ſtatuit, ſtudioque ſe totum addixit rerum novandarum. Ita immoderata cupiditas huic exitio fuit:

ſuit: nam incredibile memoratu eſt, in quos errorum gurgites præcipitem egerit, in quantamque immanitatem compulerit amentiæ, & impietatis. Judaicis primum litteris, deinde latinis imbutus, in Theologiæ ſtudiis adoleſcentiam exegit: ſed Synagogæ doctrinas & commenta pertæſus, totum ſe ad Philoſophiam tranſtulit, & Carteſii inventa ſummopere coluit. Animus, hominum, Deique contemtor, qui excuſſo omnis religionis jugo, uni ſuo ingenio ſervire decreverat, nec Synagogæ auctoritatem ferre potuit, nec ſimulatione obſequii, ejuſdem invidiam, & offenſionem declinare. Nonnulla proinde Judaiſmi dogmata aperte improbare non eſt veritus: eoque licentiæ furore exarſit, ut nullo officiorum genere ab auſu, inceptoque removeri potuerit. Hactenus elegantiſſime V. Cl. Luchius.

Geometrica methodo cogitata ſua digeſſit Spinoza, ut imperitos rerum facilius in fraudem erroremque illiceret. Id vero ille non artis vitio, ſed pravitate ſua, eorumque ſocordia conſecutus eſt, qui ipſius ſcripta adamarunt. Nam quantum præſidii ad veri cognitionem in mathematica methodo ſit norunt, qui non opinionum commenta, ſed veritatem ſectantur. Neque id tantummodo in phyſicis rebus, ex quibus exempla cuique in promtu ſunt, ſed in moralibus quoque compertum eſt. Juvat hic deſcribere, quæ hanc in rem diſſerit (a) celeberrimus Huetius. Quod ſi, inquit, aeque explorata eſt moralium quorundam principiorum veritas, ac geometricorum; demonſtrationes itidem morales, quæ ab his capitibus fluunt, haud minus veræ erunt, ac demonſtrationes geometricæ. Siquidem demonſtrari poſſunt moralia ex iis principiis moralibus, quibus fidem experientia magiſtra conciliat, quæque

(a) *Præfat. Demonſtrat. Evang.*

que adhuc nemine contradicente, & tritiſſimo ac pervulgatiſſimo omnium uſu & conſenſu recepta ſunt. Ex. gr. Liber genuinus eſt is, qui ab eo auctore ſcriptus eſt, a quo ſcriptus eſſe dicitur, & eo circiter tempore, quo ſcriptus eſſe fertur. Liber coetaneus is eſt, qui eo circiter tempore ſcriptus eſt, quo res in eo ſcriptæ contigerunt. De poſtulatis autem exemplum ſit: Tam certo ea credi, quæ hic probabuntur, quam creduntur reliqua, quæ paris roboris rationibus nituntur. Tandem ex axiomatibus Huetius iſtud proponit: omnis liber eſt genuinus, qui genuinus eſt ab omnibus proxime & continuata ſerie ſequentibus ætatibus creditus. Satis itaque conſtat, ut in moralibus locum habeat geometrica methodus, principia quoque moralia ab uſu, & communi conſenſu probata, & certa eſſe debere, unde morales demonſtrationes deducantur.

Verum ſive in phyſicis rebus, ſive in moralibus utare mathematicis progreſſionibus, cavendum in primis eſt, ne a methodi legibus deflectas. Si enim aut falſa aſſumas, aut incerta pro certis obtrudas, aut obſcura ſubnectas obſcuris, non demonſtrandi uteris methodo, ſed fallendi. Hoc vero egiſſe Spinozam facile intelliget, qui ea conſuluerit quæ Clariſſimus Luchius (a) delibavit. Duo quippe, inquit, in Spinoziano ſyſtemate præcipua ſunt. Primum, unam dumtaxat, Spinozæ ſententia, eſſe in rerum natura ſubſtantiam, quam Deum appellat, cujus proprietates primariæ, ſeu attributa ſunt cogitatio, & extenſio, ad quas res particulares, veluti modi ſequuntur, quæ proinde in Deo ſunt, ut in cauſſa immanente. Alterum eſt, Deum ex ſolis ſuæ naturæ legibus, hoc eſt ex abſoluta ſuæ naturæ agere neceſſitate. Porro autem primo illi quatuor propoſitionibus fundamenta inſtruxit, nimirum in rerum

(a) *Spinoz. ſyntag. num. V. & ſeqq.*

Digitized by Google

rerum natura non poſſunt dari duæ aut plures ſubſtantiæ ejuſdem naturæ, ſive attributi: una ſubſtantia non poteſt produci ab alia ſubſtantia: ad naturam ſubſtantiæ pertinet exſiſtere: omnis ſubſtantia eſt neceſſario infinita. Ex his principiis ſponte conſequitur, unam tantum eſſe in rerum natura ſubſtantiam. Spinoza poſtea in Ethica apertiſſime profeſſus eſt, ſubſtantiam hanc eſſe materiam. Si enim mundus neceſſarius eſt divinæ naturæ effectus, & quidquid eſſe remur, in Deo eſt, & nihil ſine Deo eſſe aut cogitari poteſt, quis adeo hebes eſt, ut profluentem inde conſecutionem non videat: ſcilicet mundum eſſe Deum, & e converſo Divinitatem mundi ſubſtantia, quæ materia eſt, contineri? Quod de natura naturante, & natura naturata tradit Spinoza, ita utramque diſtinguit, ut natura naturans, quam Deum appellat, id ſit, quod in ſe eſt, & per ſe concipitur, ſive talia ſubſtantiæ attributa, quæ æternam & infinitam eſſentiam exprimant: natura vero naturata, id omne, quod ex neceſſitate divinæ naturæ, ſive uniuſcujuſque divini attributi conſequitur; omnes ſcilicet Dei attributorum modi, quatenus conſiderantur ut res, quæ quidquid ſunt in Deo ſunt, ſine quo, nec eſſe, nec mente comprehendi queunt; res vero in quibus varia & multiplex eſt naturæ facies, nihil aliud eſſe, quam modos attributorum Dei latius demonſtrare perrexit Spinoza. Porro id, quod in ſe eſt, & per ſe concipitur, nulla ſcilicet opitulante idea, mente præſens ſit Spinozæ juxta ſententiam, ſubſtantia eſt corporea, unica, infinita, indiviſibilis, cogitandi potens, unde materia natura ſit naturans, ſive Deus ipſe. Verum & ſecundum hæc ipſa Univerſum eſt natura naturata. Non quod materia, conflatuſque ex ea mundus, duæ naturæ, proindeque duæ ſint ſubſtantiæ, ſed una, eademque multimodis tantum affecta, & modificata;

dificata; materia enim juxta naturæ ſuæ leges, ac profluentes indidem modificationes fundit perpetuo ſe ſe, ac pandit, diverſaſque in figuras ſe porrigit, atque natura naturans eſt, ſeu omnium cauſſa, quæ ſunt; ut vero has figuras ſuſcipit, & in eiſdem multiplex apparet, atque diviſa, eſt natura naturata. Hinc Spinoza diſtinctionem ac diviſionem materiæ fetum eſſe cenſet imaginationis, materiamque ſemper & ubique eamdem eſſe, nec ullam ſuſcipere diſtinctionem; ſed abſque ſuæ ſummæ unitatis diſpendio varias diverſaſque ſuſcipere formas, in quibus apparet multiplex; in has autem incidentem imaginationem, quæ in rerum ſuperficie hæret, facere ut in materia diviſas atque disjunctas opinemur partes, quæ reapſe in illa nullæ ſint. Itaque in ſyſtemate Spinoziano diviſio partium figmentum imaginationis eſt, circa ea verſantis, in quibus ſe materia multiformem exhibet. At ubi intelligentia conſulitur, quæ rerum corticem prætergreſſa in materia rationem attendit ſubſtantiæ, nullæ in eadem deprehenduntur partes, diviſio nulla, ac ne diſtinctio quidem, niſi modalis, quam materia ſuſcipit, quatenus modis imaginationi obnoxiis affecta eſt. Igitur natura naturata in ſyſtemate Spinoziano, hoc ſcilicet Univerſum, in varias prorſus abit rerum imagines, & ludificamenta oculorum. Nulla quippe vera rerum ſeries eſt, generatio nulla, nulla corruptio. Nihil enim quidquam rerum eſt, præter unum indiviſibile, æternum, undique uniforme, idemque interminatum, & infinitum, quod fluit in aquis, obdureſcit in lapidibus, germinat adoleſcitque in plantis, ad propagationem & paſtum projectum in brutis eſt, & in hominibus ratiocinatur, deſipit, furit, omnia eſt, omnia agit, patitur omnia. Corpora, in quibus cogitatio non vigeat, aliqua non agnovit Spinoza, qui monet intelligentiam, ac deliberandi facul-

tatem

tatem ad naturam naturantem minime pertinere, ſed ad naturam naturatam; nihil quippe aliud eſſe autumat, quam cogitandi modos, indeque ad illud immane ingenſque individuum ſpectare, quod natura naturata eſt. Verum hoc indiviſibile, extenſum cogitans, Spinozæ nimirum Deus, etſi intellectu, & voluntate careat, libere tamen facere, quidquid facit, propterea quod a nullo coactus, ſed ex ſolis ſuæ naturæ legibus, & a nemine coactum agere. Quænam vero hæ divinæ naturæ leges ſint, nuſquam Spinoza explicavit, ſed quum ex neceſſitate divinæ naturæ infinita ſequi infinitis modis ſtatuat, aſſeratque eadem ex neceſſitate res omnes eſſe ad certo modo exſiſtendum, operandumque determinatas, unde res inferat nullo alio modo, aliove ordine a Deo produci potuiſſe ab eo, quo productæ ſunt. Hinc, Spinozæ juxta ſententiam, quam pluribus aliquando commendat, neceſſitas eſt agendi, patiendique, quæ tanta eſt, quanta divinæ naturæ perfectio, ſumma nimirum, infinita, quæ nec moras patitur, nec ullum habet modum; tantum enim urget, inquit Spinoza, quantum infinita naturæ impellit perfectio, in quo tota Spinoziani fati vis poſita eſt. Hæc ferme eorum eſt ſententia, quæ eruditiſſimus Luchius de Spinozæ ſyſtemate diſſeruit.

Non opus multis eſſe arbitror, ut Spinoziani ſyſtematis abſurditatem quiſque cognoſcat. Nititur quippe totum principiis precariis plerumque ac falſis. Et primo quidem falſiſſimum eſt, quod propoſitione ſeptima aſſumit Spinoza, ad naturam ſcilicet ſubſtantiæ pertinere exſiſtentiam. Eſt enim omnium conſenſione recepta notio ſubſtantiæ, ut ſit ens per ſe. Non abhorruit ab hac notione Spinoza; ſubſtantiam enim definiit, id quod in ſe eſt, & per ſe concipitur: hoc eſt, ut ipſe loquitur, id cujus conceptus non indiget conceptu alterius, a quo formari debeat.

Porro autem modum, ſeu accidens (indiſcriminatim namque utrumque nomen Spinoza uſurpavit, ut videre licet in ejus epiſtola quarta ad Oldenburgium) id appellat, quod in alio eſt, per quod etiam concipitur. Igitur eſſe in ſe idem Spinozæ ſignificat, atque eſſe per ſe. Opponit enim ens in ſe, enti in alio: hoc autem adhæret alteri, ſine quo ne percipi quidem poteſt; itaque ens in ſe, ſeu ſubſtantia id ſit neceſſe eſt, quod per ſe exſiſtit. Jam vero eſſe per ſe & eſſe a ſe modi ſunt exſiſtendi, qui infinito diſcrimine dirimuntur. Quod enim a ſe exſiſtit, cauſſam ſui agnoſcit nullam, ſibique ſufficit. Sed quod per ſe eſt, altero non eget quidem ut ſubjecto, cui adhæreſcat; cauſſam tamen ſui extra ſe habere poteſt. Igitur ex notione ſubſtantiæ inferri minime poteſt, ad ipſius naturam pertinere exſiſtentiam. Nec vero id inferre Spinozæ licuit ex propoſitione ſexta, qua ſtatuit „ unam ſubſtantiam non „ poſſe produci ab alia ſubſtantia. Quid enim vetat, quominus ſubſtantia infinitis perfectionibus prædita, aliam producere ſubſtantiam poſſit? Num quia, ut Spinoza contendit propoſitione quinta „ in rerum natura non poſ„ ſunt dari duæ, aut plures ſubſtantiæ ejuſdem naturæ, „ ſive attributi? Atqui hoc ipſum eſt, quod in quæſtione verſatur. Quis autem tam vecors ſit, tamque ab omni ratione alienus, ut inficias eat, lapides, metalla, plantas, animalia, cum ſuis generibus diſcreta ſint, quidquam habere commune in quo conſentiant? At enim, inquit Spinoza propoſitione quarta „ duæ aut plures res diſtinctæ, „ diſtinguuntur inter ſe, vel ex diverſitate attributorum „ ſubſtantiarum, vel ex diverſitate earumdem affectionum. Si tantum ex diverſitate attributorum „ conceda„ tur ergo, non dari niſi unam ejuſdem attributi. At ſi „ ex diverſitate affectionum, cum ſubſtantia ſit prior ſuis

„ affe-

„ affectionibus, his depoſitis, & in ſe conſiderata non „ poterit concipi ab alia diſtingui. Sed enim vero quarta propoſitio, quæ demonſtrationis hujuſce baſis eſt, non majori præ reliquis veritate gaudet. Falſum quippe eſt diſtinctionem omnem aut a diverſitate attributorum, aut a diverſitate affectionum eſſe repetendam. Præter namque eam diſtinctionem, quæ ex diverſitate oritur attributorum & affectionum, alia eſt etiam diſtinctio, qua res attributorum & affectionum cognatione conjunctæ invicem ſecernuntur. Nonne ovum ab ovo, lac a lacte, aqua ab aqua, etſi alterum cum altero attributorum & affectionum communione conjunctum ſit, rationibus diſtinguitur propriis, quibus efficitur ut ejuſdem generis plura ſint individua? Igitur etſi ſubſtantia eo non differat a ſubſtantia, quo ſubſtantia eſt, ea ratione ſecernetur tamen, qua fit, ut plura ejuſdem naturæ individua numerentur. Noviſſe Spinozam decuit, qui abſtractis notionibus omnia ut tranſigeret laboravit, eaſdemque miſere concepit, aliud eſſe attributum, ut ajunt de ſchola Philoſophi, ſpecificum, aliud individuale, & hoc ſpectari poſſe perinde atque modum ſive affectionem ſubſtantiæ, prout hæc univerſim concipitur; indeque ſubſtantias duas diſtingui poſſe ex diverſitate attributorum individualium. Ita diſtinguuntur mentes Socratis & Platonis, & unumquodque corpus ab altero, quod ad eumdem modum elaboratum eſt. Sic etiam Carteſius obſervarat (*a*) „ cogitationem, ut ipſe loquitur, & „ extenſionem poſſe concipi, ut conſtituentes naturas ſub„ ſtantiæ intelligentis & corporeæ, tumque non aliter con„ cipi debere, quam ipſam ſubſtantiam cogitantem & ex„ tenſam. Et cogitationem & extenſionem ſumi etiam „ poſſe pro modis ſubſtantiæ, quatenus ſcilicet una & „ eadem

(a) *Princip.* 1. §. 563 & 564.

„ eadem mens plures diverſas cogitationes habere poteſt; „ atque unum & idem corpus, retinendo ſuam eamdem „ quantitatem pluribus diverſis modis poteſt extendi. Quapropter, ut in re noſtra loquamur, ſi dantur ſubſtantiæ plures diverſitate attributorum individualium diſtinctæ, etſi communi attributo ſpecifico conjunctæ ſint, ſequetur quidem, unam tantummodo ſubſtantiam dari ejuſdem attributi individualis, ſed hoc non vetat, quominus plures ſint ſubſtantiæ individuæ, attributis individualibus diſtinctæ, & in attributo ſpecifico continentes.

Quæ cum ita ſint, tuto nobis aſſerere licet, Spinozam „ numquam demonſtraſſe, quod propoſitione ſexta aſſumſit, nimirum unam ſubſtantiam non poſſe produci ab „ alia ſubſtantia. Provocat ille quidem ad propoſitionem „ ſecundam, qua ſtatuit, duas ſubſtantias diverſa attributa habentes, nihil inter ſe habere commune; itemque „ ad tertiam propoſitionem, qua decernit, res quæ nihil „ commune inter ſe habent, earum unam alterius cauſſam „ eſſe non poſſe. Sed profecto nihil proficit. Et primo quidem tanta eſt ſecundæ propoſitionis obſcuritas, ut Oedipo vel Tireſia opus ſit, qui ejuſdem ſententiam aſſequatur. Aut enim ſubſtantiæ nomen univerſim in ea ſumitur, aut ad particulares reſpicit ſubſtantias. Si primum, nihil plane notat præter rem, quæ exſtantiam habet a ſubjecto ſolutam; & cum id proprium ſit ſubſtantiæ cujuſque, duæ ſubſtantiæ hoc ipſo quod ſubſtantiæ ſunt, commune aliquid inter ſe habent. Si vero ad particulares ſubſtantias refertur, ut referri debet, quia numero afficitur, qui in particulares ſubſtantias tantummodo cadit, puta ad ſubſtantiam cogitantem, & extenſam, ponamus haſce nullum reale attributum habere commune, nonne attributa notionalia plura communia habent? Id negabit nemo qui in meta-

metaphyſicis rebus plane non ſit peregrinus & hoſpes. Utraque enim, ut dicamus iterum, ens erit per ſe, quod ſcilicet immotum perſtans variantes modos capit.

Hinc intelligere licet, perperam Spinozam propoſitione tertia ſupponere, dari in rerum natura ſubſtantias, quæ nihil commune inter ſe habeant. Verum agamus liberaliter, demuſque ſubſtantias exſtare hujuſmodi, quibus nihil commune ſit, inferre ne inde licebit, unam alterius cauſſam eſſe non poſſe? nil minus. Non agam pluribus, & ea ipſa, qua Spinoza in rem ſuam utitur, demonſtratione hoc negotium confectum dabo. Eam ad ſyllogiſmi leges revocabimus, ut cujuſmodi ſit dilucide appareat. „ Quæ „ ſe invicem reſpiciunt (ſunt verba Spinozæ) ut cauſſa & „ effectus, eorum alterius tanquam effectus cognitio, a „ cognitione alterius tamquam cauſſa dependet, eamque „ involvit. Nititur hæc propoſitio axiomate ſexto Spinozæ, quod eſt hujuſmodi: „ effectus cognitio a cognitione „ cauſſæ dependet, eamque involvit. Atqui duarum rerum nihil commune inter ſe habentium, cognitio alterius tamquam effectus, a cognitione alterius tanquam cauſſæ non dependet, nec eam involvit; ergo duarum rerum nihil commune inter ſe invicem habentium, altera alterius cauſſa eſſe non poteſt. Hæc ipſiſſima Spinozæ ad propoſitionem tertiam demonſtratio eſt. Quis autem hic callidi veteratoris artes non rideat? Res enim quæ ita natura comparatæ ſunt, ut una alterius ſit cauſſa vel effectus, bifariam ſpectari poſſe nemo unus ignorat, nimirum & quatenus utraque natura conſtat ſua, & quatenus utraque ad aliud refertur. Aliud quippe res ipſa eſt, aliud relatio; illa namque conſtat ex ſe, iſta vero comparatione unius ad aliud. Cauſſa & effectus ex eorum ſunt genere, quæ referuntur ad aliquid; ac proinde cauſſa ut cauſſa percipi

non

Digitized by Google

non poteſt quin percipiatur effectus, & e converſo. Sed quælibet res, quæ aut cauſſa, aut effectus dicitur, cognoſci poteſt nulla comparatione facta ipſius ad aliud. Exempla ad id in duobus hominibus, quorum alter pater ſit, alter filius, & in duabus extenſionibus, & in unoquoque rerum genere obvia cuique ſunt. Itaque major Spinozianæ demonſtrationis propoſitio claudicat. Nihil enim vetat res duas, quarum altera cauſſa eſt, altera effectus, cognoſci, quin cauſſæ & effectus relationes conſiderentur, indeque cognitio unius a cognitione alterius minime dependeat. Aſſumtio itidem aperte falſa eſt. Supponit namque primo ſubſtantias eſſe, quæ nihil commune habeant, quod jam exploſum eſt. Deinde aſſumit quod primum & capitale in hac controverſia eſt, nimirum res, quæ realis attributi cognatione non devinciuntur, ita natura comparatas eſſe, ut una nequeat eſſe alterius cauſſa; hoc enim fit, ut cognitio unius non involvat cognitionem alterius. Id vero ut concedatur demonſtrandum eſt, cauſſæ & effectus rationes in ea dumtaxat convenire poſſe, quæ realium attributorum cognatione & affinitate invicem devinciuntur; quod nec demonſtravit Spinoza, nec aſſeret quiſquam, qui rationem omnem non prius abjecerit. Etenim verum id quidem eſt, cauſſæ efficientiam ad ea minime pertinere poſſe, quæ in cauſſa non continentur ratione aliqua; ſed hoc aliud quoque certum eſt exploratumque, opus haudquaquam eſſe, ut forma ſua & natura in cauſſa reſideat, quod in eadem contineri dicitur. In id Spinoza ipſe conſentire debet. Ejus quippe ſententia, Deus cauſſa eſt immanens eorum quæ ſunt; quæ autem ſunt omnia modi ſunt divinæ naturæ, quorum forma & ratio non prius Deo ineſt, quam in oras prodeant luminis. Si enim prius ineſſent, prius eſſent in alio quam ſint; & quandoquidem ea

quæ

Digitized by Google

quæ Deo per propriam inſunt formam, de ipſo vere dicuntur, Deus eſſet formaliter quilibet modus, antequam in modos evolvi, & explicari intelligatur. Igitur ſatis erit, ut quod a cauſſa efficitur, in eadem contineatur, ut minus perfectum in perfecto, quod naturæ ſuæ excellentia, quidquid uſquam perfectionis eſt capit. Ex quo conſequitur ultro Deum creare poſſe extenſionem omnem, tametſi extenſio in Deo non ſit. Neque hoc detrahitur quidquam divinæ perfectionis infinitudini, quod minus perfecti formam non complectatur; quinimmo id ſumma reſpicit perfectio, ut ſegregata ſit ab omnibus, quæ certo genere definita ſunt.

Verum hæc diutius perſequi piget tædetque; atque ut eo revertamur, unde nos Spinoza propoſitionibus ſuis abduxit, ex quo ſubſtantia exſiſtat per ſe, ſeu in ſe, inferre neutiquam licet, natura ſua exſiſtentiam complecti. Tres enim ſunt exſiſtendi modi, nimirum eſſe in alio, eſſe per ſe, ſeu in ſe, & eſſe a ſe; & quemadmodum ſecundus perfectior eſt primo, ita tertium eſſe utroque perfectiorem nemo neſcit. Cum ſubſtantia dicitur per ſe eſſe, ſeu in ſe, ſubſtantia definitur univerſim a ſuis inferioribus abſtracta. Cum abſtracta definitur, nemo ignorat, nihil affirmari quidquam, quod extra mentem exſtantiam habeat ſuam, ſed tantummodo innui, attributum in id convenire omne, quod ſubjecto definitionis continetur. Exempla ad id omnium in oculis ſunt. Circulum figuram planam dicimus nullis inciſam angulis. An cum id dicimus, reapſe deſcribi, & eſſe circulum dicimus? nil minus. Sed tantummodo aſſerimus pertinere ad planam figuram, quam circulum appellamus, ut ne ullis angulis intercidatur. Quid ita? Propterea quod abſtracta inter cogitata tantummodo ſunt, nimirum in mente tantum exſtantiam habent. Ipſorum

quippe artifex eſt mens, quæ particularia conferens, illa effingit & exprimit. In re noſtra ut hæreamus, conſideremus, Deum, mentem, corpus: invenimus in Deo cogitationem infinitam, in mente finitam, in corpore extenſionem. Ubi tantiſper ad hæc attendemus, comperimus etiam ita per ſe & ſeorſim intelligi, ut illis nihil qnidquam ſuperſit, quo referri queant; & præterea in mente perceptiones perceptionibus ſuccedere, & corpus identidem varios ſubire motus, quin tamen aut menti aut corpori quidquam vel depereat, vel accedat. Itaque fit, ut iſta rei ſubſiſtentis plenam habere formam cogitemus, ipſiſque tribuamus appellationem ſubſtantiæ. Inde vero progredimur, & ſubſtantiæ univerſim abſtractam notionem cudimus, dicimuſque, ſubſtantiam id eſſe, quod per ſe eſt, & per ſe concipitur. Erramus autem, & hac notione abutimur, ſi phraſim illam, per ſe eſſe, & in ſe, in alium trahimus ſenſum, perinde quaſi ad ſubſtantiam pertineat, ne ſit ab alio. Nam eſſe per ſe, & a ſe modi ſunt exſiſtendi quam longiſſime diverſi, ut nemo non videt. Multo autem erramus turpius, ſi ſubſtantiam univerſim, & abſtractam habere exiſtimamus immobilem certamque naturam, quæ notionis tueatur veritatem. Verbum enim Eſt tum realem exſtantiam ſignificat, cum ad rem revera exſiſtentem refertur: cum vero ad rem refertur, quæ inter cogitata tantummodo locum habet, tum affectionem deſignat mentis, hujus videlicet acceſſionem ad ideam, qua intellectus affirmat attributum de ſubjecto, ut circuli exemplo perſpicuum fit. Quare opus eſt prius ut ſubſtantia univerſim exſiſtat, idque a nobis cognoſcatur, quam ut ejus definitionis ope intelligamus ſubſtantiam reapſe exſiſtere.

Jam vero ſi neque ex definitione ſubſtantiæ, neque ex principiis aliis, quibus Spinoza uſus eſt, inferre licet ad

ejus

Digitized by Google

ejus naturam pertinere exſiſtentiam, propoſitio ſeptima Spinozæ aperte eſt falſa; cumque hæc baſis ac ſolum ſit totius ſyſtematis, totum hoc corruat neceſſe eſt. Et vero tanta in eo eſt definitionum obſcuritas, tanta principiorum ambiguitas, tantaque propoſitionum abſurditas, ut geometricæ methodi præter nomen nihil quidquam habeat.

Quantis autem erroribus ſcateat Spinozæ ſyſtema, a falſis, ac precariis principiis deductum, luculenter exhibet Cl. Wolffius, qui invicte demonſtrat, nullo modo geometricam methodum Spinoziano ſyſtemati potuiſſe aptari. Hypotheſim enim ſuam, inquit (a) Wolffius, de ſubſtantia unica infinita, cujus attributorum modificationibus neceſſariis prodeunt res cæteræ omnes, Spinoza nititur demonſtrare ex ſuis definitionibus atque axiomatibus, a communi conſenſu reprobatis. Enim vero principio Carteſiano confiſus, quod verum ſit, quidquid clare & diſtincte percipitur, ſeu ejus phraſi concipitur, ea, quæ in definitionibus ſuis ſumit, non demonſtrat. Principia probandi, qualia ſunt definitiones, quæ probatione indigent, nullatenus ſine probatione ſumuntur, precaria ſunt. Spinoza igitur in demonſtranda hypotheſi ſua utitur principiis precariis, quin nec per ſe notis, nec a communi conſenſu receptis, neque a Spinoza probatis, conſequenter Spinoziſmus principiis precariis nititur. Porro in definitionibus ſuis attributa cum determinationibus eſſentialibus, modos cum attributis, proprie ſic dictis, atque cum ente ab alio, ſubſtantiam denique cum ente a ſe confundit. Quoniam itaque in definitionibus ſuis diverſa pro iiſdem habet, neceſſe eſt, quod confuſa ſit notio. Denique Spinoza non modo ambigue definit finitum ſive limitatum, cujus tamen definitionis magnum in Spinoziſmo momentum eſt; verum

(a) *Part. poſt. Theol. nat. cap. 2. & 4.*

Digitized by Google

etiam ex iis, quæ de cæteris definitionibus oſtendimus, liquet, verba ejus tantum non eſſe omnia admodum ambigua, ita ut, ſi ad ea ſola animum advertas, vix, ac ne vix quidem conjectura aſſequi detur, quid ſignificare debeant. Spinozæ non niſi confuſa fuit extenſionis notio: perperam Spinoza extenſionem pro realitate habet: extenſio in ſenſu Spinozæ per ſe non concipitur. Spinoza non probavit extenſionem infinitam eſſe poſſibilem. Potentia Dei, per quam producuntur corpora juxta Spinozam, non eſt niſi potentia modificatrix. Spinoza non probavit in rerum natura non poſſe dari duas, aut plures naturas ejuſdem naturæ, ſive attributi; quum immo actu dentur genera, & ſpecies eadem eſſentialia habentia. Spinoza non demonſtrat, ſubſtantiam unam ab alia ſubſtantia produci non poſſe; denique non demonſtravit, ſubſtantiam omnem neceſſario eſſe infinitam, & præter Deum nullam dari, neque concipi poſſe ſubſtantiam; quod corpora, & animæ ſint in Deo tanquam partes in toto; quodque in homine non ſit libertas; quamquam de hac ipſa libertate, manifeſta omnium experientia, nos ipſi conſcii ſimus; & hanc veritatem omnium nationum conſenſio ſuggerit. Propterea ex his omnibus unuſquiſque facile colligere poteſt in Spinoziano ſyſtemate nullo modo aptari poſſe geometricam methodum; quum definitiones, poſtulata, & axiomata alia precaria, alia omnino ſint falſa: Præterea quæ Spinozæ opponi e diametro poſſunt, aperta ſuadet ratio, conſenſuque omnium recepta ſunt, & experimento cuique probata; ut luculenter præſtitit V. Cl. Volfius.

Quid? quod Spinozæ ſyſtema, jam pridem in Stoicis, ac Philoſophis aliis ſupra recenſitis, profligatum eſt. Sua namque ab antiquis Philoſophis, præſertim vero Stoicis ſumſiſſe Spinozam non inanis conjectura eſt. Vetus

quippe

Digitized by Google

quippe Ethninorum philoſophorum error eſt, Deum cauſſam eſſe immanentem rerum omnium. Id apud Senecam (*a*) videre licet, qui „ totum hoc, inquit, quo con- „ tinemur, & unum eſt, & Deus. Et alibi (*b*): „ vis il- „ lum (ſummum ſcilicet Deum) vocare mundum? non „ falleris. Ipſe eſt enim totum, quod vides, totus ſuis „ partibus inditus, & ſe ſuſtinens vi ſua. Conſonant hiſce, „ quæ Marcus Antonius habet: „ Mundus, (*c*) inquit „ unus per omnia, & Deus unus per omnia, una ſubſtan- „ tia, una lex, hoc eſt Stoicorum phraſi, una naturæ ne- „ ceſſitas, quam libro memorato inevitabilem appellat Se- „ neca; ex qua pendent actiones omnes & res. Porro autem ſi Deus & mundus una omnino res ſunt, motus etiam & quies non effecta Dei, ſed attributa & proprietates ut ſint neceſſe eſt, indeque omnia quæ fiunt in Deo ſint, tamquam in cauſſa immanente. Quæ ex hoc abſurda ſequantur, deduximus in ſuperioribus. His inſtitit Spinoza, & ex ſubſtantiæ notione unicam tantum in rerum natura eſſe demonſtrare inſtituit, eamque Deum, hoc eſt, totum hoc unum eſſe, ut cum Seneca dicamus, & Deum; vel ut ipſe Spinoza (*d*) loquitur: „ totam naturam unum „ eſſe individuum, cujus partes infinitis modis variant, „ abſque ulla totius individui mutatione. Tum declarare perrexit modum quo, omnia huic ſubſtantiæ (Deo) inſint, & ex ea emanent, & quemadmodum Stoici ad mundi legem, fatum, fatalem neceſſitatem, inviolabilem ordinem referebant, ita ipſe ad Divinæ naturæ neceſſitatem retulit. Sed Stoicorum doctrinam labefactavit ac plane disjecit apud Tullium Cotta in libro de Natura Deorum; & quæ ab eo diſputata ſunt etiam Spinozæ cogitata refellunt.

Inter

(a) *Epiſt.* 92. (b) *Lib.* 2. *Nat. quæſt.* 1. *art.* 45.
(c) *Lib.* 7. *art.* 9. (d) *In ſchol. Lem. VII. part. II. Eth.*

Inter eruditos Viros diſceptatum eſt, ut an Athei vere ſint, aut unquam fuerint. Ex hactenus dictis manifeſtum eſt, nonnullos Ethnicorum Philoſophos de attributis Divinæ naturæ prava ſenſiſſe. Alii autem affirmant, fuiſſe aliquos, qui aperte Deum exſiſtere negarunt, variiſque auctoribus memorantur; inter quos Laertius in vita Ariſtippi refert, Theodorum Cyræneum omnes de Diis opiniones ſuſtuliſſe, ejuſque auditorem Bionem, Deos nihil eſſe ſtatuiſſe. Et Athenagoras, Diagoræ aperte promulgatam ſententiam eſſe, nullum plane exſtare Deum, memorat. Buddeus etiam uberrime (a) diſſerens, an dentur revera Athei, ſic concludit. „ Quemadmodum „ autem ex hactenus dictis abunde patet, Atheos dari, „ ita etiam ſimul intelligitur, ſubinde Viros innocentes „ ſine cauſſa Atheiſmi fuiſſe accuſatos. Verum utcumque hæc ſe habeant; dari tamen vere ſerioque Atheos, ſunt viri eruditi, qui negant, dubitantve. Incredibile quippe videtur, quamquam Deum eſſe aliqui verbis negant, & obfirmato in impietatem animo, ut illud quod ore promunt, eos hanc communem & rationi conſonam notionem ita exſcindere ex animo potuiſſe, ut ſaltem non formidine oppoſiti anxii teneantur: nempe etiam eos, qui Deum negant, iſtum ſubinde in corde ſentiſcere; immo cæteris magis timere. Præterea animadvertendum eſt, non eſſe illico Atheos, quibus id nomen alii imponant, cum ſæpe Ethnici eo nomine notarent, non qui omnino Deitatem abnuerent, ſed qui eadem ſecum de religione ſentire recuſarent, quamobrem ab Ethnicis Chriſtiani Athei appellati. Ab hac enim calumnia Chriſtianos defendit Juſtinus Martyr apologia ad Senatum Romanum: & oratione ad Antoninum. Profecto ad Tribunalia trahebantur,

(a) *De Ath. cap. 7.*

Digitized by Google

tur, & tamquam impii damnabantur illi, qui ſpreta patria religione, adverſus eorum Deos, aut de ſummo Deo impie loquebantur; propterea Democritus ab Athenienſibus ejectus eſt, & in Foro ejuſdem Democriti libros combuſſerunt; tamquam enim curioſi damnabantur Philoſophi, qui rationibus humanis nixi, de divina natura audebant ferre ſententiam; propterea Socrates, ab Anyto, & Melito accuſatus, morte mulctatur, ut in ſui apologia apud Platonem. Philoſophorum etiam Sinenſium libri, inter quos Confucii numerantur, Imperiali decreto combuſti fuerunt, teſte (*a*) Picardo; non ita tamen aboleri potuerunt, quin plures apud Proceres remanſerint, & temporis progreſſu aſſeclas, & Patronos in Sinenſium regione habuerint. Hinc Confucii libri, a quodam Sciuto apud Japponenſes delati, eos nonnulli litteratorum adamarunt. Ad hæc, quæ refert Picardus, addit (*b*) Salmonius, quod quum Princeps quidam illius regionis Siſan, & Inaba, qui Confucii Sectam fuerat amplexatus, conatus fuiſſet, veterem populi delere religionem, irrito tamen eventu; propterea valde timens, ne ob eam cauſſam a Principatu deturbaretur, ſponte ſe abdicavit, collata in filium dignitate.

Verum non tantummodo apud rudem populum impia philoſophantium dogmata abominio fuerunt; at etiam a præſtantiſſimis Ethnicorum Philoſophis ludibrio habita ſunt. Porro hoc loco referre ſufficiat ea, quæ diſſeruit Cæcilius ſermone, quem habuit (*c*) apud Minutium in Octavio, ubi ſic legitur: Quamquam tibi Marce frater, de quo cum maxime quærimus non ſit ambiguum: utpote cum diligenter in utroque vivendi genere verſatus repudia-

(a) *Tom. 2. de relig. Sinenſ. & Jappon.* (b) *Tom. 2. cap. 3.*
(c) *Apud Anſaldum lib. 3. num. 17.*

Digitized by Google

pudiaris alterum, alterum comprobaris: impræſentiarum tamen ita tibi informandus eſt animus, ut libram teneas æquiſſimi judicii, nec in alteram partem propenſus incumbas: ne non tam ex noſtris diſputationibus nata ſententia, quam ex tuis ſenſibus prolata videatur. Proinde ſi mihi quaſi novus aliquis, & quaſi ignarus partis utriuſque conſidas, nullum negotium eſt patefacere, omnia in rebus humanis dubia, incerta, ſuſpenſa, magiſque omnia veriſimilia, quam vera. Quo magis mirum eſt, nonnullos tædio inveſtigandæ penitus veritatis cujulibet opinioni temere ſuccumbere: quam in explorando pertinaci diligentia perſeverare. Itaque indagandum omnibus, indoleſcendum eſt, audere quoſdam, & hoc ſtudiorum rudes, litterarum profanos, expertes artium etiam ſordidarum, certum aliquid de ſumma rerum, ac majeſtate decernere, de qua tot omnibus ſæculis ſectarum plurimarum uſque adhuc ipſa Philoſophia deliberat: nec immerito, cum tantum abſit ab exploratione divina humana mediocritas, ut neque quæ ſupra nos cœlo ſuſpenſa ſublata ſunt, neque quæ infra terram profunda demerſa ſunt, aut ſcire ſit datum, aut ſcrutari permiſſum, aut ſtuprare religioſum: & beati ſatis, ſatiſque prudentes jure videamur, ſi ſecundum illud vetus ſapientis oraculum, noſmetipſos familiarius noverimus. Hactenus egregie Cæcilius. Ad eorum omnium itaque appello Tribunal, quos nullum cauſſæ hujus præjudicium occupavit, partiumque ſtudio vacuos, ad inveſtigandam veritatem integerrime factos, probos judices dicunt omnes: videant hi, num ad ſcrutanda altiſſima principia, & ad Dei attributa inveſtiganda deferendum ſit Philoſophiæ? Profecto ipſi Philoſophorum Principes de his ſe incerta narrare fatentur, ſuiſque ſententiis fidem non habent, quum ſæpe ſibi ipſis haud conſtantes videantur;

tur ; inſuper æterna eorum diſſidia , nulla unquam arte concilianda , apertiſſime oſtendunt , omnium gentium de ſummis capitibus perſuaſionem , a philoſophica facultate non eſſe profectam. Id idem , quod manifeſta ratione demonſtratum eſt , etiam in puncto facti uberrime comprobabitur ; referando , unde illa gentium perſuaſio ortum habuerit.

CAPUT VIII.

Inquiritur de multiplici via, qua in hominum animos rerum cognitio, verique intelligentia deſcendat.

ANtequam verba faciam de auxiliis hominibus paratis, ad divini naturaliſque juris originem inveſtigandam, ex quo jure cuncta hominum officia reguntur, monendum cenſeo , non eo me reſpexiſſe , quum philoſophiæ placita exponere atque convellere niſus ſum , ut ab hominibus hæc facultas , ſive diſſerendi ratio eliminetur ; quæ enim , utar Tullii verbis, ita eſſet mens, vel quæ vita potius, non ſolum diſputandi , ſed etiam vivendi ratione ſublata. Id igitur unum mihi propoſitum fuit , oſtendere , quanto in errore ſint, qui, nimium humanæ menti tribuentes, audaci cupiditate, ultra humilitatis noſtræ terminos evagantur; hinc vanis & formidoloſis opinionibus ſe implicant ; & convulſa pene univerſa vitæ degendæ , rerumque gerendarum doctrina, in id videntur præcipue conniti, ut pertinaci meditatione principia , omnium nationum conſenſione probata, inde repellant ; ſtudio enim inveniendi nova, ubi agitur de humanæ ſocietatis vi ac jure , audent ea negare , quæ apud omnes gentes certa & explorata habentur, aper-

tiſſimæque virtutum vitiorumque notiones inficiantur. Ardua quidem, & confragroſa ſunt, per quæ vocamur, labendique modi innumerabiles. In his tamen difficultatibus anguſtiiſque homine conſtituto, auxilia minime deſunt, quibus veri notitiam poſſit aſſequi, bonique Viri exſequi officia. Qua in re doctiſſimus Huetius (a) inquit, duplex eſt via, per quam illabitur in animos noſtros cognitio rerum: alia ſenſuum, ac rationis: alia fidei: obſcura illa, anceps & fallax, ad veri notitiam male fida & intuta, infinitis obſepta Philoſophorum tricis, & quæſtionibus: clara hæc, aperta, & conſtans, prælucens animo, ejuſque ancipites motus & fluctuationes, admiſſo cœleſti lumine, componens. Plane corneam hanc portam dicas, Poetarum carminibus celebrem, eburneam alteram. Cui fidem largitus eſt Deus, is probationes non requirit: qui fide caret, nulla illi ſufficit demonſtratio: neque vero ita ex ratione pendet Græcanica philoſophia, ut non fidei etiam alicujus neceſſitatem agnoſcat: quum enim in rebus ſacris promtum a nobis poſtulet Deus ad dictata ſua nutuſque animi obſequium; parem in civilibus Plato docilitatem deſideravit: unamque ex præſtantiſſimis legem eſſe cenſuit, quæ vetat, ne juvenum quiſquam in leges inquirere audeat, & quænam bene conſtitutæ ſint, & quænam ſecus, definire: nec aliter erga res divinas animatos eſſe vult; verum quæcumque ſuper iis etiam ſine probabilibus, vel neceſſariis argumentis credenda proponuntur, ea pronis auribus accipienda præcipit. Egregia quoque multa ex Auguſtino congerit idem Huetius, docente, quibus auxiliis ad veri notitiam perveniamus. Naturæ, inquit Auguſtinus, ordo ita ſe habet, ut quum aliquid diſcimus, rationem præcedat auctoritas: nam infirma ratio videri poteſt, quæ quum reddita fuerit, auctorita-

(a) *In Præfat. demonſt. Evang.*

Digitized by Google

ctoritatem poſtea, per quam firmetur, aſſumit: ſed quia caligantes hominum mentes conſuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum vitiorumque velantur, perſpicuitati, ſanctitatiſque rationis aſpectum idoneum intendere nequeunt: ſaluberrime comparatum eſt, ut in lucem veritatis aciem titubantem, & veluti ramis humanitatis opacatam, inducat auctoritas. Eadem paſſim inculcat Auguſtinus; ſed & totum de utilitate credendi librum ſcripſit.

Hanc Auguſtini ſententiam mirifice exornavit V. Cl. Pritannius; ex iis enim, qui de varia ac multiplici via, qua in homines rerum cognitio, verique intelligentia deſcendit, tradiderunt, omne punctum tuliſſe videtur. Altera, inquit (a), eſt veritas, quæ ſcitur: altera quæ creditur. Priorem in nos immittit accuratus uſus externorum ſenſuum, ubi ad eorum fidem accedat examen, atque rationis conſenſus: aut quando illam ipſa ratio detegit, adhibitis in conſilium & præſidium artibus, omnibuſque logices, & ſcientiarum documentis. Alterius veritatis, quæ creditur, compotes nos faciunt famæ traditio non temeraria, ad nos tranſiens per hiſtorias germanas, per majores, & æquales noſtros fide dignos, perque alia humani commercii ſubſidia: Hæc perſuaſio vocatur: prior veritatis cognitio ſcientia nuncupatur. Hinc Lactantius ait: nos omnia ſcire non poſſumus, quod eſt Dei: at neque omnia neſcire, quod eſt pecudis. Medium vero inter perſuaſionem, & ſcientiam tenere locum, & cum utraque participare videtur fides, quæ veræ religionis firma perſuaſio eſt. Accedit iſta ad prioris naturam: robore vero ipſam ſuperat ſcientiam: quippe e cœlo delapſa, divinaque auctoritate nixa, animos hominum beatiſſime allicit, & vincit, ibique tali inſidere vi ſolet, qualem nulla hominum

O 2

(a) *De ingenio. moder. cap.* I. & II.

minum violentia, nullus mortis terror vincere, aut infirmare deinceps poſſit. Nihil moramur, quid Arceſilas, quid Carneades, & Pyrro cum toto Scepticorum, Academicorumque grege obloquantur; qui quum cautiſſimi eſſe vellent, aut videri affectarent, omnium ineptiſſimi evaſerunt, pejora deliria amplexi: nam ſublata proterve omni ſcientia, ne hoc quidem (quod certe par erat) fateri cum Socrate amarunt, ſe hoc unum ſcire, quod nihil ſcirent. Horum ſententiam & tempus exarmavit, & recta ratio dudum confecit: noſtriſque præcipue temporibus ridendam exhibent tot artes, diſciplinæque late regnantes. Quod ad religionem pertinet, non honeſte ſolum poſſe quæri, ſed neceſſario quærendum ſciendumque eſſe. Ut error autem auferatur in quærendo, adſunt ſubſidia, quibus indigemus: & ſubſidium maxime neceſſarium illud eſt, ne in dubium revocentur prima principia per ſe nota, & omnium temporum, & omnium hominum conſenſu probata, & hoc quærere licet, quænam a Deo ſint vere revelata, & quænam ab hominibus conſtituta: critices autem, & aliarum artium documenta docent, quando neganda, quando habenda ſit fides hominum dictis. Quantum etiam ponderis habeat auctoritas in uſu vitæ, atque in aliquibus diſciplinis, & in hiſtoria potiſſimum nemo non ſentit. Si nihil aliud credere, quam quod ratio in ſe invenit, animum induceremus, magna non ſolum humanæ ſcientiæ, ſive eruditionis portio periret, ſed etiam infinita homini, atque hominum regimini impenderent incommoda. Aliorum ergo narrationibus, & fidei fidem habeamus oportet, niſi inter ſomnia computare velimus quidquid habent libri, & fama de præteritis ſæculis, immo & de præſenti ævo: quod profecto non faciat, niſi ſit verus ſomniator, & amens. Hactenus doctiſſimus Pritannius.

Porro

Digitized by Google

Porro ii, qui in pulvere litterario verſantur, probe ſciunt, quot quantaque inſtrumenta, ad maturitatem perducta, homo habeat, ad veri intelligentiam adipiſcendam, & præcipue dum agitur de rebus, quæ intereſt hominem ſcire. Illo etiam tempore, quo apud omnes gentes ſola naturæ lex vigebat, de facili homines Viri boni officia ediſcere poterant. Naturalis autem lex priorum temporum appellata eſt, eo quia homines, ad implenda naturæ humanæ officia, tantummodo majorum Traditionibus, ac naturali ratione utebantur. In majorum Traditionibus expreſſa erant rerum initia, capita ſumma, divini cultus ratio, in quibus elucebat aperte divinæ Providentiæ ordo, ac incorrupta vitæ gerendæ doctrina. Primigeniæ quippe Traditionis ope tenebræ mentis excutiuntur, conſilium emicat, tuta & conſtans, ad rerum agendarum, ſcientia reſeratur, & prudentia, omnium virtutum regina, acquiritur. Ex hoc enim fonte ſocietates omnes originem duxerunt; & a prudentioribus demum ad nobiliorem vitæ cultum, elegantioremque formam evectæ ſunt. Verum Traditiones illæ priorum temporum, ad hæc uſque tempora trajectæ, infixæ & quaſi inſculptæ in omnium nationum mentibus, coagulum omnium ſocietatum conſtituunt; noſque inclinant, ad conſentiendum piis caſtiſque legibus, ſuperne illapſis ex ratione illa ſumma, certiſſima & immutabili; nec aberrandum inde unquam, quamquam plurima ſuper humanum ſenſum oſtenſa ſint nobis. Ad celſiſſima enim principia firmanda, unde ſecundaria ſponte fluxerunt, impar videtur humanæ mentis acies; ab initio mundi præſto fuit divina Traditio, quæ mentes mirifice elevat, allicit, firmat, ita ut qui cœleſtis luminis adminiculo utuntur, capita ſumma commode diſpiciant, examinent, intelligantque. Cæteri vero, qui primigeniæ

Tra-

Traditionis conſpicillis uti negant, uni ſuo ingenio ſervire volentes, evaneſcunt in cogitationibus ſuis, & ad abſona, devia, impiaque revolvuntur; quibus tandem nulla ſufficit demonſtratio, neque ipſa irrefragabilis experientia placet, ut uberrime jam demonſtravimus, detectis erroribus, quos genuit, aluitque fecunda parens Philoſophia; de cujus origine, progreſſione, ac corruptione breviter verba faciam, quod ita exſequor.

Nemo non videt hominis eſſe ratione conniti ad veritatem inveſtigandam; ſed in hoc fruſtra vires intendit, qui non contendit ratione & via, certæque methodi legibus non obtemperat. Plura de hoc præcepta ſunt ab iis, quos ſapientes habuit appellavitque antiquitas; perplura quoque a recentioribus Philoſophis conſtituta ſunt, quæ in canones relata, eam philoſophiæ partem, quæ Logica appellatur, utiliorem reddiderunt & amœniorem. Hæc ſane laus Logicæ debetur, nimirum ejus induſtria factum, ut recte philoſophandi rationem certam atque conſtantem haberemus. Ipſa quippe mentis noſtræ operationes regit & format, progreſſiones dirigit, inventiſque vocibus, quibus conceptas animo notiones diſtinguimus, diſſerendi artem ac rationem certis expeditiſque temperavit modis. Antiquiſſima vero methodus diſſerendi facilis erat, ſimplex, & aperta, brevibuſque præceptis circumſcripta; nullis obſepta tricis, quæ uſque ad Socratis tempora pervenit. Profecto antiquiſſima illa ſimplex diſſerendi ratio ſervata eſt a Socrate in ſui apologia, & fuſius percipitur ex dialogis Platonis.

Ab antiquis ii, qui ſe dabant contemplationi, ſapientes vocabantur: Philoſophiæ vero nomen primus induxit Pythagoras, teſte (a) Laertio, ſeque ipſum nominavit Philo-

(a) *In Proœm. lib.* 1.

Digitized by Google

Philoſophum in eo ſermone, quem Sicyone cum Leonte Phliaſiorum Tyranno, ſive Sicyoniorum habuit: quemadmodum ait Heraclides Ponticus in libro de carente ſpiritu; nullum enim hominem, ſed ſolum Deum eſſe ſapientem; Philoſophum vero, qui ſapientiam amplexaretur. At vero philoſophiæ duæ origines exſtiterunt, quarum altera ab Anaximandro: altera a Pythagora eſt profecta. Anaximander Thaletem audivit: Pythagoræ Pherecides magiſter fuit. Et quidem altera Jonica vocabatur, ideo quia Thales Jonicus cum eſſet (erat enim Mileſius) Anaximandri magiſter fuit: Altera Italica a Pythagora, quia in Italia maxime philoſophatus eſſet. Sed Jonica in Clitomacho, Chryſippo, Theophraſtoque; Italica vero deſinit in Epicuro. Ad hæc, quæ ſcripſit Laertius, addit Jamblichus (*a*), Pythagoram compoſuiſſe ſuam Philoſophiam ad Orphei doctrinam; ſed & alteram ab altera conſenſionem & propagationem habuiſſe. Jam vero, ſequitur Laertius, Philoſophorum decretis aliqui nituntur: alii ab aſſenſu ſuſtinendo nominantur: decreta habent hi, qui ita res enuntiant, ac ſi comprehendi poſſint; ſuſtinent autem aſſenſum hi, qui quaſi nihil comprehendi poſſit, ita de omnibus rebus aſſenſum cohibent; atque horum quidem alii monumenta reliquerunt, alii nihil omnino ſcripſerunt.

Unde autem factum ſit, ut Philoſophi in tam devia & abſona abierint, colligitur ex eodem Laertio, qui loco citato, inquit: Protagoras autem litigioſorum genus diſputationum induxit, ut Timon de illo dicat: Protagoras immixſtus litigare bene ſciens, iſte Socraticam diſſerendi rationem primus immutavit. Hactenus Laertius. Invecto hoc litigandi genere laxata ſunt fræna, quæ coercebant opinionum arrogantiam; quæque depaſcebant luxuriam agnatam

(a) *In Vita Pythag. lib. 1. cap. 28.*

tam melioribus ingeniis ; propterea eliminatis majorum Traditionibus, nonnulli, jam recenſiti, Ethnicorum Philoſophi, uni ſuo ingenio ſervire voluerunt ; hinc primum in Orbe prodiit impietas, a primigenia Traditione ſe abdicando. Ea autem, quæ ab Ethnicorum Philoſophis de Natura Dei, rerumque initiis recte prolata ſunt, a patriis majorum Traditionibus hauſerunt, de quibus in progreſſu hujus operis uberrime habendus eſt ſermo ; quas quidem Traditiones faſſus eſt Democritus, qui primus viam impietatis aperuit, de quo ſic legitur apud Laertium in vita Anaxagoræ: „ Democritum autem hoſtili in Anaxagoram „ animo, quod ab eo non ſit receptus, de Sole, ac Luna „ ſententias illius eſſe negare, antiquas autem eſſe dicere, „ eaſque ipſum furatum eſſe, ab eodemque de mundi de„ ſcriptione, ac mente tradita carpere. Ex hac conſtanti gentium Traditione factum eſt, ut impiorum libri combuſtione publica fuerint coerciti, in quibus acerba multa adverſus Deum, & communes notiones continebantur, ut alibi monuimus. Attamen veritatis ſtudioſo, hiſce præcipue temporibus non perutilem modo, ſed neceſſariam eſſe philoſophiam cenſeo ; manifeſta enim experientia docet, plures ſublimi ingenio præditos, qui nunquam hanc facultatem attigerant, aut non ſatis, ut par erat, Philoſophorum ſophiſmis implicari, atque quaſi laqueis irretiri : ex adverſo ii, qui fraudes hujuſce facultatis ſcite agnoſcunt, nodos omnes impiorum vel expediunt, vel recidunt, quos illorum ſpecioſa atque exquiſite diſpoſita argumenta colligaverant. Ea enim Philoſophia, quæ a primigenia Traditione recedit, fallax, verſuta, nugarum plena, maximiſque erroribus ſcatens viſa eſt, a qua originem duxerunt monſtroſæ illæ opiniones de Natura Dei, ac de rerum initiis, ut inde impietas manaverit. Fraudes hujuſce litigioſæ

gioſæ artis ad noſtra uſque tempora deſcenderunt, e cujus fonte apud aliquos Theologia inſorduerat; propterea ampliſſimus Cardinalis de Porcia ſophiſticas diſputationes eliminandas eſſe cenſuit; hinc doctiſſimus Luchius in Funere Leandri Cardinalis de Porcia ſic ait: Intelligitis, opinor, Auditores, ad illam Urbem nunc orationem meam properare, ad quam Caſinenſis Ordinis ſpes, & bonorum vota Leandrum detulerunt. Qui cum primum Romam pervenit, totam Caſinenſem Familiam ſtatim mente complexus, ad revocandam priſtinam ſtudiorum rationem cogitationes omnes induſtriamque convertit. Irrepſerat etiam in iſtas ſedes, in quibus velut in portu quodam jactatæ litteræ quovis tempore conquieverunt, fœda illa ſophiſtices, quæ ſuperiori ætate ſcholas occupavit. Itaque muneris ſui eſſe ratus, peſtem illam peſſimam, quæ jejunitatem & maciem divinorum quoque ſcientiæ aſperſerat, profligare penituſque depellere, hoc animo ad Theologiam docendam acceſſit. Hactenus V. Cl. Luchius. De univerſa autem Philoſophiæ ac Theologiæ diſciplina, quamquam probe tradita, eruditiſſimus Cardinalis Lambertinus, quem nunc Summum veneramur Pontificem, in aurea illa Præfatione ſuper feſtis Chriſti diebus, diſerte docet: „ perutiles quidem eſſe in populo Dei „ Philoſophicas & Theologicas diſciplinas, quas aliarum „ ſcientiarum januas vocat; decipi autem eos, inquit, „ qui in his permanent, & ad altiora utilioraque ſtudia „ non progrediuntur, cenſentes ex illis ſolis diſciplinis, „ fieri poſſe ſatis doctos, atque idoneos Viros. Longe quidem illas diſciplinas, quantumvis enucleate traditas, diſtare manifeſtum eſt ab abſolutione ingentis operis, ut initia, leviter tantum adumbrata, diſtant. Ad litigioſam vero, & verſutam Ethnicorum Philoſophiam reſpiciens

Digitized by Google

S. Leo Papa (*a*) inquit: „ Conculcandas eſſe Philoſo„ phiæ opiniones, diſſolvendaſque terrenæ ſapientiæ vani„ tates. Sed & Lactantius (*b*) ait: „ Philoſophiam tol„ limus, quia humanæ cogitationis inventio eſt: Sophiam „ defendimus, quia divina traditio eſt. Hæc omnia adverſus impiam Philoſophiam deducta ſunt ab Apoſtolo, (*c*) docente: „ Videte ne quis vos decipiat per Philoſo„ phiam, & inanem fallaciam. Apoſtolus autem hoc pacto damnat Ethnicam Philoſophiam, quæ recedendo a principiis, totius Orbis conſenſione ſacratis, nova & admiranda, ſola humana ratione duce, ſtatuere conatur; non equidem rectam diſſerendi rationem, qua & ipſe Apoſtolus uſus eſt, quæ principiis exploratis, omniumque nationum teſtimonio probatis annititur.

Verum corrupta Ethnicorum Philoſophia aliquatenus utilis reddi poteſt, delibando ea, quæ vera ſunt; propterea Clemens Alexandrinus, dum Philoſophiam laudat, explicat, ſe intelligere eam, apud quam aliqua veritas deprehendatur, ſic (*d*) inquiens: „ Philoſophiam au„ tem non dico Stoicam, nec Platonicam, aut Epicuream, „ & Ariſtotelicam, ſed quæcumque ab his ſectis recte di„ cta ſunt, quæ docent juſtitiam cum pia ſcientia, hoc „ totum ſelectum dico Philoſophiam. In hoc conſentit Auguſtinus, ubi (*e*) ſic legitur: Quicumque igitur Philoſophi de Deo ſummo & vero iſta ſenſerunt, quod & rerum creatarum ſit effector, & lumen cognoſcendarum, & bonum agendarum, quod ab illo nobis ſit & principium naturæ, & veritas doctrinæ, & felicitas vitæ: Sive Pla-

(a) *Serm.* 1. *de SS. Petro, & Paulo.*
(b) *Divin. Inſt. lib.* 3. *cap.* 16.
(c) *Ad Coloſſ. cap.* 2.
(d) *Stromat. lib.* 1.
(e) *Lib.* 8. *cap.* 9. *de C. D.*

Digitized by Google

Platonici accomodatius nuncupentur, ſive quodlibet aliud ſectæ ſuæ nomen imponant: ſive tantummodo Jonici generis iſta ſenſerint, ſive etiam Italici propter Pythagoram & Pytagoreos, & ſi qui forte alii ejuſdem ſententiæ in id idem fuerunt: ſive aliarum quoque gentium, qui ſapientes vel Philoſophi habiti ſunt; aliique reperiuntur, qui hoc viderint, ac docuerint, eos omnes ceteris anteponimus, eoſque nobis propinquiores fatemur. Hactenus Auguſtinus. Laborandum autem eſt in quærenda eruendaque ex ipſorum Philoſophorum placitis veritate, neque de facili judicandum eſt de Ethnicorum Philoſophorum doctrina, quæ ab antiquis non raro ænigmatibus, ſigniſque, ac ſymbolis, & allegoriis tradebatur. De Druidibus ſic (*a*) Cæſar ſcribit: „ Eorum enim, qui ſæpe ad eos ac„ cedunt, & dederunt ſui experientiam, & in fide & in „ vita univerſa, ſolum volunt eſſe eam, quæ vere eſt, „ Philoſophiam, & veram Theologiam. Sed non ſolum „ Pythagorei, & Plato multa occultabant; ſed & Epicu„ rei dicunt, quædam eſſe apud ſe arcana, & non per„ mittere omnibus, ut ea ſcripta legant. Quia & Stoici di„ cunt, a Zenone primo quædam fuiſſe conſcripta, quæ „ non facile permittunt legere diſcipulis, quorum non „ prius factum fuerit ab ipſis periculum, an germane & „ ſincere philoſophentur. Quod Cæſar refert de antiquis noſtri Orbis Philoſophis, idem tradit (*b*) Picardus de litteratis Sinenſibus, qui habent doctrinam, quam ſecretam appellant.

Hiſce præmiſſis, ut ad rem, de qua agimus, propius accedam, ſtrictim referam, quæ eruditiſſimus P. Camillus Durantus C. T. celeberrimo opere de vera ſapientiæ idea

P 2 uber-

(a) *Lib. 6. de bello Gall.*
(b) *Tom. 2. de Sinenſ. doctr.*

uberrime tradit. Inter cetera hæc (a) habet: Sapientia abſolutum & proprium eſt divinæ naturæ attributum; Deus enim eſt aggregatum puriſſimæ lucis, omniumque perfectionum. Porro Deus nuncupari potius debet ipſa ſapientia, quam ſapiens. Sapientia autem Dei, rationabilibus creaturis communicata, ea eſt, quæ ſapientes facit. Illa quippe eſt cauſſa efficiens, ſapientiæ ſalutaris, quæ intellectum illuſtrat, & in qua ineſt vera animi vita: hinc propria divinæ naturæ attributa ediſcimus: hinc altiſſimarum cauſſarum notiones, veræ religionis arcana, incorruptaque moralis diſciplinæ præcepta haurimus, mirabilemque connexionem inter divina & humana percipimus. Sapientia divina rationabilibus creaturis tradita, natura ſua intellectualis eſt; propterea lux eſt, & vita rationabilium ſubſtantiarum; eaque ſola eſt, ex qua homo vere ſapiens redditur. Hactenus excerpta a V. Cl. Duranto. Profecto præſtantiores Ethnici ultro faſſi ſunt divinarum rerum ſcientiam non humano ingenio, ſed Dei ope acquiri, nimirum a Deo mentibus lucem infundi. Quamquam de hac re in progreſſu operis luculenter diſputandum ſit, attamen ut librum hunc apte concludam, placet aliqua tradere, ex quibus colligi poſſit, puriorem Ethnicorum Theologiam e duplici fonte fuiſſe deductam, ſcilicet majorum Traditionibus, atque naturali ratione; cernebant enim humanæ rationi eſſe ſubnixa, quæ Traditione acceperunt. Capita enim ſumma, a Deo homini primo tradita, veritatis fontes, lumen ſuum ceteris rebus porrigunt, ut cum Deum ipſum, tum cetera videre poſſis; ita ut contemplatione aſſidua eadem objecta magis ac magis illuſtrentur. Si ſecus in iiſdem inveſtigandis, ſola humana ratione duce, totus inſiſtas, ſimplicitate ſua fugiunt obtutum, & copia lucis afficiunt ita, ut

(a) *Lib. 1. cap. 4. & ſequent.*

Digitized by Google

ut quaſi per caliginem tenebras obducant. Primigeniæ igitur Traditionis ſidere præeunte, data eſt homini facultas intelligendi & aliena, & ſua, „ ut ita (verba ſunt (*a*) Mercurii Triſmegiſti) diſcuſſis ab animo errorum tenebris, „ & veritatis claritate percepta toto ſe ſenſu intelligentia „ divina commiſceat. Præſtantiores Ethnicorum Philoſophi agnoverunt, etiam Divinum ac naturale jus cœleſte donum eſſe, & æternum quiddam, elevans animi facultatem, ut quiſque ſibi ipſi aptus eſſe poſſit, civilique ſocietati probe accomodatus reddatur: Propterea fatentur divinitus fuiſſe conſtitutos Pontifices, & Sacerdotes, Deo propinquiores, a quibus populi ediſcere deberent religionis myſteria, morumque diſciplinam. Hinc Cotta apud Tullium (*b*) inquit: „ Sed dum de religione agitur T. Coruncanum, P. Scipionem, P. Scævolam Pontifices Maximos, non Zenonem, aut Cleanthem, aut Chryſippum „ ſequor: habeoque C. Lelium Augurem, eundemque „ ſapientem, quemque potius audiam de religione dicentem in illa oratione nobili, quam quemquam principem Stoicorum. Et alibi (*c*) Cicero ait: „ Nihil loquor „ de Pontificio jure, nihil de ipſis verbis dedicationis, „ nihil de religione ac cærimoniis. Non diſſimulo me „ neſcire ea, quæ etiam ſi ſcirem, diſſimularem, ne aliis „ moleſtus, vobis etiam curioſus viderer. Profecto ab initio duæ ſupremæ poteſtates divinitus conſtitutæ ſunt: una, quæ ſpiritualia, altera temporalia moderetur; ordo iſte apud omnes nationes pervulgatus videtur, & permanet. Neque obſtat, quod nonnulla ab humanis inſtitutionibus corrupta videantur; hoc enim humanum vitium eſt:

(a) *Apud Pfannerum cap.* 2.
(b) *Lib.* 3. *de N. D.*
(c) *Cicero de Pontif. jure pro domo ſua.*

Digitized by Google

eſt: at de cauſſis corruptionis aptiori loco habendus eſt ſermo; quæ autem a Deo ordinata ſunt, in æternum permanent, in quibus apparet ſumma imperandi prohibendique ſapientia, ex qua homo percipit ea omnia, quæ debet Deo, ſibi ipſi, & proximo; ex quibus hominum officia ab initio mundi conſtituta ſunt, omneſque hominum ſocietates coagmentatæ cernuntur.

Itaque indoleſcendum eſt, audere quoſdam Philoſophos, certum aliquid, ſola humana ratione, de majeſtate divina, rerum initiis, morumque diſciplina decernere, de quibus tot retro ſæculis immerito philoſophia deliberat. Quantelumcumque enim illud eſt, quod humana mediocritas de illa perfectiſſima Dei natura intelligit, id abſtractione, & negatione quadam aſſequitur; hæc quippe craſſa caro, & caligo quædam noſtris luminibus officit, non illorum tantum, qui ob ſtultitiam deorſum vergunt, ſed etiam ſublimium, ſummoque ſtudio in rerum divinarum indagatione verſantium; utpote quia divina natura noſtræ intelligentiæ limites infinite excedat; & omnino ſupra vires, ac rationes noſtras poſita ſit; propterea divinam ſimpliciſſimam eſſentiam, qualis ipſa in ſe eſt (verba ſunt (*a*) Auguſtini) explicare non poſſumus, neque attingere. Hanc veritatem probe agnoverunt præſtantiores Ethnicorum Philoſophi. Felix Minucius de Deo ſic (*b*) inquit: „ Hinc nec videri poteſt, viſu clarior eſt, nec comprehendi poteſt, nec æſtimari: ſenſibus major eſt, infinitus, immenſus, & ſoli ſibi tantus quantus eſt notus. Nobis vero ad intellectum pectus anguſtum eſt: & ideo ſic eum digne æſtimamus, dum inæſtimabilem dicimus. Eloquar quemadmodum ſentio:

(a) *Lib. 9. cap. 16. de C. D.*
(b) *Apud Pfannerum cap. 2. & 10.*

„ tio : Magnitudinem Dei , qui ſe putat noſſe , minuit ,
„ qui non vult minuere , non novit. Propterea ſcimus ,
„ quomodo naturam Dei , ut in ſe vere eſt , neſciamus.

Attamen Deus dat nobis ſenſum , ut cognoſcamus verum ; ornamenta autem cœleſtis doctrinæ , & virtutis diſtincta ſunt inter homines, quæ Apoſtolus enumerat inquiens : „ Alii datur per Spiritum ſermo ſapientiæ , alii „ ſermo ſcientiæ ſecundum eundem Spiritum , alii gratia „ ſanitatum in uno Spiritu , alii operatio virtutum , alii „ Prophetia , alii diſcretio Spirituum , alii genera lingua„ rum , alii interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia „ operatur unus atque idem Spiritus , dividens ſingulis „ prout vult. Notiones autem , quæ unicuique neceſſariæ ſunt , quæque intereſt hominem ſcire , omnibus præſto ſunt , ut tuta & conſtans rerum agendarum ſcientia reddatur ; ex quibus notionibus orta eſt vera in populis pietas , ac juſtitia ; vitæque gerendæ tota ratio pendet. Illud etiam omnibus nationibus omni ævo firmiter perſuaſum fuit , & noſtro quoque eſt , Deum eſſe Omnipotentem, Univerſi Creatorem, ac Moderatorem, nutu ſuo cuncta regentem, qui primos homines docuit, eiſque dedit leges ſanctiſſimas, nos illuminantes , & inclinantes ad conſentiendum Dei mandatis , nec aberrandum inde unquam ; quamquam in libertate conſtituerit hominem repugnandi , non tamen impune licet. Omnium enim gentium perſuaſio de animorum humanorum immortalitate , de extremo judicio , de præmiis pœniſve in vita futura ſuperne illapſa eſt ex voluntate illa invincibili , ac certiſſima, cui non credere , manifeſtum amentiæ argumentum eſt. Idcirco quum humanæ argumentationes ex hiſce principiis deducuntur, omnium gentium conſenſione probatis (quod in progreſſu hujus operis demonſtrabitur) ſponte

fluunt

fluunt boni ac pii Viri officia, verique intelligentia in animos deſcendit.

Illud præterea animadvertendum eſt, non tantummodo impietatem eſſe vitandam, verum etiam ſuperſtitionem; utraque enim eſt mortifera peſtis; religio enim in ſuperſtitionis lacunis ſic inſordeſcit, ut ſuis craſſis exhalationibus veræ religionis ſpiritum obtenebret. Hinc alii, hanc infeſtam paludem agnoſcentes, in impietatis præcipitium inciderunt, teſte Plutarcho in moralibus de ſuperſtitione. Ad eliminandam autem impietatem ſcrutabor primigeniæ Traditionis veritatem & durationem, evolvendo ſæcula ferme ſingula, omnium nationum doctrinam, religionem, mores, & conſuetudines percurrendo, ut eluceſcat, celſiſſima principia, & rerum initia non a ſolo ſacrarum ſcripturarum teſtimonio, ſed etiam ab ipſa expilata, & fœdata Gentium religione in lucem prodire.

DE

Digitized by Google

DE JURIS DIVINI, ET NATURALIS ORIGINE

LIBRI SECUNDI

CAPUT I.

Homines a Deo primum, deinde ab Angelis Sanctis edoctos fuiſſe demonſtratur; idque apud Gentes continuata traditione pervulgatum.

QUUM ſuperiore libro oſtenſum ſit, celſiſſima capita, morumque diſciplinam a Philoſophia haud prodiiſſe, ſuſcepti muneris ratio poſtulat, ut diligenter inquiramus, unde petendæ ſint cum regulæ firmiſſimæ morum, tum religionis pietatiſque ergaDeum notiones, quibus mortales firmiter imbuti, recta pergere queant via, & ſine ullo errore tute ad finem eum pervenire, cujus gratia conditi ſumus. Qua in re abſque ulla dubitatione dicimus, hæc omnia a Deo ipſo ad homines perveniſſe, puriſſimo omnis veritatis fonte, qui quum ſit veritas ipſa, nec falli, neque fallere poteſt. Porro Deus vel ipſe per ſe, vel Sanctorum Angelorum miniſterio primos humani generis Patriarchas docuit: eaque omnia, quæ hoc pacto illi didicerant, accurato magiſterio oralis traditionis Parentum ad filios, conſtanti ſucceſſione, & hæreditario quodam jure ad omnes Gentes tranſierunt; ex quibus omnibus naturæ lex conſtituta eſt, quæ

Digitized by Google

viget & vigebit uſque ad finem ſæculorum. Profecto naturæ lex nuncupata eſt, eo quia omnino rationabili naturæ conſona videatur, quamquam eam a Deo acciverint homines, cujus nimirum ſummæ ſapientiæ proprium erat tantum perfectum opus architectari, undecumque illud ſpectes; quælibet enim objecta in punctum veluti unum deſinunt.

Hujuſce argumenti monumenta, ut mei inſtituti ratio poſtulat, petenda primum ſunt a Populo Dei, deinde Ethnicorum. In Scripturis Sanctis ſic (*a*) legitur: omnis ſapientia a Domino Deo eſt: & effudit illam ſuper omnia opera ſua, & ſuper omnem carnem ſecundum datum ſuum. De primo autem Homine poſt lapſum Moſes (*b*) inquit: Invenit eum (Deus) in terra deſerta, in loco horroris & vaſtæ ſolitudinis: circumduxit eum, & docuit, & cuſtodivit quaſi pupillam oculi ſui. Et David (*c*): Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Quum autem in ſacris litteris expoſita ſint crebra inter Deum & antiquos Patriarchas colloquia, ſupervacaneum cenſeo ea ſingillatim referre. Præterea in iiſdem Sacris Scripturis perſpicua ſunt colloquia inter Sanctos Angelos homineſque; ſed & manifeſtum eſt, Deum illorum Spirituum miniſterio perſæpe voluntatem ſuam hominibus pateféciſſe, futura prædixiſſe, ac mirabilia patraſſe. Hos Spiritus Apoſtolus (*d*) dicit, adminiſtratorios Spiritus, in miniſterium miſſos propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. Hinc S. Hieronymus (*e*) inquit: Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum. Ex hoc etiam commercio factum eſt, ut malorum Spirituum notio ad homines perveniret, ne occulti

(a) *Eccleſ. cap.* 1. (b) *Deuter. cap.* 32.
(c) *Pſal.* 118. (d) *Ad Hebræ. cap.* 1.
(e) *Lib.* 3. *in* 18. *cap. Matth.*

Digitized by Google

culti hoſtis fraudibus deciperentur. Diabolus enim eſt ille antiquus humani generis adverſarius, qui quum adverſus Deum punitorem ſuum inexpiabili rabie incendatur, nulli parcit labori, ut homines a Deo avertat, ſecumque eos trahat in perditionem. De Principe Dæmoniorum apud Iſaiam capite decimo quarto ſic legitur. „ Quomodo cecidiſti de Cœlo „ Lucifer, qui mane oriebaris? Corruiſti in terram, qui „ vulnerabas gentes? Qui dicebas in corde tuo: in Cœ„ lum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, „ ſedebo in monte teſtamenti in lateribus aquilonis: aſcen„ dam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo. Dum hæc ſuperbe cogitaret, de Cœlo dejectus eſt cum ingenti Spirituum turba, quæ cum illius temeritate conſenſerat. Altiſſimæ notiones ſublimium illorum Spirituum converſæ ſunt in exquiſitiſſimas artes ad fallendum: invidia, & implacabile odium caritatis locum occupaverunt: eorumque felicitas converſa eſt in malignam conſolationem tentandi homines, ut eos a Deo avertant, habeantque pœnarum ſocios. Nequiſſimi Principis Dæmoniorum artes graphice deſcribens ignotus auctor ſoliloquiorum (quæ falſo D. Auguſtino tribuuntur) ſic capite decimo ſexto ait: Ecce tetendit ante pedes noſtros laqueos infinitos, & omnes vias noſtras variis replevit decipulis, ad capiendas animas noſtras: laqueos poſuit in divitiis, in paupertate: laqueos tetendit in cibo, in potu, in voluptate, in ſomno, & in vigilia: laqueos poſuit in verbo, in opere, & in omni via noſtra; ſive enim dormiamus, ſive vigilemus, ſive comedamus, ſive bibamus, ſive quodcumque opus operemur, omnibus modis inſtat die ac nocte fraudibus, & artibus, nunc palam, nunc occulte ſagittas venenatas contra nos dirigens, ut interficiat animas noſtras. Hactenus ignotus auctor. „ Immenſum autem, ut libro primo capite primo inquit Voſ-

Digitized by Google

„ ſius, beneficium eſt, quod Deus non contentus homi-
„ nem condidiſſe, eum præmio vitæ æternæ propoſito, ra-
„ tionem docuerit colendi ſui. Quum vero manifeſtum ſit, de his omnibus in populo Dei eſſe firmam perſuaſionem, reliquum eſt, ut oſtendamus, eandem perſuaſionem apud omnes Gentes fuiſſe propagatam, ac apud Ethnicos noſtro quoque ævo irrefragabiliter perſeverare.

Exordiar a Platone, qui de primis hominibus ſic (a) loquitur: „ Deus ipſe illorum Paſtor & Cuſtos dictus:
„ quemadmodum homines nunc brutorum paſtores ſunt. Plutarchus (b) inquit: „ Supremus Deus omnium Pa-
„ ter & Opifex eſt appellatus. Item Ariſtoteles (c) ait:
„ Ideo bene Homerus de Jove inquit: Hominum Pater,
„ atque Deorum. Quum autem præcipua Patris proprietas ſit, filios docere, eorumque curam gerere; propterea ab Ethnicis quoque ſummus Deus hominum Pater nuncupatur. Hinc Seneca (d) vocat „ bonos Viros, Dei diſcipu-
„ los, quos Parens ille magnificus, virtutum non levis exa-
„ ctor, ſicut ſeveri Patres, durius educat. Socrates, in ſui apologia apud Platonem, diſſerens adverſus Athenienſes, qui eum tamquam curioſum damnaverant, ſic ait: „ cre-
„ dibile porro non eſt, quod Deus mentiatur; quoniam
„ mentiri non convenit Deo. Hoc certe Socrates Athenienſibus objicere haud debuiſſet, niſi iiſdem jam perſuaſum fuiſſet, Deum docuiſſe homines, quos alloquio ſuo dignabatur. Sed & Homerus hymno in Jovem ſic cecinit.

Jovem Deorum canam optimum & maximum,
. . . . quique cum Themide
Seorſum ſedente crebros ſermones miſcet.

Sophocles de legibus ſic (e) canit:

Leges

(a) *Polit. pag.* 175. (b) *Quæſt. Platon. art.* 2.
(c) *Polit.* 1. *cap.* 8. (d) *Lib. de Provid. cap.* 1.
(e) *Oed. Tyr. verſ.* 878.

Leges excelſæ, quæ cœlitus
Natæ ſunt, quarum
Deus Pater eſt ſolus, neque eas
Mortalis hominum natura peperit.

Hinc Plutarchus (*a*) inquit: „ Ubi eædem omnibus leges, „ ſub eodem magiſtratu, ubi unus Rex & Princeps Deus. „ Hunc comitatur juſtitia ultrix eorum, qui divinam le„ gem deſeruerunt. Propterea Cicero (*b*) moralem legem divinam eſſe dixit. „ Hanc ſapientiſſimorum, ait, fuiſſe „ ſententiam, legem neque hominum ingeniis excogita„ tam, neque ſcitum aliquod eſſe populorum, ſed æter„ num quiddam, quod univerſum mundum regat, impe„ randi prohibendique ſapientia. Ita principem legem il„ lam & ultimam, mentem eſſe dicebant, omnia ratione „ aut cogentis, aut vetantis Dei.... Quamobrem lex vera „ atque princeps apta ad jubendum, & ad vetandum, ra„ tio eſt recta ſummi Jovis. Tacitus libro de Germaniæ populis hæc habet. „ Ceterum neque animadvertere, ne„ que vincire, neque verberare quidem, niſi ſacerdotibus „ permiſſum: non quaſi in pœnam, nec Ducis juſſu, ſed „ velut Deo imperante. Ægyptiorum eadem fuit ſententia, ut ſupra diximus teſtimonio Mercurii Triſmegiſti, quod ſcilicet „ diſcuſſis ab animo errorum tenebris, & ve„ ritatis claritate percepta toto ſe ſenſu intelligentia divina „ commiſceat. Ad hæc addit (*c*) Voſſius: „ Ægyptii, „ inquit, dixerunt Prometheum fuiſſe divinitus edoctum, „ & hunc Prometheum fuiſſe Noe.

Eadem perſuaſio fuit apud populos alterius Hemiſpherii, noſtris antiquis omnino ignoti. In antiquiſſimo, inquit (*d*) Huetius, orientalium Brachmanum Codice

(a) *De Exſilio.* (b) *De LL. lib.* 2.
(c) *Lib.* 1. *cap.* 18. (d) *Propoſ.* 4. *cap.* 2. 6. *&* 7.

dice Chaſter nuncupato legitur, antiquos Patriarchas a Deo fuiſſe edoctos; & in eodem ſcriptum eſſe, Deum de nube Bremavio Patriarchæ legum ſuarum Codicem tradidiſſe. Item antiqui Mexicani loco, quo Dei reſponſum acceperant, illic ara lapidea ab illis exſtructa fuit. Confucius quoque celebris Sinenſium Philoſophus ſcripſit, alias eſſe cœli leges hominibus traditas, alias terræ, hoc eſt eas, quæ ab hominibus conſtitutæ ſunt, ut videre eſt libro ſecundo capite primo ejuſdem Confucii. Hæc conſona videntur iis, quæ vulgata fuerunt in noſtro Hemiſpherio, teſtibus Diodoro Siculo, & Platone libro tertio de legibus, ut idem Huetius refert. Item P. Vincentius Maria a Siena, qui Miſſionarii munus apud Indos orientales explevit, libro primo teſtatur, „ in Brachmanum orientalium libris reperiri, homines a Deo fuiſſe edoctos. Apud Gonzalum de Mendozza de Sinenſibus libro ſecundo capite quinto legitur, „ in antiquioribus Sinenſium libris ſcriptum eſſe: „ Deum creaviſſe homines, eoſque ſcientias docuiſſe. Picardus (a) refert, „ Americanos firmiter credere, a Deo, quem „ Spiritum univerſalem dicunt, gubernari mundum, ho„ minumque mentes ab eodem Spiritu illuminari, religio„ nemque traditam fuiſſe. Additque, habitatores Inſulæ „ Canadenſis firmiter credere, bona cuncta, quibus fruun„ tur homines, ab univerſali fluxiſſe Spiritu, a quo recta „ conſilia, donaque omnia proveniant. Eruditiſſimus Laſitavius, Societatis Jeſu, qui integro luſtro apud ſeptentrionalis Americæ Silveſtres vitam egit, illorum religione, moribuſque exacte perpenſis (b) ſcribit, „ illos Ethnicos „ populos fateri, Deum fuiſſe religionis auctorem, & „ eſſe religionis objectum. Adduntque illi Silveſtres, „ Deum

(a) *Tom. 1. in ſuppl. part. 1. de relig. Americ.*
(b) *Tom. 1. pag. 108. & pag. 115.*

Digitized by Google

„ Deum ſæpe ſe manifeſtaviſſe primis humani generis Pa-
„ rentibus, ut Deum ipſum poſteri majorum traditioni-
„ bus agnoſcere poſſent. Neque Deo, inquiunt, fuit ſa-
„ tis, ſe prodere divinorum operum bonitate, & ad cor
„ hominum loqui conſcientiæ teſtimonio; ſed ad alios
„ quoque ſe manifeſtavit per ſe ipſum, aut miniſterio bo-
„ norum Spirituum; hoc enim commercio Deus ipſe vo-
„ luit eſſe hominum magiſter. In exordio autem ſui operis Laſitavius animadvertit, religionem etiam, & moralem diſciplinam illarum Gentium divinæ revelationis notionem præſeferre, quum ea, quoad ſubſtantiam, conſentanea priorum Patriarcharum inſtitutis videantur; propterea apertiſſimæ falſitatis arguit eos ſcriptores, qui pervulgare auſi ſunt, apud populos Americæ barbaros nulla inveniſſe veſtigia religionis, quod omnino falſum eſt. Profecto omnes populi & culti, & barbari totius hujus Orbis terraquei, ut in contextu hujuſce operis uberrime demonſtrabitur, aliquam religionem profitentur, quæ, quamquam apud plurimos vanis additamentis fœdata ſit, antiquæ tamen veræ religionis fundamenta, & in quolibet populo haud obſcuram etiam antiquæ ſpeciem ipſa religio corrupta ſervavit. Et hoc mirum non videbitur animadvertenti, eadem omnibus populis eſſe initia, quamquam non iidem ſint progreſſus, & cogitandi modi, ex quibus tot diſſentanea oriuntur. De cauſſis autem corruptionis aptiori loco habendus eſt ſermo. Principia autem celſiſſima tanta ſunt divinitus ſoliditate firmata, ut ea nunquam ſive ſuperſtitiones, ſive pravorum hominum cogitata labefactare potuerint. Gonzales de Oviedo ſcribens ad Carolum V Imperatorem de ea Americæ parte, quæ tunc detecta fuit, (a) ait: „ Americanos fateri, a Deo leges
„ datas

(a) *Lib. 5. cap. 3.*

„ datas fuiſſe, ſtatutaque in eos ſupplicia, qui illas violave-
„ rint. Deumque innotuiſſe hominibus, tradendo iiſdem
„ myſteria religionis, & leges. Quum autem capite quarto hujus libri omnium Gentium conſenſus exibendus ſit de juſtitia Dei ultrice, præcipue in vita futura; ſatis ſuperque ſunt, quæ hactenus de divinis legibus tradidimus.

Inſtituendus itaque eſt ſermo de miniſterio Sanctorum Angelorum, ut de hac quoque re Ethnicorum conſenſio cum populo Dei deduci poſſit. Eruditiſſimus Gerardus Voſſius, Idololatriæ diligentiſſimus ſcrutator plurimorum Ethnicorum ſcripta congeſſit, quæ ſtrictim referam. De Angelorum miniſterio ſic (*a*) Appulejus: Sunt quædam divinæ mediæ poteſtates, per quas & deſideria noſtra & merita ad Deos commeant, inter mortales cœlicolaſque vectores, hinc precum, inde donorum. Alterum poſuere Platonici, tum in mandatis Dei denunciandis, tum in patrandis mirabilibus & portentoſis, tum in futuris prædicendis, de quibus ſic idem Appulejus: Per hos eoſdem, ut Plato in Sympoſio autumat, cuncta denuntiata, & magorum varia miracula, omneſque præſagiorum ſpecies reguntur. Ex Cenſorini ſententia Genius eſt Deus, cujus in tutela, ut quiſquis natus eſt, vivit; nempe ſingulos ſingulis cuſtodes apponi voluere. Socraticum poſtea documentum Appulejus de Angelo ſubdit: Hic prorſus cuſtos, ſingularis præfectus, inſeparabilis teſtis, malorum improbator, bonorum probator, ſi rite animadvertatur, ſedulo cognoſcatur, religioſe colatur, ita ut a Socrate juſtitia & innocentia cultus eſt.... Ex Cenſorino, & Platone haberi, Genium eſſe Deum, cujus in tutela, ut quiſquis natus eſt, vivit. Hos cuſtodes eſſe, recti hortatores, & monitores in dubiis, & in vita agenda, ſem-

per

(*a*) *Lib. 1. cap. 5. 7. 18. & 41.*

Digitized by Google

per adeſſe teſtes, nemini conſpicuos, actorum, verum etiam cogitatorum; at ubi vita edita remeandum eſt, eumdem illum, qui nobis præditus fuit, raptare illico, & trahere veluti cuſtodiam ſuam ad judicium, atque illic in cauſſa dicenda aſſiſtere, ſi qua commentiatur, redarguere, ſi qua vera dicat, aſſeverare, prorſus illius teſtimonio fieri ſententiam.... Tria vero genera Spirituum ab antiquis cognita ſunt; ſummus Spiritus mundi opifex: medius Spiritus, hoc eſt, Angelus: imus Spiritus, anima hominis. Medius Spiritus, ſive Angelus eſt bonus maluſve, quorum utrumque Dæmoniorum nomine Platonici intelligunt: alii, ut ex Plutarcho, qui eſt melior Deum, qui deterior Dæmonem dicunt. Cenſorinus autem eumdem eſſe dicit Genium, ac Larem, ut multi veteres prodiderunt, in queis etiam Graccus Flaccus in libro, quem ad Cæſarem de indigitamentis ſcriptum reliquit. Alii vero ſunt Genii, ſive Manes, quos inter Deos publica adſcivit auctoritas, quoſque dixere Spiritus cuſtodes, quos Deus vel obſervatores homini appoſuit, vel tutelæ præfecit loci, præcipue Urbis, vel regionis. Hinc Servius in 1. Georg. inquit. Genium dicebant antiqui naturalem Deum uniuſcujuſque loci, vel rei, aut hominis. Et apud Ammianum Marcellinum Genius tutelæ ſalutis appoſitus: Genius appoſitus feminæ dicitur Juno: Loci vero apud Feſtum appellari Deos Genios; unde veteres inſcriptiones: LOCI HUJUS GENIO. Et apud Arnobium. CIVITATUM GENIOS. Item Claudianus epiſtola ad Severam: REGNI GENIUM dixit. Academicis etiam præter Deum, mundi opificem, duplices Dii fuere: alii qui ſemper fuiſſent a corporeis vinculis immunes, ac a Chriſtianis Angeli vocantur: alii qui aliquando fuiſſent corporibus illigati, & erant Heroes, quibus ob beneficia publica divini

 eſſent

eſſent honores conſtituti. Certum eſt etiam, diſtinxiſſe Philoſophos inter cultum ſupremi Numinis, quem Jovem dixere, illumque Dæmoniorum, & Heroum. Jovi tribuiſſe imperium ſupremum, & a nullo dependens: Dæmonibus autem, & Heroibus dependens ab alio, eique ſubjectum, ſive ſubalternum; propterea que Jovem veneratos ut fontem & principium omnis boni: Heroas ut ejus adminiſtros, pariterque amicos, orantes pro hominibus. Hactenus excerpta ex Voſſii libro. Octavius apud Minucium Felicem de Hoſthane inquit: „ Hoſthanes „ Spiritus, ideſt, miniſtros, & nuncios Dei, ejuſque „ venerationi novit aſſiſtere. Varro autem ſic (*a*) ait: „ Omnes quatuor partes animorum ſunt plenæ: in æthere „ & aere immortalium: in aqua & terra mortalium. A ſummo circuitu Cœli uſque ad circulum Lunæ ætheræ ſunt „ animæ, aſtra & ſtellæ, iique cœleſtes Dii non modo „ intelliguntur eſſe, ſed etiam videntur; inter vero Lunæ „ gyrum, & nimborum & ventorum cacumina aereæ ſunt „ animæ, ſed eæ animo videntur, & vocantur Heroes, „ & Lares, & Genii. Halicarnaſſeus autem libro primo inquit: „ Inter generationem divinam & humanam datur „ alia tertia ſpecies, cum qua Geniorum natio modo cum „ hominibus, modo cum Diis cœleſtibus miſcetur. Et libro ſecundo ait: „ Genios eſſe monitores internorum „ conſiliorum, quodque Genius appoſitus Romulo ſuæ „ nativitatis die, hunc, vita edita, traxerit in Cœlum. Socrates, in ſui apologia apud Platonem, vocat „ brevem Geniorum vocem, quæ intus monet, & aliquando „ nos avocat ab eo, quod facere propoſuimus. In diverſas claſſes Ethnici diſtinguebant Spiritus ſubalternos; præter enim Cœlicolas alios agnoſcebant, quos inter Cœlum &

(a) *Rer. Divin. lib.* 16.

Digitized by Google

& Terram habitare dicebant. Hinc Lucanus (*a*) canit:

Quodque patet terras inter cœlique meatus,
Semidei Manes habitant.

De his Spiritibus Heſiodus ſic (*b*) canit:

Caſtos cuſtodes hominum, rerumque datores
Lautarum, quod ſint regalis honoris adepti.

Homerus (*c*) de Cœlicolis:

O boni profectò ſunt hi auditores,
Quos dicis, alte in nebulis ſedentes,
Quique & aliis Viris imperant.

Idem Homerus hymno in Jovis pueros:

Servatores peperit pueros terreſtrium hominum.

Animadvertendum eſt, teſte Halicarnaſſeo libro primo, quod gentes fingebant Spiritus cuſtodes ſub ſpecie juvenum; propterea Jovis pueri nuncupabantur.

De veteribus Perſis, ut Picardus (*d*) refert, certum eſt, eos firmiter credidiſſe, a Deo ſummo plures alios Deos minores fuiſſe creatos, atque iis demandatum munus docendi homines, veritatem ſcilicet, ſapientiam, juſtitiam, bonitatem, honeſtamque jucunditatem. Alii Ethnici orientales populi, Gaures vocati in eadem ſententia fuerunt, & nunc quoque ſunt; adduntque, Spiritus Dei miniſtros lumina quædam modo communia, modo particularia mortalibus infundere, eorumque Spirituum miniſterio Deum uti in mundi gubernatione. P. Vincentius Maria a Siena (*e*) inquit: „ antiquos Sabeos agno„ viſſe Spiritus Dei miniſtros, & in ea fuiſſe ſententia, „ ſummum Deum, Bracma nuncupatum, bonis Spiriti„ bus

(a) *Lib. 9.*
(b) *Apud Plutarchum de Iſid. & Oſirid.*
(c) *Odiſſ. lib. 16.*
(d) *Tom. 2. de relig. antiq. Perſ.*
(e) *Lib. 3. cap. 11. & 17.*

„ bus diſtinctas juriſdictiones tribuere. Cardinalis Lucinus capite primo refert, „ Ethnicos populos orientales „ credere, Deos inferiores eſſe millies centena millia. Salmonius de Spiritibus Dei miniſtris, a Sinenſibus quoque cognitis veneratiſque, diſerte hæc (a) ſcribit: „ In „ qualibet eorum Urbe Genio Templum dicatum eſt: in „ domibus etiam privatis Sinenſium, cum celebrantur „ convivia, ſingulari ritu Genius, ſive Deus tutelaris, „ ab ipſis Jos vocatus, a Domino domus colitur, funden„ do vinum de aureo cratere in ejus honorem. Idem Salmonius tomo ſecundo capite tertio refert, Japponenſes venerari eoſdem Spiritus tutelares. Picardus de religione paganorum Tartarorum Aſiæ orientalis, & ſeptentrionalis, ac Inſulæ Formoſæ verba faciens, (b) ait, illos populos agnoſcere Spiritus, Chinhoan appellatos, ſummi Dei miniſtros, cuſtodes hominum. Eadem perſuaſio eſt apud idololatras Ethiopes de Spiritibus a Deo ſummo ad hominum cuſtodiam datis, teſtibus (c) Cavazio, & (d) Nebloto. Nec minus id pro certo habent populi Ethnici Regnorum Daquen, Calicut, Malabar, Narſinga, referentibus (e) Ferdinando Lopes, & (f) Gonzalo Mendozza. Dii Penates Trojanorum erant Spiritus cuſtodes, ut loco ſupra citato tradit Halicarnaſſeus. Eadem perſuaſio de Spiritibus Dei miniſtris apud Americanos inventa eſt. In Floridæ deſcriptione Janſſonius ſic inquit: „ Ex „ conſtanti illorum populorum traditione haberi, quod „ quum Deus, qui fuit ante ſæcula, mundum condere „ decreviſſet, primum alios Deos ordinis præcipui con„ didit,

(a) *Tom.* 1. *cap.* 2. *& ſeq.*
(b) *Tom.* 2. *de relig. Tartar. & MS. For.*
(c) *Lib.* 1. *n.* 155. *& ſeq.*
(d) *Tomo* 5. *pag.* 289.
(e) *Tomo* 1. *lib.* 2. *cap.* 14. (f) *Lib.* 2. *cap.* 1.

Digitized by Google

„ didit, quibus tanquam adjutoribus, & inſtrumentis ute„ retur. Petrus autem Martir in ſummario Indiarum occidentalium addit, Americanos agnoſcere hos Spiritus etiam tanquam Dei nuncios. Gonzalus Oviedus, ad Carolum V Imperatorem ſcribens, capite nono ait: hos Spiritus eſſe Deos tutelares Americanorum, ſummi Dei nuncios, & hominum cuſtodes. Hi Spiritus, teſte Ferdinando Oviedo (*a*), ab Americanis Cemi nuncupantur. Picardus tomo primo in ſupplemento Meſſici, Virginiæ, Braſilis, novi Meſſici, Albionis, Huſdoni, & Silveſtrium Americanorum refert, omnes illos populos confiteri Spirituum cœleſtium exſiſtentiam, & eſſe hos Spiritus in varias claſſes diſtributos, omnes autem ſummi Dei adminiſtros in mundi regimine; ajuntque, antiquis eorum progenitoribus ſæpe apparuiſſe ſub humana ſpecie, eoſdemque eſſe Deos tutelares regionum, hominumque cuſtodes.

De horum Spirituum natura inquiſitio facta eſt ab Ethnicis Philoſophis, qui in varias ſententias abierunt, quas luculenter (*b*) congeſſit Pſannerus; præcipuæ autem ſunt: Dii omnes (Angelos bonos intellige) ex ſententia Plotini, pulchri, venuſti, venerandi, inæſtimabili decore pollentes. Verum quidnam eſt, quo Dii ſunt tales? Utique intellectus. Perpetuo ſapiunt, ſubdit Plotinus, mente tranquilla ſtabilique & pura. Lucianus autem inquit: Dii juxta Jovem aſſidentes, in terram deſpiciunt. De horum autem excelſa natura Pythagoras, Xenocrates, Chryſippus, aliique loquentes, priſcos Theologos ſecuti, prudentiæ mirabilis participes dicunt: acuto quippe ingenio, tenacique memoria, cogitationes noſtras omnes agnoſcunt: hominibus robuſtiores, & potentia naturam noſtram longe ſuperare docuerunt; eoſque, dum intelligunt & volunt,

(a) *Lib. 5. cap. 3.* (b) *Pſann. cap. 6.*

volunt, agere. Commercium vero illud, ex quo homines a Cœlitibus aperte edocti fuerunt, non omnibus commune fuit, ſed iis dumtaxat majoris meriti, ut ex Scripturis Sanctis colligitur, & Ethnici ipſi fatentur; & hoc loco referre ſufficiat Plinii teſtimonium, ubi (a) inquit: Divinitas, & quædam cœlitum ſocietas ex feminis nobiliſſima in Sybilla fuit.

Præterea ad confirmandum commercium illud, quod intercedit inter Deum, Angelos, homineſque, nihil magis confert, quam oraculorum uſus. In veteri, & novo Teſtamento legimus, Deum ſæpe ſe manifeſtaviſſe primis humani generis Patriarchis, Prophetis, aliiſque Viris virtutis eximiæ; aliis autem voluntatem ſuam pateſeciſſe: aliis futura prædixiſſe. Applicatione quoque Ephod in populo Iſrael vera Dei oracula reddebantur. Dæmon invidus gloriæ Dei, & humanæ felicitatis, omni ævo fuit intentus, ut averteret homines a cultu Dei, & illos perderet. Perſuaſum jam erat omni populo, a Deo futura prædici; „ hinc „ nullo non avido futura de ſe ſe ſciendi, verba ſunt (b) „ Plinii, atque ea e cœlo veriſſime peti credente, verſutus ille humani generis hoſtis nova oraculorum inſtitutione deceptionem ſuam perfecit. Profecto Dæmon, hac humani generis firma perſuaſione perſpecta, transfiguravit ſe (c) in Angelum lucis, & tamquam Dei nuncius gentes decepit. Varia apud Gentes oracula fuerunt, & apud Ethnicos nunc quoque ſunt; de præcipuis autem verba faciemus. Halicarnaſſeus de antiquiſſimo oraculo Martis, & de altero celeberrimo Dodonæ ſic libro primo ait: „ quando ea ora- „ cula conſulebantur, deſcendebat ſub ſacra Quercu avis „ Dei nuncius Picus nuncupata, quæ ad quæſita reſponſa „ dabat.

(a) *Plin. lib. 7. cap. 33.* (b) *Lib. 30. cap. 1.*
(c) *2. ad Corinth. cap. 11.*

Digitized by Google

„ dabat. Plutarchus in vita Romuli deſcribit Auſpiciorum uſus, qui quum paſſim a Livio, & ab aliis Gentium ſcriptoribus deſcriptus ſit, & innumerabilia ſuppetant exempla, non eſt, cur ea recenſeamus. Tranſeundum igitur eſt ad ea, quæ minus pervulgata videntur. „ Itaque, inquit (*a*) Livius, „ cum ad publica prodigia Hetruſci tantum Vates adhiberentur, hoc velut domeſtico exterritus viſu, Delphos ad „ maxime inclytum in terris oraculum mittere ſtatuit. Neque reſponſa ſortium ulli alii committere auſus, duos filios „ per ignotas ea tempeſtate terras, ignotiora maria in Græciam miſit. Idem Livius (*b*) inquit: Fabius Pictor Delphos ad oraculum miſſus eſt ſciſcitum, quibus precibus „ ſupplicationibuſque Deos poſſent placare, & quænam futura finis tantis cladibus foret. Apud Ægyptios celebre „ fuit Hammonis oraculum, ut Tacitus (*c*) refert. Porro putabant Ethnici, virtute conſecrationis, quæ ſolemniter celebrabatur quibuſdam ritibus, fieri, ut in manufacta ſigna Dii ingrederentur, & ibi quodammodo nidularentur; conſultique exinde reſponſa dabant, teſte (*d*) Arnobio. Noſtro quoque ævo apud idololatras Æthiopes oraculorum uſus frequens eſt: de hac re uberrime ſcripſit Cavazius ocularis teſtis. Nec intra noſtri Orbis fines oraculorum uſus ſtetit; apud enim Americanas gentes inventus eſt; ab oraculorum quippe reſponſis, rerum agendarum regulam populi illi percipiebant, ut Gonzalus Oviedus ad Carolum V Imperatorem ſcripſit libro quinto capite tertio. Picardus autem (*e*) deſcribit „ Americanorum ritum conſulendi Spiritum Univerſalem, quem vocant Kithi-Maniotu; erecta enim ſub dio ſimplici ara, quibuſdam ſtatutis ſup- „ plica-

(a) *Lib.* 1. *Decad.* 1. (b) *Lib.* 2. *Decad.* 3.
(c(*Annal.* 21. *lib.* 5. (d) *Lib.* 5.
(e) *Tom.* 1. *in ſuppl. part.* 1.

„ plicationibus, Deum conſulunt, reſponſaque inde emiſ-
„ ſa venerantur. Varios quoque Silveſtrium Americanorum uſus divinationis Laſitavius (a) deſcribit. Quum autem mali Spiritus artes in progreſſu hujus operis, & præcipue capite quarto libri tertii referandæ ſint; ſufficiat hoc loco animadvertere, quod plerumque oraculorum reſponſa obſcura, aut ambigua emittebantur; propterea de oraculis apud Plinium ſic (b) legitur: „ Subeunt in hac reputatio-
„ ne Delphica oracula, velut ad caſtigandam hominum
„ vanitatem a Deo emiſſa. Porro non eſt hæc vera cauſſa a Plinio excogitata; Dæmon enim, qui Dei vices falſo ſimulabat, aut ſimulat, quum plurima præſcire haud poſſit, propterea reſponſa de his obſcura, aut ambigua emittit.

Reliquum eſt, ut oſtendamus, malos Spiritus, divinitus detectos, omnibus Gentibus innotuiſſe. Plutarchus in commentario de audiendis Poetis teſtatur, Dæmones ab antiquis cognitos fuiſſe. De Romanis quoque antiquis nullum dubium eſt, agnoviſſe Dæmones; ita enim Romani, teſte (c) Livio, precabantur: „ Superni, Infernique Dii,
„ qui hanc Urbem, hos ſacratos lacus, lucoſque colitis,
„ ut ita vobis volentes propitii adſitis. In eadem perſuaſione fuiſſe ceteras nationes noſtri Hemiſpherii luculenter (d) tradit eruditiſſimus Voſſius, quas nominatim perſequitur. Idem teſtatur tomo primo libro ſecundo Ferdinandus Lopes de Regnis orientalibus Daquen, Calicut, Malabar, & Narſingenſi. De Regnis etiam Africanis, quorum populi noſtris quoque temporibus idololatriæ tenebris involvuntur, eadem tradit de malorum Spirituum notione (e) Cavazius; additque apertum commercium, quod populi

(a) *Tom. 1. pag.* 356. *& ſeq.*
(b) *Lib.* 6. *cap.* 46. (c) *Lib.* 4. *Decad.* 3.
(d) *Lib.* 1. *cap.* 5. (e) *Lib.* 1. *n.* 30. *& ſeq.*

Digitized by Google

populi illi habent cum Dæmone; & inter cetera refert ſtupenda prodigia, inter quæ memorabile illud eſt, quod defunctorum corpora, nominatim vocata ab eorum ſacerdotibus, exeant e ſepulcris, ambulent, loquantur, & ad nutum illorum ſacerdotum, in locum priſtinum redeant; aliaque plura mirabilia præſtigia deſcribit, quæ referre non vacat. De arte magica Voſſius (*a*) inquit: „ Neque jam „ laboro vere ne fiant, quæ fieri putantur, an ſenſui & „ phantaſiæ illudatur. Utrumque, hoc eſt Dæmonem & „ hominem concurrere exiſtimo; ac ſic ut credam, perſua- „ dent antiquorum temporum exempla, ac noſtræ etiam „ ætatis experientia.

Sinenſes, referente (*b*) Picardo, in tabulis pictis exhibent Spiritus bonos, & malos: bonos vocant Kin: malos Quei. Princeps malorum Spirituum repreſentatur ſub ſpecie Draconis. Malis Spiritibus a Sinenſibus ſtatuta ſunt ſacrificia, feſtique dies. Memorabile illud eſt, quod Salmonius (*c*) ſcribit: „ In maleficorum, inquit, honorem „ Spirituum die ſolemniter a Sinenſibus inſtituto, eorum „ imagines inſtar Satyrorum coronatorum effictas, in na- „ vicula collocant, eamque in profluentem aquam deji- „ ciunt, repelluntque eam a domibus ſuis habitatores, exi- „ ſtimantes ſe tutos fore, quum maligni Spiritus longe re- „ ceſſerint. Picardus (*d*) refert, populos Japponenſes, Lapponenſes, aliaſque ex orientalibus, & ſeptentrionalibus Aſiæ regionibus Ethnicas nationes habere quaſdam formulas precum, quarum vi, putant, compellantur Dæmones ab eis recedere. De populis Guineæ, pariter idololatris, idem Picardus ait, pingere Dæmonem ſub ſpecie canis nigri. De ſacrificiis autem orientalium regnorum verba fa-

(a) *Lib. 1. cap. 8.* (b) *Tom. 2. de Sinenſ. relig.*
(c) *Tom. 1. cap. 2. & ſeq.* (d) *Tom. 2. de relig. Jappo. Lappon. &c.*

Digitized by Google

ciens Cardinalis Lucinus, capite decimonono inquit, Brachmanes non eodem ritu, neque iiſdem hoſtiis ſacrificare Diis cœleſtibus, ac infernalibus. Gonzalus Oviedus ad Carolum V Imperatorem ſcribens (*a*) refert, Americanos pingere Dæmonem ſub horrida ſpecie, & maligna figura, impreſſa ſupra domorum parietes, & ſupra ſedilia, ut omnes animadvertant, ſemper adſtare humani generis hoſtem. Malignus Spiritus ab Americanis nuncupatur Tuira, teſte Petro Martire in Summario Indiarum occidentalium. De Mexicanis autem ſic (*b*) inquit Voſſius: Mexicani pro bonis temporalibus Dæmonem ſupplicant, vel ſaltem ne noceat. Picardus autem per omnes Americæ regiones nominatim diſcurrens tomo primo animadvertit, omnes illos populos agnoſcere, & colere malum Spiritum, in cujus honorem pluribus in locis cernuntur Fani in Dæmonum honorem ſupra colles erecti. Ad hæc addit Laſitavius (*c*), Silveſtres Americanos ponere panem ſuper aram, quem offerunt malo Spiritui, ab illis vocato Matoutou.

Exhibita populorum perſuaſione ſuper re, de qua agitur, reliquum eſt, ut videamus, quid de Dæmoniorum natura judicaverint præſtantiores Ethnicorum Philoſophi. Profecto de exſiſtentia non dubitat, qui alicujus naturæ attributa inquirit. Plutarchus libro de Iſide & Oſiride ſic ait: Geniorum natura ſic explicatur. Quæ de Typhone, Oſiride, Iſide narrantur, neque Deorum, neque hominum, ſed magnorum Geniorum eventa ſentiunt. Quos Genios & Plato, & Pythagoras, & Zenocrates, & Chryſippus priſcorum Theologorum imitatione, hominibus robuſtiores exſtitiſſe ajunt, & potentia noſtram naturam longe ſuperare: Divina autem natura non ſincera, aut pura præditos,

ſed

(a) *Lib.* 5. *cap.* 3. (b) *Lib.* 1. *cap.* 8.
(c) *Tom.* 1. *pag.* 354.

Digitized by Google

ſed quæ animæ natura, corporiſque ſenſu comprehenſa, voluptatis eſſet, doloriſque capax, aliiſque id genus obnoxia affectionibus, ac mutationibus, quibus alii magis, alii minus turbantur; nam ut in hominibus, ita etiam inter Dæmones ſunt virtutum, & vitiorum diſcrimina — De Magorum autem Theologia Zoroaſtres melioris, hoc eſt Dei nomen Oromazen, pejoris Arimanium perhibuit, addiditque hoc enuntiatum de rebus ſub ſenſum cadentibus, illum maxime ſimilem eſſe luci, hunc tenebris, & ignorationi. De oraculorum defectu idem Plutarchus: mihi tamen, ait, plures ac difficiliores dubitationes videntur ſolviſſe, qui Geniorum ſeu Dæmonum genus medio inter Deos & homines loco conſtituerunt; & quod nos cum his quodammodo conciliat, atque conjungit, invenerunt. Sive hæc Magorum ac Zoroaſtris doctrina eſt; ſive Thracica ab Orpheo profecta, ſive Ægyptiorum, aut Phrygum, ut colligimus ex utrorumque ſacrificiis, orgiis, & ritibus ſacrorum. Hactenus Plutarchus. Manes autem, inquit (a) Voſſius, ortum illis tribuit a ſummo mali principio, hoc eſt Arimanio. Cabaliſtæ autem plerique, & cum iis Arabs Avicenna, Dæmoniorum alium ab alio originem ſuam ducere exiſtimant; & in hoc abiit a primæva Traditione etiam Plato. Alii putarunt hos Spiritus cum hoc mundo productos: alii poſt eorum ruinam mundum hunc fabricatum dixerunt — Antiqui Perſarum e Zoroaſtris dogmate Arimanem dixerunt peſſimum ac pernicioſum Spiritum e caligine natum. Calecutenſes noſtris quoque temporibus pagani, inter alias orientis terras, Deum mundi conditorem credunt, ſed eum, ajunt, ut ſuavius vitam ageret, Vicarium Orbi regundo præfeciſſe Dæmonem. Item Dæmonem, ſive malum Numen, Tapajonum gens venerata eſt, &

(a) *Lib. 1. cap. 5. & ſeq.*

invocat, quia iracundum ſit, & cultum ſui negligentes male perdat. Ab antiquis etiam Saxonibus, & Ungaris Dæmones culti, ne nocerent; hinc gentibus facile perſuaſum, quod Dæmon, ſive Deus malus, libamine humanarum carnium delectaretur, quæ abominatio crudeli fecunditate in omnibus fere gentibus propagata eſt; quibus in ſacrificiis quandoque etiam (dictu horrendum) infans materno exſectus utero, mactabatur. Hæc omnia Voſſius. Plato autem (*a*) dixit: Principem Dæmoniorum maleficam eſſe animam. Pfannerus de natura Dæmoniorum verba faciens, (*b*) inquit, non Platonem modo, ſed & Pythagoreos, alioſque gentium Philoſophos voluiſſe, eorum naturam eſſe inter Deos atque homines mediam, quam ita explicat Minucius Felix; ut ſubſtantiam eorum inter mortalem immortalemque, ideſt, inter corpus & ſpiritum mediam, terreni ponderis, & cœleſtis levitatis admixtione concretam. Expreſſe Plato Dæmones in tertia mediaque aeris regione collocans, eos genus aereum & ex aere eſſe, qui nunquam toti conſpiciantur, ſed quamvis prope ſint, nunquam tamen manifeſte appareant, tradit. Hactenus Pfannerus.

Fere autem omnes Ethnici in ea ſententia fuerunt, & Cœlicolas, & Dæmones generare, & aliquando etiam cum noſtris mulieribus carnalia exercere commercia. Porro Socrates, ut in ſui apologia apud Platonem, Dæmoniorum inquirens originem, ait, Dæmones eſſe illegitimos Deorum filios, ab illis procreatos ex Nymphis, aut ex aliis feminis, a quibus dicuntur editi in lucem. Ex hac quoque perſuaſione factum eſt, ut nonnulli Heroes, in Deos relati, a Diis immortalibus crederentur geniti. Hinc apud Livium ſic (*c*) legitur: ea belli gloria eſt populo Romano, ut cum ſuum, conditoriſque ſui Parentem Martem potiſ-

(a) *Lib. de leg.* 10. (b) *Cap.* 6. (c) *Lib.* 1. *Decad.* 1.

potiſſimum ferant; tam & hoc gentes humanæ patiantur æquo animo, quam imperium patiuntur. De Hercule ſic inquit idem Livius: Habitum formamque Viri aliquantum ampliorem auguſtioremque humana intuens Evander, rogitat, qui Vir eſſet: ubi nomen, patremque, ac patriam accepit: Jove nate Hercules, ſalve, inquit, te, mihi mater veridica interpres, Deûm auctūrum cœleſtium numerum cecinit; tibique aram hic dicatum iri. Hactenus Livius. De Diana, & Apolline ſic (*a*) apud Tacitum legitur: „ Latonam partu gravidam, & oleæ, quæ tum etiam maneat, adniſam, edidiſſe ea Numina; Deorumque monitu ſacratum nemus. Pervulgatum eſt Dæmones, qui ſunt Dii gentium, aliquando cum mulieribus exercere concubitus; hinc facile etiam Ethnicis perſuaſum fuit Deos generare. De hac gentium perſuaſione ita (*b*) apud S. Philaſtrium legitur: „ Hoc autem dextra, inquiunt, atque ſiniſtra lux ſunt; & quemdam etiam concubuiſſe cum illa muliere (vocata Noria) & Virtute dicunt, de qua nati ſunt Dii, & Angeli, & homines, & ſeptem Spiritus Dæmoniorum. Ex hac autem perſuaſione, ſcilicet de Deorum concubitu cum mulieribus, interdum factum eſt malorum hominum fraude, ut Dii cum mulieribus concubuiſſe putarentur, quamquam aliquando a ſola malitia, & hominum dolo id proveniſſe compertum ſit. Qua de re memorabile illud eſt, quod de Paulina in Iſidis Templo conſtuprata ſcribit (*c*) Flavius: Matronam hanc dignitate majorum, opum magnitudine, formæque elegantia, ac honeſtate præclaram quidam Juvenis, nomine Mundus, miſere deperibat: quum autem hanc neque precibus, neque ampliſſimarum promiſſione divitiarum ad inhoneſta flectere

(a) *Annal.* 3. *cap.* 61. (b) *De hæreſ. n.* 33.
(c) *Antiq. Jud. lib.* 18. *cap.* 7.

Digitized by Google

re potuerit, improba quædam muliercula, præmiis allecta, pollicita eſt, ſe omnem operam induſtriamque collaturam, ut Mundus concupitæ matronæ potiretur : quum vero ad expugnandam caſtiſſimæ Feminæ voluntatem neque preces, neque munera quidquam valere intellexiſſet, alia via rem aggredi conſtituit. Itaque Sacerdotes Iſidis, quam Paulina religioſe colebat, convenit: his amorem Mundi narrat, magnaque præmia pollicita eſt, ſi quod petebatur efficiant. Hi pecuniarum cupiditate capti, petenti annuunt. Unus igitur ex his fingit ſe ab Ægypto venire, ab Anubi cum mandato miſſum, ut Paulinæ renuntiaret, cupere illum Deum cum Paulina concubere. Læta tali nuncio Saturnino viro ſuo rem aperit, qui, ut minime fraudis ſuſpicioſus erat, uxori facultatem dat adeundi Templum, valde decorum ſibi reputans, Dei voluntati obſequi. Quid plura? Ad Templum a Paulina noctu itur: clauduntur a Sacerdotibus fores, lumina extinguuntur: Mundus e latebris exſiliens, libidinem ſuam explet, tacituſque ante lucem recedit. Poſt tres dies Paulina a Mundo conſpecta, illi facinus ſuum indicat : hæc juſtiſſimo dolore percita ad maritum convolat, deprecaturque, ne injuriam illatam negligat. Denunciata re a Saturnino Tiberio Imperatori, cauſſa cognita, Iſidis Sacerdotes cum Lena, peſſimi flagitii miniſtra, in crucem acti; Templum everſum; Iſidis ſimulacrum in Tyberim projectum eſt. Stuprator autem exſilio damnatus, mortis pœnam effugit, quod amoris violentia deliquerit.

Ex his autem & ſimilibus interdum fictis cum Diis commerciis argui non poteſt, omnia commentitia eſſe, quæ de hac ipſa re apud omnes gentes pervulgata ſunt; neceſſe enim eſt, quod veritas præcedat mendacium; quum mendacium corruptio ſit veritatis. Porro notio de hoc com-

commercio jam alte omnium inſederat animis, quod niſi ante firmiter creditum fuiſſet, pravorum hominum fraudes locum haud habuiſſent; propterea hoc ipſo aperte eruitur de dicto commercio omnium gentium perſuaſio. De hac ipſa re ita (*a*) inquit Auguſtinus: Apparuiſſe tamen hominibus Angelos in talibus corporibus, ut non ſolum videri, verum etiam tangi poſſent, eadem veriſſima Scriptura teſtatur. Et quoniam creberrima fama eſt, multique ſe expertos, vel ab eis, qui experti eſſent, de quorum fide dubitandum non eſt, audiſſe confirmant, Silvanos, & Faunos, quos vulgo Incubos vocant, improbos ſæpe exſtitiſſe mulieribus, & earum appetiſſe, ac peregiſſe concubitum; & quoſdam Dæmones, quos Duſios Galli nuncupant, hanc aſſidue immunditiam & tentare, & efficere, plures taleſque aſſeverant, ut hoc negare impudentiæ videatur. Ad hæc, quæ ſcripſit Auguſtinus, addi poteſt irrefragabilis ſuccedentium temporum experientia, ex qua apertiſſime comprobatur hujuſce immundi commercii veritas.

De arte quoque magica crebra apud antiquos, & recentiores ſuppetunt exempla; maleficas enim incantationes agnoverunt & proſcripſerunt Romani, teſte (*b*) Plinio. Quum autem ab aliquibus leges adverſus magicas incantationes Chriſtianorum opera dicerentur profectæ, adverſus illos ſic (*c*) diſſerit Auguſtinus: De quibus quoſdam nimis infelices, & nimis impios etiam gloriari libet, nonne ipſam publicam lucem teſtem vocabo? Cur enim tam graviter iſta plectuntur ſeveritate legum, ſi opera ſunt colendorum Deorum? An forte iſtas leges Chriſtiani inſtituerunt, quibus artes magicæ puniuntur? Secundum quem alium

(a) *Lib. 15. cap. 23. de C. D.* (b) *Lib. 28. cap. 2.*
(c) *Lib. 8. cap. 19. de C. D.*

Digitized by Google

alium ſenſum, niſi quod hæc maleficia generi humano perniciosa eſſe non dubium eſt, ait Poeta clariſſimus Virgilius Æneid. 4.:

Teſtor cara Deos, & te germana, tuumque
Dulce caput, magicas invitam accingier artes

Illud etiam quod alio loco de his artibus dicit Ecloga 8.:

Atque ſatas alio vidi traducere meſſes.

Eo quod, ſequitur Auguſtinus, peſtifera ſcelerataque doctrina fructus alieni in alias terras transferri perhibentur. Non ne in duodecim tabulis, ideſt Romanorum antiquiſſimis legibus Cicero commemorat eſſe conſcriptum, ei, qui hoc fecerit, ſupplicium conſtitutum? Hujus autem Philoſophi Platonici copioſiſſima & diſertiſſima exſtat oratio, qua crimen artium magicarum a ſe alienum eſſe defendit, ſeque aliter non vult innocentem videri, niſi ea negando, quæ ab innocente non poſſunt committi. At omnia miracula Magorum, quos recte ſentit eſſe damnandos, doctrinis fiunt, & operibus Dæmonum. Hactenus Auguſtinus.

Sed ut omnia, quæ hoc capite ſcripta ſunt, & communia populo Dei & Ethnico videntur, in unum colligam; idcirco una omnium eſt ſententia, homines a Deo fuiſſe edoctos, cum quo (utar (a) verbis Tullii) quid poteſt nobis eſſe juris, cum homini cum Deo nulla eſſet communitas? Quod ni ita eſſet perſuaſum, quid veneramur, quid precamur Deum? Cur ſacris Pontifices præſunt? Cœleſtes autem Ethnicorum Dii, hoc eſt Angeli, nulla re egentes, inter ſe diligunt, & omnium populorum conſenſione hominibus conſulunt; qui quamobrem venerentur, non intelligo, nullo nec accepto ab iis, nec ſperato bono. Præſtantiſſimam Dei naturam eſſe, omnes gentes

(a) *Lib. 1. de Nat. Deor.*

gentes prædicant; quid autem eſt præſtantius bonitate, & beneficentia? Opera ipſa & prodigia Dei habent linguam ſuam; aliud enim innuunt oculis, aliud menti, dum cur facta ſint percipimus; propterea mundus ipſe, ſerio contemplanti, liber eſt deſcriptus Dei omnipotenti digito; omniaque, quæ in eo ſunt ſummam conditoris ſapientiam præſeferunt; hinc agnoverunt Gentes, eſſe certæ rationi ſubnixa, quæ traditione majorum perceperunt. Hinc celebris Ethnicorum Poeta ſic (a) cecinit:

Ut rerum primæva Diis data ſemper origo
Religione hominum; ſic leges orbe repertas
Munere Divorum tradunt: tam nobile pignus
Par erat, ut longe egregios agnoſceret ortus
In commune bonum; nec enim mortale putandum eſt
Humanæ columen vitæ.

Ex hactenus dictis ſatis compertum mihi fuiſſe videor, tum ex Scripturis Sanctis, tum ex omnium populorum conſtantiſſima perſuaſione primos humani generis Patriarchas a Deo & ab Angelis ſanctis fuiſſe edoctos, idque apud gentes continuata traditione pervulgatum. Hinc boni, & mali Spiritus divinitus manifeſtati fuere; propterea de illorum Spirituum exſiſtentia apud Gentes dubium nullum videtur, ut ex dictis apparet, & in progreſſu hujus operis evidentius quoque demonſtrabitur. Properandum igitur eſt in ſequentibus ad detegenda ſingillatim ea, quæ divinitus tradita ſunt, ex quibus divina & ampliora penetravimus, quæque naturali majorum traditione ad omnes nationes manarunt.

(a) *Apud Anſaldum lib. 3. num. 15.*

CAPUT II.

De præſtantiſſima Dei natura, & maxime de ejus omnipotenti voluntate, quæ in mundi creatione ac gubernatione potiſſimum oſtenditur.

HUmana mens ſua imbecillitate ſcite perſpecta, imparem omnino ſe ſentit, ad præſtantiſſimam ſummi Numinis naturam indagandam; immenſum enim ſibi ſoli notum eſt: idcirco Philoſophi, ut libro ſuperiore oſtendimus, qui ſola humanæ mentis acie hoc pertentare auſi ſunt, in tot abſona & devia abierunt, ut eorum effata, non diſſerentium, ſed ſomniantium viſa ſint; propterea jure ac merito a populo Dei ſummi Numinis natura ineffabilis dicitur, quam & Ethnici omnes præſtantiſſimam eſſe fatentur. Inter cetera mirabilia Dei attributa emicat actuoſiſſima virtus creandi ex nihilo; hoc enim rationi conſonum eſt, quod Deus ſit omnium rerum principium; quodque principii nulla ſit origo, & a principio oriantur omnia; propterea primigenia traditio, a Deo profecta, de creatione mundi, induit quoque naturam humanæ traditionis. Notum quippe eſt, haud deſuiſſe præſtantiſſimos Philoſophos, qui in ea ſententia fuerunt, poſſe recto humanæ rationis uſu, virtutem creandi ex nihilo in Deo evidenter demonſtrari; quorum quidem argumenta inficiabitur nemo, ubi cum primigenia traditione, conſenſione totius Orbis ſacrata, jungantur. Profecto per cognitionem veri Dei, quæ ex divina revelatione hauritur, efficimur divinæ conſortes naturæ, in luce ambulamus, pii reddimur, & rationem connexi inter divina & humana percipimus.

Exor-

Digitized by Google

Exordiar itaque a ſapientiſſimi Moſis Annalibus, qui omnium monumentorum antiquiſſimi ſunt; quique vera divinæ naturæ attributa præſeferunt. Placet hic exſcribere verba doctiſſimi Cardinalis Quirini, qui in ſua Proluſione elegantiſſime optimeque ſic loquitur: Neque tamen mihi unquam magnopere quærendum viſum fuit, quo fato acciderit, ſapientiſſimos Philoſoporum principes, totos in natura divina deſipuiſſe. Deducenda ſiquidem in hoc Orbis terrarum theatrum graviſſima divinitatis natura, non oculis, non ullis unquam percepta ſenſibus; immo a reliquarum ſpecie diſſimillima: hujus ſervanda dignitas, ſervandus honor, & quidquid decori nomine continetur, tuendum. Hinc videre erit præſtantiſſimam illam naturam, ſingularem atque unicam, nullo temporum ſpatio, nulla locorum regione circumſcriptam, ſempiterna præditam vita, immutabilem, infinitam, non fatali quadam neceſſitate, cœcoque naturæ impetu, ſed integerrimo libertatis arbitrio, rerum omnium procreatricem moderatricemque, præteritorum memorem, futurorum præſciam, cordium ſcrutatricem, ab omni corporis concretione ſecretam, univerſæ intime æque ac impermixtam creaturæ, incomprehenſam, potentiſſimam, ſapientiſſimam, ac denique, ut uno verbo dicam, inexhauſta bonorum omnium perennitate beatiſſimam, bonis præmia proponentem, ſceleſtiſque pœnas irrogantem. Attamen hoc loco præterire non poſſum ipſum Moſaicæ narrationis initium, quod Ethnico (Longino) etiam acerrimi ingenii Viro adeo admirabile viſum eſt, ut inde de ſublimi dicendi genere diſſerens, exempla deſumſerit. Accipite hac de re Moyſis ſententiam, quam in exordio ſuorum Annalium ita propoſuit: In principio creavit Deus cœlum & terram; inde deſcribit omnia creata, & ordinata inſtrumento ſolius di-

Digitized by Google

vinæ voluntatis. Age vero pandantur hic Moſaicorum Annalium monumenta, ſtatimque ferient oculorum noſtrorum obtutum, erumpentia undique perſpicua quædam, ſimul ac ſuaviſſima lucis fulgetra, quibus divina veritas ſuum ipſa conſpectum declarabit. Ubi vero ea, quæ narrantur in Annalibus Moyſis, in traditionibus Iſraelitici populi non fuiſſent ſervata, Moyſen ipſum tamquam fabuloſum rejeciſſent; Narrantur enim a Moſe atrocia Iſraelitarum crimina, blaſphemias, perduelliones, ſeditiones, libidines, quibus quum tota natio ſummo dedecore turpiſſimaque labe notetur, nunquam in hunc furorem conſenſiſſent, ut illis Annalibus non humanam tantum, ſed divinam auctoritatem adjungerent, ſi quoquo modo ut fabuloſos, atque commentitios ejus Annales rejicere potuiſſent; eoque magis quod per ipſos non injurioſis tantum narrationibus fidem adhibere, ſed duriſſimæ legis jugo refractaria colla ſubjicere adigebantur. Hactenus ampliſſimus Cardinalis Quirinus. Et rationabiliter quidem Iſraeliticus populus Moſis Annales tamquam commentitios rejicere potuiſſet, quum ejuſdem populi traditiones in teſtimonium vocaret. Ad populum enim Moyſes verba faciens ſic (a) inquit: „ Hæccine reddis Domino popule „ ſtulte & inſipiens, numquid non ipſe eſt Pater tuus, „ qui poſſedit te, & creavit te? Memento dierum anti- „ quorum, cogita generationes ſingulas; interroga patrem „ tuum, & annuntiabit tibi: Majores tuos, & dicent tibi; „ quando dividebat Altiſſimus gentes, quando ſeparabat „ filios Adam &c. Doctiſſimus Boſſuetus diſerte (b) probat, Moſem ſuos Annales texere potuiſſe Iſraelitici populi traditionibus. Fabricius autem teſtimonio antiquorum Rab-

(a) *Deutr. cap.* 32.
(b) *Epiſt. Hiſt. Univerſ.*

Digitized by Google

Rabbinorum (a) addit, quod Moſis tempore alii libri ex-
„ ſtarent, inter quos unus, cui titulus erat Jenira, hoc eſt
„ de Creatione Mundi, qui liber Abrahamo tribuebatur. De antiquorum vero ſcripturis, & de traditione aptiori loco erit ſermo. Idcirco quum de Moſaicorum Annalium veritate apud populum Dei nullum dubium ſit; ſuſcepti muneris ordo poſtulat, ut inter ceteras nationes inquiramus haud obſcura monumenta, unde Ethnicorum quoque teſtimonio eadem veritas comprobari poſſit; & hoc pacto Religioni ſatis conſultum eſſe oſtendatur, & de impiorum cauſſa conclamatum.

Plura hac de re congeſſit eruditiſſimus Voſſius, quæ ſtrictim referam. Siquidem, (b) inquit, cum Gentes etiam efferæ, nec multum ſollicitæ de rerum natura, traditione ſola, vel pene ſola hæc cognoſcerent; aliud acceſſit iis nationibus, quæ humanitatem minus exſuerant; Mundi enim conſideratione, ita ſunt firmatæ, ut liquido viderent, certiſſima ratione eſſe ſubnixa, quæ traditione accepiſſent — In Ægypto, qua non altera tellus ſuperſtitioſior creditur, etiam Deus unicus mundi Opifex cultus videtur. Ex Porphirio ſimulacrum Dei apud Ægyptios ex ore ovum effudiſſe, ut mundi eſſe Opificem ſignificaretur; nam ovum mundi ſymbolum Ægyptiis fuit. Thebaidos incolæ unicum Deum, mundi Architectum, Cnephi a ſe nuncupatum, coluerunt — Calecutenſes noſtris quoque temporibus pagani inter alias Orientis terras, Deum mundi conditorem credunt — De antiquiſſimo Zoroaſtre dogma Perſarum de Deo, & Dæmone: bonum, ſive Deum ſive Creatorem, Hormidaſten appellabant: Arimanes autem peſſimo illi Spiritui, ac pernicioſo erat nomen.

(a) *Cap. 108. uſque 124. in Cod. vet. Teſt.*
(b) *Lib. 1. cap. 3. uſque 16.*

Digitized by Google

men. Hactenus excerpta ex Voſſii opere. De antiquis Perſis hæc addit (a) Picardus, ſcilicet ſectatores Zoroaſtris ſex dies feſtos quolibet anno celebraſſe in memoriam eorum dierum, quibus a Deo omnipotente univerſa creata & ordinata ſunt; diemque unum addidere jejunii, in ejus recordationem, quo ab operibus Deus ipſe quievit. Teſtaturque idem Picardus; hanc eandem praxim ſervari noſtris quoque temporibus a Gauribus orientalibus, antiqui Zoroaſtris ſectatoribus. Hunc Zoroaſtrem Plinius, libro trigeſimo capite primo, dicit longe Moſe antiquiorem.

Apud antiquiſſimos Græcos eadem traditio fuit de Deo mundi conditore, omnium cauſſarum præſtantiſſima, teſte (b) Plutarcho. Ad hæc Laertius in vita Anaxagoræ addit Anaxagoræ ſententiam, ubi ſic legitur: „ Omnia ſimul erant, inde accedens mens ea in ordinem reduxit. Septima autem die omnia peracta erant, ut Heſiodus, capite quinto de creatione, apud Pfannerum:

Septenuſque dies fuit, in quo cuncta peracta.

Plato in Timæo inquit „ Deum, cum mundum condere vellet, propoſuiſſe, ut optimum opus, & bonitatis ſuæ particeps conderet. „ Septimum diem, referente Huetio, propoſitione quarta capite ſexto, ſacrum eſſe „ dixit & Homerus, qui & eo cuncta perfecta fuiſſe addit, ut ab Ariſtobulo. Antiquitas quoque, teſte (c) Plutarcho, agnoſcebat „ unum Deum, Patrem Deorum „ hominumque. Idem ſcribit, libro primo Decade prima, Livius de Romulo: „ At tu, inquit, Pater Deûm, „ hominumque, hinc ſaltem arce hoſtes. In Taauti Coſmogonia, inquit Huetius loco ſupra citato, primi rerum Phœ-

(a) *Tom. 2. de relig. antiq. Perſ.*
(b) *De placit. Philoſ. lib. 1 cap. 7. & lib. 2. cap. 4.*
(c) *In moral. de quæſt. Platon.*

Digitized by Google

Phœnicarum ſcriptoris, deſcripta cernuntur rerum principia, & mundi origo, eodem fere modo, quo ſcripſit & Moſes. Sanchoniaton autem Taauti libros commentatus eſt, ſuaſque diſſertationes de mundi & animalium procreatione expoſuit, quæ cum Moſis Annalibus conſentiunt, ejuſque doctrinam paſſim ſpirant. Item Chaos Heſiodo memoratum eſt, ex quo orta ſunt omnia, & poſt tenebras lucem creatam dixit. In priſcorum Brachmanum orientalium Codicibus expreſſa eſt hiſtoria de mundi creatione; eaque de mundi origine crediđiſſe, quæ credenda eſſe & Moſes docuit: a Deo ſcilicet mundum conditum, ab eodem regi; adduntque olim interiturum, & novam ſpeciem exhibiturum. Hactenus verba ipſa Huetii. Neque prætereundum eſt, quod P. Vincentius Maria a Siena de Brachmanis orientalibus tradit. Hic poſt diutinam apud eoſdem moram, libros eorum in Italiam detulit, in quibus aperte (*a*) legitur „ ab æterno, infinito-
„ que Deo cœlum terramque ortum habuiſſe: Deum
„ puram ſubſtantiam eſſe, corporis expertem, ac nomine
„ carentem; ante hanc nullam ſubſtantiam exſtitiſſe: con-
„ dito cœlo lucem additam, ſicut & terræ, quæ prius te-
„ nebris obducta erat. Ab hac ſubſtantia alios creatos
„ fuiſſe ſpiritus, eoſque univerſi Orbis regimini præfectos.
Hæc omnia ex Brachmanum libris ſupra citatis. Alia plura habentur in gentium Hiſtoriis, & in Poetarum carminibus, quæ cum Moſis Annalibus conveniunt. Primus ille Orbis ſtatus informis, a Moſe deſcriptus, eſt Chaos apud Ethnicos Poetas, & informis Philoſophorum materia. Hoc eſt illud Chaos turbidum ac tenebroſum, quod ex Phænicum quoque Theologorum doctrina Sanchoniaton, principium hujus Orbis appellat, ut Bochartus (*b*) tradit.

(a) *Lib. 3. cap. 17.* (b) *Lib. 2. cap. 2. de mundo cond.*

Digitized by Google

tradit. Idemque refert Laertius de Græcorum doctrina in Thaletem. De hoc Chaos ſic, Metam. lib. 1. Fab. 1. cecinit Ovidius:

Ante mare & terras & quod tegit omnia cœlum
Unus erat toto naturæ vultus in Orbe,
Quem dixere Chaos, rudis indigeſtaque moles.
Hanc Deus & melior litem natura diremit.
Nam cœlo terras, & terris abſcidit undas,
Et liquidum ſpiſſo ſecrevit ab aere cœlum.
Quæ poſtquam evolvit, cæcoque exemit acervo,
Diſſociata locis concordi pace ligavit.

Idem, lib. 1. Fab. 2. ſic canit:

Neu regio foret ulla ſuis animalibus orba
Ceſſerunt nitidis habitandæ piſcibus undæ
Terra feras cepit, volucres agitabilis aer.
Natus homo eſt.

Poſt creatam lucem, hanc Deus in Solem, & Lunam, & aſtra diſtribuit, ut dies noctesque partirentur, annique ſignarentur. Quod prædicans Aratus ſic (*a*) ait:

In cœlis namque ipſe hæc ſigna locavit,
Aſtra & diſtinguens, claris annumque coronans
Stellis, queis homini clariſſima ſigna darentur
Horarum, ut ſtabili procedant omnia curſu.

Antiqui Ægyptiorum ſapientes, ne hujus Univerſi creatio ab hominum memoria dilaberetur, inſtituerunt diem feſtum; propterea mundi ipſius natalem coluere Ægyptii, eumque ad diem trigeſimam Auguſti repoſuerunt, teſte Solino (*b*) apud Frontonum. De Regnis Africanis, noſtro quoque ævo idololatris, Picardus verba faciens, (*c*) inquit: notionem apud eos populos vigere de Deo

(a) *In Phænom. apud Clementem Alex. ſtrom. lib. 5.*
(b) *De diebus feſtis § 11.* (c) *Tom. 2. de Regnis Afric.*

Deo uno omnipotente, rerum omnium creatore. Ad hæc addit (*a*) Cavazius, ocularis teſtis, Deum, quem vocant Nzambimpunghù, cum hoc Univerſo creaviſſe millies centena millia aliorum minorum Deorum.

Antequam de Sinenſibus loquamur, animadvertendum eſt, Deum in ſacris quoque litteris perſæpe vocari, cœli Dominum, aut qui in cœlis eſt. A Domino dictum eſt: cœlum mihi ſedes eſt: cœli enarrant gloriam Dei: Ibi ſolum magnificus Dominus. Profecto ita dictum eſt, quum ea, quæ ſub Orbem Lunæ, & in hoc terrarum Orbe continentur, laborum, ærumnarum, concertationum, criminum, nec non pravorum impiorumque hominum, tum Dæmonum colluvie referta conſpiciantur; hinc Deus cœli Dominus dictus eſt, quamquam Univerſi ſit conditor, & intime, æque ac impermixte ſit omni creaturæ. In hoc porro eodem ſenſu accipiendum eſt, quod ſcripſit (*b*) Cæſar: „ Jovem imperium Cœleſtium tenere. Aut quando brevitatis gratia aliqui invocant cœlum, intelligendum eſſe cœli Dominum, ut de idololatris Sinenſibus Semedus (*c*) ait, intelligere cœli Dominum, quando invocant Tient. Hebræos quoque invocare conſueviſſe cœlum, intelligendo cœli Dominum, Univerſi creatorem, teſte (*d*) Virtingio. Picardus de Sinenſium religione, originaria ab illis populis nuncupata, verba faciens, refert (*e*) nationem illam (excepta paucorum impiorum ſecta) quamquam idololatriæ labe pollutam, confiteri unum Deum, rerum omnium creatorem & moderatorem; ut autem hæc notio jugiter ſervaretur, meminit cujuſdam antiquiſſimi hieroglyphici, quo noſtro quoque ævo utuntur,

V ut

(a) *Lib.* 1. *n.* 155. *& ſeq.*
(b) *Lib.* 6. *de bello Gall.*
(c) *Part.* 1. *cap.* 17.
(d) *De ſtruct. ſynag. cap.* 1.
(e) *Tom.* 2. *de Sin. Jappo. &c.*

Digitized by Google

ut repreſentent, a ſummo Deo cuncta ortum habuiſſe, ac eſſe in ipſo omnis fecunditatis fontem. Finxerunt itaque antiquiſſimi Sinenſium imaginem ampliſſimi ventris, unde nata ſint omnia, quæ fuerunt & ſunt, ortumque habitura ſint ea, quæ futura. Vernacula lingua ſummum Deum Sinenſes vocant Tient - Tchù, hoc eſt cœlorum Dominum, cui ſubſidiarios Spiritus adeſſe affirmant, ſuntque tutelares Sinenſium Dii. Eandem perſuaſionem eſſe, Picardus teſtatur, apud Japponenſes, Monopatenſes, alioſque Ethnicos populos Aſiæ orientalis, & occidentalis; eandemque vigere perſuaſionem de uno Deo Univerſi creatore, ac moderatore apud populos Inſularum Formoſæ, & Magadeſcarenſis. Ad hæc addit (*a*) Huetius, Sinenſes, Japponenſes, & Indos cum Annalibus Moſis conſentire de rerum origine, de Deo uno, Tao a Sinenſibus, Thot Indis nuncupato, qui nec videri oculis, nec animo comprehendi, nec ſimulacris exhiberi queat. Luſitani orientales regiones per ignota tunc maria primi aperuerunt; quibus cognitis Philippus II Hiſpaniarum Rex, ut cum illis populis conſuetudinem iniret, ad Sinenſium Imperatorem Gonzalum Mendozza legatum miſit, qui ſedulo exploratis orientalium populorum moribus, ad Philippum inter cetera (*b*) ſcripſit: „ Sinenſium, aliorumque „ orientalium Regnorum populos fateri unum ſummum „ Deum Univerſi creatorem, ac moderatorem.

Reliquum eſt, ut videamus, an hac de re apud Americanos eadem perſuaſio inventa ſit. Petrus Martir, de Nova Hiſpania in Compendio Indiarum occidentalium verba faciens, refert „ illos populos fateri unum ſummum Deum, cujus voluntas ſit omnipotens, quemque „ inviſibilem dicunt, rerum omnium auctorem, ac pri-

„ pri-

(a) *Propoſ.* 4. *cap.* 7. (b) *Lib.* 2. *cap.* 5.

Digitized by Google

„ primum motorem. Voſſius (*a*) inquit: „ Solum ad-
„ dam aliquid de Peruanis, ſummum Deum agnoſcen-
„ tibus, quem vocant Virachoca; ad hæc addunt Pacha-
„ jachaic, ideſt creator cœli & terræ. Aliis quoque elo-
„ giis ornant, in quibus eſt Uſapu, hoc eſt admirabilis.
In Deſcriptione Americæ apud Janſſonium ſic legitur:
„ In Virginia incolæ credunt, multos eſſe Deos, quos
„ vocant Mantoas, ſed variorum generum, ac graduum;
„ unicum vero præcipuum ac magnum; qui fuit ante ſæ-
„ cula, qui, ut affirmant, cum mundum condere decre-
„ viſſet, primum alios Deos ordinis præcipui condidit,
„ quibus tamquam adjutoribus & inſtrumentis, tum in
„ creatione, tum in gubernatione mundi uteretur; tum
„ Solem, Lunam, & Stellas tamquam minores Gentium
„ Deos, atque inſtrumenta alterius ordinis minus præci-
„ pui. Picardus (*b*) de populis Virginiæ fere eadem tra-
dit; additque Braſilii, Peruvii, Darien, Novæ Hiſpaniæ, Cumanæ, & Septentrionalium Americæ regionum populos confiteri unum ſummum ineffabilis naturæ Deum, omnium rerum creatorem. De Mexicanis autem idem laudatus Picardus, proximiſque Mexici regionibus inquit: Illos quoque populos agnoſcere unum Deum, creatorem cœli, & terræ, quem repreſentant ſub ſpecie hominis ſedentis ſupra Globum, facie ſevera, ac manu ſagittis armata, cui innumerabiles boni Genii ſerviant. In Globo intelligunt Univerſum: in Perſona ſedente, creatorem, ac Univerſi moderatorem: in facie ſevera, ultricem Dei juſtitiam. Ad hæc addit (*c*) Huetius, „ Mexicanos Sab-
„ batum ſeptimo die celebrare. Notum enim eſt, Sabbati diem feſtum inſtitutum fuiſſe, ut hac celebritate jugi-

(a) *Lib. 1. cap. 4.* (b) *In Suppl. Americ. regio. tom. 1.*
(c) *Propoſ. 4. cap. 6.*

Digitized by Google

ter de mundi creatione memoria ſervaretur ; & homines, ſæcularibus curis abdicatis, ſeptima die divino cultui, religioniſque officiis ſedulo inſervirent. Eadem veſtigia apud omnes Americanos reperta ſunt, inquit (*a*) Laſitavius, de Deo ſummo, Pachamac nuncupato, Univerſi creatore, hoc eſt Viracoha, quo vocabulo nonnullæ Americanæ nationes intelligunt Deum creatorem, quem dicunt etiam ſapientiſſimum rerum omnium moderatorem, qui ſua providentia cuncta regat. Has teſtatur Laſitavius eſſe notiones, quas habent Americani omnes culti, & barbari. „ Atque ut recentia, inquit (*b*) Pfannerus, „ priſci noſtri Orbis miſceamus, Novæ Angliæ in Ame„ rica ſeptentrionali Incolas totum Orbem, & quæ Orbe „ continentur, a ſupremo quodam Numine, Kichtan ipſis „ appellato, condita credere. Et loci cujuſdam in Re„ gno Peguano Sacerdos de creatione mundi interroga„ tus, non aliam Naturæ, quam ex Dei voluntate origi„ nem eſſe, Luſitano cuidam reſpondit.

Ex hactenus dictis, ac teſtimonio omnium populorum uberrime probatis iis, quæ factum poſtulant, arbitror quidem, haud dari poſſe quemquam veritatis amicum, qui communem conſenſionem negare audeat, de Deo uno, Univerſi conditore ac moderatore : de actuoſiſſima, ac ſapientiſſima Dei virtute ; haſque notiones e cælo delapſas eſſe ; propterea animos beatiſſime alliciunt ; ibique vi tali inſidere viſæ ſunt, ut unquam neque dies, neque vana hominum commenta, neque impiorum dogmata infirmare, aut obliterare potuerint. Ad hanc communem perſuaſionem reſpiciens Tullius (*c*) ait : „ Quod ni ita „ eſſet, quî potuiſſet aſſenſu omnium dicere Ennius:

Aſpice

(a) *Tom. 1. pag. 124.* (b) *Cap. 5. de creat.*
(c) *Lib. 2. de N. D.*

Aſpice hoc ſublime candens, quem invocant omnes, Jovem :
Illum vero & Jovem & Dominatorem rerum,
Et omnia nutu ſuo regentem,
Patrem Divumque hominumque.

„ Et præſentem, ſequitur Tullius, ac præpotentem Deum. „ Quod qui dubitat, haud ſane intelligo, cur non idem, „ Sol ſit, an non ſit dubitare poſſit. Hinc apud Tul- „ lium Balbus (a) inquit : Quanto venerabilius ac me- „ lius antiſtitem veritatis majorum excipere diſciplinam. Profecto has majorum traditiones, de quibus habitus eſt ſermo, agnovit & Democritus, propterea, ut ex Laertio in Vita Anaxagoræ, „ hoſtili animo in Anaxagoram diſ- „ ſerens Democritus, ſententias illius eſſe negavit, ſed „ antiquas eſſe dixit, eaſque ipſum furatum eſſe : ab „ eodemque Anaxagora de mundi deſcriptione, ac men- „ te, tradita carpere. Illud quidem manifeſtum eſt, ut ſupra uberrime demonſtravimus, omnes Gentes a primigenia traditione agnoviſſe, Deum fuiſſe Univerſi creatorem, omniumque rerum moderatricem eſſe divinam providentiam ; & abſque labore ullo efficere quidquid velit. Idcirco Ethnicorum quoque Philoſophi, qui, communi traditione duce, ultro procedere non dubitarunt, probe agnoverunt, certiſſimæ quoque rationi eſſe ſubnixa, quæ traditione didicerant; ſed & præſtantiores eorum in unum conflando, ſcilicet primigeniam traditionem cum acie intellectus humani, ſublimem Theologiam aſſecuti ſunt. Propterea claudam caput hoc ſublimiori nonnullorum Ethnicorum Theologia.

Celebris eſt Fani Minervæ, quod Sai in Ægypto erat, inſcriptio, a Plutarcho libro de Iſide, & Oſiride relata:

(a) *Lib. 3. de N. D.*

Digitized by Google

ta: Ego ſum quod exſiſtit, EST, ERIT. Atque alia Templi Delphici inſcriptio: EST. In cujus ſenſum Plutarchus inquirens, poſtquam neque numerum, ut quidam verbum iſtud expoſuerunt, neque ordinem, neque copulam, neque aliud quid tale eo ſignificari monſtraſſet, tandem ſic explicat: Sed eſt ex ſe ſe perfecta compellatio Dei, ſimul cum verbo enuntiantis animo objiciens vim Dei. Deus enim unumquemque noſtrum huc accedentem, veluti ſalutans compellat: Noſce te ipſum (nam & id in foribus Templi illius Delphici inſcriptum exſtabat) inquiens: quod nihilo eſt, quam ſalve, deterius. Nos viciſſim reſpondentes Deo: Es dicimus, veram, certam, ſolamque, ſoli convenientem ei appellationem, qua ESSE dicitur, tribuentes. Revera enim eſſentiæ nos nequaquam ſumus participes. Deus autem, ſi ita dicendum ſit, EST, & eſt nulla ratione temporis, ſed æternitatis immobilis, tempore & inclinatione carentis; in qua nihil prius eſt, nihil poſterius, nihil futurum, nihil præteritum, nihil antiquius, nihil recentius, ſed una cum ſit, unico. Nunc ſempiternam implet durationem: & hujus ratione, quod ESSE dicitur, vere EST, non futurum, non præteritum, neque ortum, neque deſiturum. Sic itaque Deus nobis eſt venerationis ſtudio ſalutandus, atque compellandus. Hactenus Plutarchus. Plura hac de re eruditiſſimus congeſſit (*a*) Pfannerus; inter cetera refert verba Mercurii Triſmegiſti dicentis: Deus ergo ſempiternus, Deus æternus, nec naſci poteſt, nec potuit: hoc eſt, hoc fuit, hoc erit ſemper: hæc ergo eſt, quæ ex ſe tota eſt natura Dei — Addit Plotini de Deo ſententiam: Profecto, inquit Plotinus, qui potentiam multiplicem contuetur, ſecundum hoc aliquid quidem, quod ſubjecti vicem habet, eſſen-

(a) *Cap. 2. de Deo & cap. 5. de creat.*

eſſentiam nominat Plato, quatenus vero inſpicit vitam, nominat motum, deinde & ſtatum, quatenus eodem prorſus ſe modo habet: alterum vero & idem, qua ratione hæc multa ſunt ſimul unum. Sic utique componens rurſum in unum, in unam vitam ſolam, contrahenſque in ipſis alteritatem, & continens interminabilem actionis identitatem, neque unquam aliud, neque ex alio in aliud intelligentiam aut vitam pertranſeuntem, ſed eodem modo ſe ſemper habentem, neque nunc quidem hoc aliquid, poſtea vero aliud, ſed omnia ſimul — Sed ibi in eodem, ideſt in ſe ipſo manente, nec aliquando permutato, ſed in præſenti ſemper conſiſtente: quoniam nihil ex eo præteriit, nihil rurſus in eo futurum, ſed hoc ipſum quod eſt, ſemper exſiſtit, adeo ut æternitatis non ſit ſubjectum, ſed quod ex ipſo ſubjecto velut effulget ſecundum ipſam identitatem, quam de poſſeſſione non quidem futura, ſed jam præſente, ſibi ipſi vendicat, promittens videlicet ita ſe habere, neque unquam aliter habiturum — Quid enim eſt, quod erat ipſi atque præteriit? Neque rurſus accidit, quod dicitur, erit. Quid enim erit in ipſo? Relinquitur igitur in ſe ipſo ESSE, hoc ipſum, quod eſt ESSE. Quod igitur neque erat, neque erit, ſed EST dumtaxat, id ſtabiliter habens ESSE; præterea quod neque permutatur in futurum, neque eſt a præterito permutatum, eſt enim æternitas. Eſt itaque ipſa circa ens, in ipſo ESSE vita ſimul tota & plena, & ubique prorſus indiſtans — Verum etiam ipſum omne ſic habere, ut nihil ſibi deſit. Ab ipſo totius Architecto, quidquid prius dicitur & poſterius, procul ſegregare debemus, unicam ipſi & immutabilem temporiſque expertem vitam attribuentes. Non enim ex eo quod varia ſunt & diverſa quæ fiunt, putandum eſt etiam Effectorem cum ipſis eorum, quæ fiunt, mutationibus

nibus habere communionem. Quatenus enim varia ſunt quæ fiunt, eatenus Effector ipſe eodem tenore conſiſtit. Omnia enim immortalia Deus in ſe comprehendit, intellectum omnem, animum omnem, & hæc penitus conſiſtentia. Sed neque exigit incrementum cum ſit perfectiſſimus. Ex Peripateticorum quoque ſententia verus eſt ſermo, inquit Pfannerus, a majoribus proditus inter omnes homines, univerſa tum ex Deo, tum per Deum conſtituta fuiſſe atque coagmentata: nullamque naturam ſatis inſtructam ad ſalutem eſſe poſſe, quæ citra Dei præſidium ſuæ ipſa tutelæ permiſſa ſit. Etenim cunctorum, quæ rerum natura complectitur, cum ſervator eſt Deus; tum vero quæcumque in hoc mundo quoque modo perficiuntur, eorum omnium idem eſt Genitor. Hinc de Diis non magis decantatur apud Gentes, quam iſthæc:

Illic felices capiunt ſua gaudia Divi
Æternum.

Hæc excerpta ex ſyſtemate Theologiæ gentilis purioris, ſummam ſimplicitatem divinæ naturæ præſeferunt, quæ ex Ethnicorum quoque Philoſophorum ſententia apertiſſime omnem compoſitionem reſpuit; quæque ſit a qualibet viſibili ſpecie diſſimillima, neceſſario conſequitur. Præterea præſtantiſſimam divinam naturam eſſe ſingularem, atque unicam, nullo temporum ſpatio circumſcriptam, ſempiterna præditam vita: non fatali quadam neceſſitate, ſed integerrimo libertatis arbitrio, rerum omnium fuiſſe procreatricem, ac eſſe moderatricem, univerſæ intime æque ac impermixtam creaturæ, a qua omnium rationabilium creaturarum tota felicitas pendet; Deum autem nullum exigere incrementum, quum ex ipſorum Ethnicorum ſententia ſit perfectiſſimus. Quæ quidem omnia populo Dei, & Ethnico communia ſunt; quæ-

que

Digitized by Google

que a primigenia, & conſtanti omnium populorum traditione hauſta fuiſſe manifeſtum eſt, ut ex recenſitis omnium nationum monumentis uberrime demonſtravimus; & ex iis, quæ in progreſſu hujus operis tradenda ſunt, evidentius confirmabuntur.

CAPUT III.

De primo homine, primaque mundi ætate, ac Juris Divini, & Naturalis Origine.

QUum ab omnipotentis Dei voluntate Cœlum, Terra, ac reliqua omnia, quæ in ampliſſima hujus Univerſi mole comprehenduntur, creata, ſapientiſſimoque ordine firmata fuiſſent, ut cuncta ſtabili curſu procederent; demum divina virtus acceſſit ad formandum hominem, qui iis omnibus bonis viſibilibus frueretur, quæ in ejus gratiam divina munificentia procreaverat. Quanta autem dignitate, naturali amplitudine, quantiſque virtutibus ornatus fuerit homo ille primus, ex ipſius divini conditoris voce percipere quiſque poteſt, cum Deus dixit: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram; propterea in homine ſimulacrum Dei eſt. De limo itaque terræ Deus formavit corpus ejus, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem; in qua anima eſt imago Dei. Videns autem Deus, non expedire homini eſſe ſolum, tulit ex Adam unam ex coſtis ejus, quam ædificavit in mulierem, hancque dedit illi in uxorem, ut ex his omne genus humanum propagaretur. A Deo Protoplaſti formati in deliciarum loco, cui terreſtris Paradiſi nomen inditum fuit, collocantur, ut beatam vitam agerent; quoniam nihil illic

ad honeſtam voluptatem deerat, nihil, quod corporis animique tranquillitatem turbaret: non morbi, non aeris intemperies, labores nulli; illic enim ſponte alimentum ſuave ac ubertoſum reddebatur; ſed & innocentia cuſtodita, Dei mandato obtemperando, immortales fuiſſent, bonaque hæc omnia ad poſteros traducta adhuc durarent.

Tantæ felicitati invidit Dæmon, quum ipſe placens ſibi ob excelſam ſui naturam, Deo creatori ſuo cum Angelis, quos ſecum traxit, perduellis factus eſt; ejus eximiæ dotes in malignas artes repente mutatæ ſunt: caritati rabida invidia ſubſtituta eſt, & naturalis amplitudo in ſuperbiam converſa, in triſtam conſolationem abiit ſectatores habendi; hinc vile officium aſſumſit, tentandi homines, ut & ipſi perduelles Deo redderentur. Aſſumta igitur a Dæmone ſerpentis ſpecie, ad mulierem ſe confert, minoris intelligentiæ præditam, callidoque ſermone eam allicit, ut vetito fructu veſcatur: habetur ſermo de Dei præcepto, & de pœna mortis præceptum frangentibus ſubeunda: quumque Dæmon mendax reſpondiſſet, nequaquam morituros eos, qui de vetito fructu comederent, immo fore, ut tamquam Dii haberentur, Angelo mentitori mulier fidem habuit, & credendo, ſenſibilibus rebus divinas virtutes eſſe adnexas, decepta comedit. Mulier adit Maritum, blanditiis eum allicit, & ad veſcendum de fructu vetito ſollicitat: Mulieris exemplum, virique urbanitas erga propriam uxorem auget in Adamo tentationem; & quoddam deſiderium in ejus corde exſurgens proprii arbitrii utendi, agendique a ſe, introducit quandam in Adamo fallacem voluptatem audaciamque; propterea vetitum fructum ab uxore porrectum comedit. Hoc pacto innocentia amiſſa, ac ſpecioſa Dei imagine in ipſis impreſſa peccando fœdata, repente juſto Dei judicio cuncta mu-

Digitized by Google

mutantur, eaque, quæ Deus fecerat pro eorum felicitate, vertuntur in ſupplicium. Peccatum delevit intrinſecus rectas animi affectiones, & prava carnis concupiſcentia ortum habuit; & averſio a Deo, cujus non valent præſentiam ſuſtinere, peccati opus fuit; hinc pudore conſperſi latibula quærunt; in ſuo enim malefacto præſentem pœnam habent, quos ante Judicis ſententiam damnaverat propria conſcientia, ſolertiſſima opifex vitæ miſerabilis. Demum cauſſa coram rite cognita, lataque juſtiſſimi Judicis ſententia, ſe ſentiunt terrore mortis concuti, miſeriis obrui, & undique amaritudinibus vexari: de Paradiſo quippe ejecti, terramque ſilveſtrem & horrorem ſpirantem ingreſſi, adminiculo pertinacis laboris opus eſt, ut terra alimentum præſtet; induſtriaque & labore opus item eſt ad moderandum cibum.

Non adhuc malorum finis. Vidit Adam mortis pœnam in ſuam quoque poſteritatem transfuſam, fratricidio innocentis Abelis, a Caino commiſſo. Sicut enim primi Parentis incorrupta natura, felicitas, ac immortalitatis donum, ſi Dei mandato obtemperaſſet, in ejus poſteris, quotquot futuri erant, non interrupta perennitate durarent; ita primi Parentis inobedientia totum genus humanum in Protoplaſtorum miſerias pertraxit: Unde vulgata illa D. Bernardi querela adverſus Adam: „ Sicut enim, „ inquit, omnium fuiſti parens, ita & omnium peremtor; & quod infelicius eſt, prius peremtor, quam parens. Etenim quum in ſeminibus inſit vis, atque earum ſpecierum natura, quæ ex ipſis producuntur, conſequens erat, ut ex fœdata parentum natura fœditate quoque naſcitura poſteritas aſpergeretur. Quod in qualibet animantium ſpecie perſpicuum eſt; & in quolibet plantarum ſemine oſtenditur. Botanici enim, adhibitis aptis

conſpicillis, in multis diſſectis ſeminibus integram plantam illius ſpeciei diſcernere valuerunt. Hoc juxta communem Philoſophorum ſententiam affirmat P. Franciſcus de Lanis Societatis Jeſu: ubi (*a*) ſic habet „ Communis „ recentiorum ſententia eſt, licet in ſemine tritici e. g. „ nullum appareat veſtigium formæ, ſeu figuræ ipſius plan- „ tæ triticeæ, vere tamen latere figuram ipſam, immo or- „ ganizationem aliquam totius plantæ, quæ licet nudo „ oculo diſcerni nequeat, ſit tamen affabre diſtincta in „ ſuas partes, puta culmen, folia, ariſtas &c. ut propterea „ germinatio plantæ non tam ſit nova productio, quam „ ipſius plantæ in ſemine inviſibiliter latentis dilatatio „ quædam & incrementum. In hanc forte devenit ſententiam ſuis etiam adductus obſervationibus ope perfectiſſimi, quo utebatur, microſcopii: inter ceteras enim una tantum circa mali citrini vel limonii ſemen obſervari poteſt in ejus Prodromo capite octavo. Profecto filius eſt viva patris imago; & genitus non poteſt natura eſſe genitore perfectior: corruptio quippe, quæ in primo Parente malæ voluntatis fuit effectus, & juſta pœna peccati; in poſteris natura eſt, quum filiatio paternæ naturæ ſit propagatio; propterea univerſam futuram tunc propaginem vita unius hominis continebat, & omnes fuimus in illo uno, quando omnes fuimus ille unus. Nondum erat nobis ſingillatim diſtributa forma, in qua ſinguli viveremus, ſed jam natura erat ſeminalis, ex qua vitiata propagaremur; idcirco a mortali mortales nati. Hanc veritatem Plutarchus ſic (*b*) explicat: „ Niſi fundamenta ſtirpis jacta ſint pro- „ be, miſeros neceſſe eſt deinceps eſſe poſteros. Quod autem poſt Adami lapſum fuit juſtum ſupplicium, ſapientiſſimo divinæ bonitatis conſilio verſum eſt in humani ge-

neris

(a) *Tom. 3. lib. 13. prop. 3.* (b) *In Comment. de liber. educ.*

Digitized by Google

neris remedium; promta etenim pœna adverſus primos Parentes irrogata, quæ ab omnibus eorum deſcendentibus ſentitur, factum eſt, ut terror judiciorum Dei apud omnes populos pervulgaretur; propterea ad innocentiam ſervandam excitarentur; aut ſi aliquando flagitiis pollucrentur, dignos pœnitentiæ fructus faciendo, divinam evitare poſſent vindictam. Ad divinam clementiam reſpiciens S. Leo Papa (a) inquit: „ Deus omnipotens & clemens, „ cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus „ miſericordia: ſtatim ut nos diabolica malignitas veneno „ ſuæ mortificavit invidiæ, prædeſtinata renovandis mor- „ talibus ſuæ pietatis remedia inter ipſa mundi primordia „ præſignavit. In ipſis quippe mundi primordiis gratia Dei factum eſt, ut Abel innocens fuerit, totque alii fuerint & futuri ſint uſque ad ultimum electum. Ubi enim abundavit hominum malitia, abundavit & gratia, qua velificante ac excitante, homines dum velint, innocentiam ſervare poſſunt, & peccatores quoque, avertendo ſe a via iniquitatis, ad æternæ ſalutis portum pervenire. Eoque reſpiciens Seneca (b) inquit: „ Quæris, quid ſit pro- „ poſitum Dei? Bonitas; ita certe Plato ait: Quæ Deo „ faciendi mundi cauſa fuit? Bonus eſt, bono nulla cujuſ- „ quam boni invidia eſt.

Quæ hactenus de primorum Parentum origine, de eorum ante peccatum felicitate, deque ærumnis poſt lapſum dicta ſunt, ex Moſaica Hiſtoria depromſimus. Nunc earundem rerum veſtigia, quæ in utroque Orbe occurrunt, noſtri muneris erit oſtendere, ut pateat tum antiquorum, tum recentiorum populorum teſtimonio Annalium Moſaicorum veritas. Animadvertendum tamen eſt, quod variis nominibus in deſignando primo homine diverſi populi

uſi

(a) *Serm. 2. de Nat. Dom.* (b) *Epiſt. 65.*

Digitized by Google

uſi ſunt ; rei autem indubia ſigna , ac præcipua adjuncta primum hominem indicantia tenuere , quod de aliis quoque rebus aliter apud alios nuncupatis evenire ſolet pluribus de cauſſis , & præcipue idiomatum varietate. Balbus apud Tullium libro ſecundo de Natura Deorum dicit , „ ex terra homines factos. Quum autem terra dicta ſit omnium hominum mater , propterea Brutus oſculum telluri dedit ; ab oraculo enim audiverat , eum regnaturum, qui primum matrem eſſet oſculatus , ut ex Liviana Hiſtoria , ubi ſic (*a*) legitur : „ Ipſi inter ſe uter prior cum „ Romam rediiſſet , matri oſculum daret , ſorti permit„ tunt. Brutus alio ratus ſpectare Pythicam vocem , ve„ lut ſi prolapſus cecidiſſet , terram oſculo contigit : ſcili„ cet quod ea communis eſſet omnium mortalium mater. Halicarnaſſeus porro libro primo & quarto ait : „ Rex „ Saturnus ita ab Italis nuncupatus , quia veteri lingua „ terra vocabatur Saturnia. Saturnus autem a Græcis nun„ cupatur Chronus , quia in ſe comprehendit univerſam „ hominum naturam. Fabricius autem (*b*) inquit : Non„ nullorum orientalium traditio , ex luto a Prometheo ho„ mines efformatos fuiſſe. Nomine autem Promethei a „ nonnullis Gentibus Deus Orbis conditor ſignificabatur. Flavius (*c*) refert , „ primo homini Adami nomen tri„ butum fuiſſe , quod hebraico idiomate ſignificat rubrum „ quia ex terra rubra factum fuerit. Antiquorum Gallorum conſtans erat traditio , quod ortum habuerint ab uno homine , ut Cæſar (*d*) refert : „ Galli ſe omnes ab Dite „ patre prognatos prædicant. Sanchoniaton (*e*) apud Shukford deducit totum genus humanum a duobus mortali-

(a) *Lib. 1. Decad. 1.*
(b) *In Cod. vet. teſt. cap. 18.*
(c) *Antiq. Jud. lib. 1. cap. 2.*
(d) *Lib. 6. de bell. Gall.*
(e) *Lib. 1. cap. 1.*

Digitized by Google

talibus, maſculo & femina. De antiquis Germanis ſic (a) Tacitus inquit: „ Celebrant Germani carminibus an„ tiquis (quod unum apud illos memoriæ, & Annalium „ genus eſt) Tuiſtonem Deum terra editum, & filium „ Mannum originem Gentis conditoreſque: Manno tres „ filios adſignant. Voſſius de hac re diſſerens, eruditiſſime ſic (b) loquitur: De Tuiſtone terra edito, & Manno ejus filio reliquias cernimus doctrinæ veteris de Adamo terra edito, qui a Germanis Tuiſto vocatur. Item Mannus trium filiorum parens ſit Noachus, a quo omnes populi poſt diluvium originem duxerunt. Nec obſtat, quod Noachus ſit decimus ab Adamo filius, & illius filius dicatur; primus enim parens omnem cujus poſteritatem genuiſſe cenſetur; & omnes deſcendentes jure merito vocantur filii. Nec repugnare videtur, Tuiſtonem Deum a Germanis fuiſſe vocatum, ſi hoc vocabulum more Gentium ad Deos animales referatur, hoc eſt ad homines deificatos; quod præcipue ſpectat ad primos Parentes. Item quum primum ex Adamo, deinde a Noacho omnes gentes originem duxerint, Adamum & Noachum Saturni nomine ſignare ſolebant. Saturnus eſt idem ac Adamus; & hominem fuiſſe, ne Gentium quidem hiſtorici negare auſi unquam fuerunt. Adam autem dictus eſt Saturnus non ab Heſiodo modo, ſed in Hymnis etiam, ſive potius initiis, quæ Orphæo tribuuntur — Saturno mater tribuitur tellus, antequam homo non fuit. Etiam cœli filius dictus eſt a Gentibus, quia non alium agnoſceret patrem, quam cœleſtem. Jovis nomine aliquando ab Ethnicis Heros intelligitur. Hinc illud Arati: Jovis omnes progenies ſumus, ideſt primi hominis quemadmodum apud Plutarchum in Apochetmatis Alexandri: Juppiter

(a) *Libell. de Moribus Germ.* (b) *Lib. 1. cap. 14. 18. & 38.*

Digitized by Google

piter natura omnium eſt pater — Antiquis Germanis fuiſſe traditionem etiam de Eva, Iſis dicta: Ab Ægyptiis quoque Iſis nuncupata, ut Oſiris Adamus — Nec putandum eſt primorum Parentum memoriam in Aſia penitus intercidiſſe apud Gentiles. Antiqui Ciliciæ incolæ primum hominem dixerunt cœli, terræque filium. Adama antiqua Urbs Ciliciæ erat condita a Syris, inque primi hominis Adam, Adama appellata. Item apud Græcos primus homo cœli, terræque filius erat; quod nulli melius convenit, quam Adamo, aliter dictus Saturnus, & Eva Ahea: puta quia Saturnus eſt primus homo, & Ahea omnium mater. Hactenus Voſſius.

Ethnicorum quoque Poetæ de primo homine cecinerunt.

Ovidius (*a*) ſic cecinit:

Sanctius his animal mentiſque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cetera poſſet,
Natus homo eſt.

Homeri Hymnus, ſive initium, in Terram matrem:

Terram omnium matrem canam.

Et illud (*b*) Juvenalis carmen

Compoſitique luto, nullos habuere parentes.

Alia Ethnicorum de hac re monumenta congeſſit (*c*) Pfannerus.

Ex Callimacho.

Erat tempus cum volucrium ſæcla,
Et quadrupes, & quidquid occulit pontus,
Vocem, & lutum Prometheum
...... Si te ipſe Prometheus
Finxit, & ex alio non dedit eſſe luto.

Heſiodus:

Pa-

(a) *Metamor.* 1. (b) *Satyr.* 6. (c) *Cap.* 6. *de homin. creat.*

Digitized by Google

...... Parens hominumque, Deumque
Vulcanum inſignem juſſit mox pulvere lympham
Miſcere, una hominiſque illi præbere loquelam
Et mentem.

Ovidius:

Ex terra miſta fluvialibus undis.

Plato dicit, priſcos homines e terra procreatos. Uti & Zeno Eleates, referente Laertio, generationem hominum e terra eſſe dixit. Ita apud Ciceronem traditur diſputari ſolere, exſtitiſſe quandam materiam ſerendi generis humani, quod ſparſum in terra atque ſatum, divino auctum ſit animorum munere. Hinc Phocylides:

Ex terra corpus nobis eſt, rurſus in illam
Solvimur & pulvis ſumus.

Theſeus:

Jam ſinite terræ mortuos gremio tegi.
Res unde quæque ſumſerat primordium,
Eo recipitur: Spiritus cœlo redit,
Corpus terræ.

Et apud Plutarchum Epicharmus: in eundem ſenſum concretum fuit (corpus) & diſcretum eſt, rediitque unde venerat, terra deorſum, ſpiritus ſurſum. Hactenus ex Pfannero. Dii animales Gentium potiſſimi, inquit (*a*) Voſſius, pertinent, vel ad primos Parentes, vel Noe & conjugem, vel liberis horum; item Dii Selecti vel Conſentes. Tellus culta a Gallis, Germanis, Scythis, Tartaris, & idem cultus apud Peruanos eſt repertus, quia, ut Voſſius concludit, genus ſuum ad tellurem referebant. De Gauribus orientalibus, antiqui Zoroaſtris aſſeclis, Picardus (*b*) tradit, in illorum hiſtoriis ſcriptum eſſe, totum genus humanum a duobus ſolis perſonis fuiſſe propagatum. Et ex

(a) *Lib. 2. cap. 62.* (b) *Tom. 2. de Gaur. & Sinenſ. relig.*

Digitized by Google

antiquis Sinenſium ſcripturis aperte colligi, quod poſtquam a Deo creati fuerunt cœli, terra, ſpiritualeſque ſubſtantiæ, denique primum hominem, quem Puongu vocant, factum fuiſſe. Gonzalus Mendozza in ea relatione, quam ad Philippum II Hiſpaniarum Regem miſit, (*a*) teſtatur, in antiquis Sinenſium libris reperiri, a Deo, quem Tain vocant, primum hominem primamque feminam creatos fuiſſe. Cardinalis Lucinus, exhibet primum ſacros antiquorum ritus (*b*) terræ matri conſtitutos, deinde ait, in Regnis orientalibus Madurenſium, Mayſſurenſium, & Carenatenſium vigere traditionem, cunctos mortales a quodam, Bruma dicto, ortum duxiſſe; quo nomine primum hominem intelligunt. Theologia Gentium hiſtorica, inquit (*c*) Laſitavius de moribus Silveſtrium Americanorum, habet pro objecto primos Parentes, Adamum ſcilicet, & Evam. Hanc, Atam a Braſilienſibus nuncupatam, omnium hominum Matrem Ethnici dicunt. Facta demum ab eruditiſſimo Laſitavio collatione cum myſteriis, orgiiſque Gentilium noſtri Hemiſpherii, animadvertit, Gentium ritus convenire, in deſignanda Eva, viventium Matre. Agnoverunt quoque antiqui ſapientes, eſſe omnino rationi conſonum id, quod de creatione mundi, de primo homine, & propagatione humani generis conſtanti traditione apud Gentes pervulgatum erat. Quapropter adverſus Epicureos, Voſſio (*d*) referente, acutus diſputator ſic diſſerit: Solum dixero, ſi mundus ſemper fuit, infinitos nos habituros majores: in ceteris etiam animalibus, quæ ex ſemine generantur, datum iri progreſſum in infinitum, quod in cauſſis per ſe eſſe nequit, ut omnino agnoſcere cogamur, fuiſſe homines

(a) *Lib. 2. cap. 5.* (b) *Cap. 14. & 25.*
(c) *Pag. 226. uſque 247.* (d) *Lib. 1. cap. 1.*

nes primos: fuiſſe gallinam ante ova, quotcumque animo conceperis. Et aliter ſi eſt, unde tam recens eorum memoria, qui artes quaſque invenerint? Unde item, quod illorum nec vola, nec veſtigium ſuperſit, qui infinitis ante fuerunt temporibus? Quod argumentum, concludit Voſſius, tanti etiam viſum Lucretio fuit, ut propterea cœpiſſe mundum hunc, & ſatis eſſe recentem fateretur.

Ut evidentius autem perſpiciamus Annalium Moſaicorum veritatem, animadvertenda ſunt ea etiam, quæ apud Gentes pervulgata ſunt de terreſtri Paradiſo, hoc eſt de aurea ætate, quæ tributa eſt homini primo in ſtatu innocentiæ, quam graphice admodum depinxit Poetarum ingenioſiſſimus (*a*) Ovidius:

Aurea prima ſata eſt ætas, quæ vindice nullo
Sponte ſua ſine lege fidem rectumque colebat.
Nondum præcipites cingebant oppida foſſæ:
Non galea, non enſis erat.

Poſt pauca:

Ipſa quoque immunis, raſtroque intacta, nec ullis
Saucia vomeribus, per ſe dabat omnia tellus:
Contentique cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fetus, montanaque fraga legebant.
Ver erat æternum, placidiſque tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos ſine ſemine flores;
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat.

Alibi idem (*b*) Ovidius:

Signabat nullo limine foſſor humum.

Ex Virgilio 1. Georg.

Nec ſignare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat.

Martialis (*c*) de Saturno

(a) 1. *Metam.* (b) *Lib.* 3. *amor. Eleg.* 7. (c) *Epig.* 63. *lib.* 12.

Antiqui Rex magne poli, mundique prioris,
Sub quo pigra quies, nec labor ullus erat.

Samuel Bochartus de aurea ætate Heſiodi, & Telecidis carmina (*a*) refert. Heſiodus:

Cœlorum imperium dum Rex Saturnus habebat,
Diis ſimiles, ſumma degebant pace, nec ullus
His labor, aut ærumna fuit.

Telecides:

Primum quidem omnibus pax fuit, ut manibus
Aqua ......

Paulo infra:

Nec quæ metum afferrent, nec quæ morbum
Terra genuit.

Laertius (*b*) inquit: Linum Mercurio, & Urana Muſa natum tradunt coſmogoniam feciſſe, Solis & Lunæ curſum, animalium fructuumque ortus explicuiſſe. Hujus Poematum initium fertur tale:

Fuit olim tempus, in quo ſimul orta fuerunt.

In diſſertatione Stephani Morini de Paradiſo terreſtri ſic legitur: Syri autem ſe habere ex traditione majorum, quod Adamus in agro Damaſceno creatus eſt, & in ipſo Damaſci nomine terram rubram lingua ſua inveniunt. Burnetius autem ſic (*c*) ait: Felix utique ætas, de qua conſentiunt omnes, & utraque hiſtoria (hoc eſt populi Dei & Gentium) teſtatur, ſummam fuiſſe cœli clementiam, & æquabilitatem in recenti mundo, & in Paradiſo: Ea cœli temperies ab antiquis cum verno tempore comparari ſolet, notaque ſunt Virgiliana Carmina:

Non alios prima creſcentis origine mundi
Fluxiſſe dies, aliumve habuiſſe tenorem

Cre-

(*a*) *Tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 1. (b) *In Proœm. lib.* 1.
(*c*) *Lib.* 2. *cap.* 1. *de T. S. T.*

Digitized by Google

Crediderim: & hyemis parcebant flatibus Euri.

Nam in regno Saturni juxta antiquos eadem erat ſemper facies naturæ, cœli, & terræ, eadem temperies anni: neque fluxit tempus per diſpares motus, & illud inæquale curriculum, per quod annus noſter volvitur: Vita denique & facilis & beata. Atque ita ſemper pinxerunt aureum ſæculum: fuitque notiſſimum apud Poetas fere omnes argumentum, in quo luſerunt ad faſtidium uſque, materiæ dulcedine allecti; ut nempe id ſibi propoſuiſſe videantur ex iis nonnulli, rem ipſam vera narratione exponere, ſed ingenium qualitercumque exercere in adornanda idea feliciſſimi rerum ſtatus. Hæc paucis, ita concludit Burnetius, complexus eſt Heſiodus, & ceteris modeſtius: nota etiam ſunt Lucretii carmina de tellure recenti, quæ ſic habent:

Ipſa dedit fructus, & pabula læta,
Quæ nunc vix noſtro grandeſcunt cuncta labore.

Halicarnaſſeus (a) inquit: traditum a majoribus eſt, quod antequam Juppiter imperaret, regnavit Saturnus, ſub quo illa ætas, in qua omnia ſponte dabat tellus; nec unquam poſt illud tempus id eveniſſe. Plato autem, in Timæo, terram felicem primæ ætatis vocat Jovis hortum: „ In Saturnalibus quoque ſacris, inquit (b) Voſſius, prima illa ætas a Gentibus expreſſa in æqualitate honoris, „ omnibus tum ſervis tum liberis. Quam belle, ait, ea „ conveniunt hominis ſtatui in Paradiſo? Ut mihi quidem „ dubium ſit nullum, quia ex traditione hæc hauſerint Gen„ tes. Plura quoque congeſſit (c) Pfannerus de Paradiſo terreſtri. Heſiodus:

Prius namque in terris vivebant familiæ hominum,
Omnino abſque malis, & ſine difficili labore,

Mor-

(a) *Lib.* 1. (b) *Lib.* 1. *cap.* 18. (c) *Cap.* 7. § 9. & 10.

Morbiſque moleſtis, qui hominibus ſenectam afferunt.
Sed ut Dii vivebant, prædití ſecuro animo,
Plane abſque laboribus, & ærumna, neque moleſta
Senecta aderat, ſemper vero pedibus ac manibus ſimiles
Delectabantur in conviviis, extra mala omnia
...... Bona vero omnia
Illis erant; fructum autem ferebat fertile arvum
Spontaneum multumque & copioſum: ipſique ultro.
Quieti partis fruebantur, cum bonis multis.

Tibullus:

Illo non validus ſubiit juga tempore Taurus,
Non domito freno ore momordit equus.
Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva lapis.
Ipſæ mella dabant quercus, ultroque ferebant
Obvia ſecuris ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella, nec enſes
Immiti ſævus duxerat arte faber.

Atque apud Senecam Hippolytus vitæ genus, quod ipſe ſectabatur, extollens, & felicis iſtius ævi ſtatus comparans, ait:

...... Hoc equidem reor,
Vixiſſe ritu, prima quos miſtos Deis
Profudit ætas: nullus his auri fuit
Cæcus cupido, nullus in campo ſacer
Diviſit agros arbiter populi lapis:
Nondum ſecabant credulæ pontum rates:
Sua quiſque norat maria: non vaſto aggere
Crebraque turre cinxerat urbes lacus:
Non arma ſæva miles aptabat manu.

Nec

Digitized by Google

Nec torta clauſas fregerat ſaxo gravi
Balliſta portas, juſſa nec Dominum pati
Juncto ferebat terra ſervitium bove:
Sed arva per ſe feta poſcentes nihil
Pavere gentes, ſilva nativas opes,
Et opaca dederant antra nativas domos.

Neque Poetæ ſolum, ſequitur Pfannerus, verum & Philoſophi talia tradidere, inter quos dignitate primus Plato de terreſtri Paradiſo inter cetera, Politicorum libro, ſic loquitur: Fructus illis & poma & fruges abunde arbores, & fertile ſolum, ſponte ſua abſque agriculturæ opera ſuggerebant. Nudi quin etiam & expediti ſub dio ut plurimum paſcebantur. Deinde Plato in Cratin. ſub finem ad legum divinarum humano generi latarum tranſgreſſionem, terreſtris illius Paradiſi ejectionem, omnemque, qua homo conflictatur, calamitatem refert. Totam hanc de utroque hominis ſtatu hiſtoriam, mutatis fere tantum nominibus, a Sacerdote quodam Peguano, ita relatam a Ferdinando Mender Pint, qui ſermoni ſe præſentem adfuiſſe dicit, quin recenſeamus, omittere nequivimus. Ea ita ſe habet: Poſt erutum ex aqua Orbem, hortum a Deo plantatum eſſe, cui incolam cuſtodemque hominem, Adæ nomine, cum uxore Baragone dederit; utrumque in obſequii ſpecimen, ea lege adſtrictum, ne arboris (Hilafaran vocabat) fructum temeraret, quem ſuo honori ſepoſuiſſet; ni pareret gulæ intemperiem horrendis ſuppliciis luituros, etiam in poſteris tranſituris. At ſerpentem, ex domo fumi, magnam iſtam felicitatem Lupanto, veritam, ne homini ſua erga Dei juſſa reverentia æterna felicitas obtingeret, mulieri, melioris ſortis ſpe pellectæ, perſuaſiſſe, ut vetitos fructus invaderet, marito quoque in criminis communione pertracto. Unde horto expulſis, mors, dolores,

atque

atque inopia ab irato Numine incubuerint, quod tamen Adæ multis lacrimis teſtata pœnitentia utcunque mitigavit. Hactenus eruditiſſimus Pfannerus.

Hiſtoriam de prima mundi ætate, quæ apud Americanos, referente Pfannero, vigebat, fere eandem exhiberi in antiquiſſimis Brachmanum orientalium libris teſtatur P. Vincentius Maria Senenſis, qui ſic (a) inquit: „ In Brachmanum libris ſcriptum eſt: In prima mundi „ ætate non erat pluvia, ſed terra irrigabatur a flumine, „ ita ut terra abſque ullo labore ubertoſos fructus ſponte „ daret. Propter autem hominum inconſtantiam, Brach„ ma (hoc eſt Deus) ordinem naturæ mutavit, dixitque „ hominibus, labore manuum veſtrarum terra in poſte„ rum fructus vobis præbebit. De aliis nationibus Huetius (b) ait: Sinæ, & Japponenſes Moſi conſentiunt de Paradiſo terreſtri, de primo homine, & de doloſo ſerpente; propterea arbori anguem circumplicant: ſic nempe ſerpentem doloſum adumbrantes, qui Evæ verba dedit. Item in priſcorum Brachmanum orientalium Codicibus expreſſa eſt hiſtoria de primi hominis primæque mulieris creatione, de Paradiſo terreſtri, ut ex colloquio Calani cujuſdam cum Oneſicrito, de primæ horum progeniei vitioſitate, exitio, & reparatione; propterea puerperas & pueros recentes immundos eſſe, atque hanc immunditiam aquis ablui rentur — Incolæ regionis Indiæ Tanguth filios ſuos redimunt Ariete — Taautus, rerum Phœnicarum antiquiſſimus ſcriptor, ſerpentibus divinitatem quamdam adſcripſit. Hactenus Huetius. Picardus verba faciens de populis Japponenſibus, & Magadaſcarenſibus teſtatur (c) illas gentes traditionem ſervaviſſe de duobus primis Parentes

(a) *Lib. 3. cap. 17.* (b) *Propoſ. 4. cap. 3. & 6.*
(c) *Tom. 2. de Jappon. & Magadaſ. relig.*

Digitized by Google

rentibus, de Paradiſo terreſtri; & Dæmonem fuiſſe peccati, ac humanæ corruptelæ auctorem. Idem Picardus (*a*) de Peruanis, aliiſque occidentalis Americæ populis, apud illos conſtantem vigere traditionem de primorum Parentum peccato; propterea Deum ſterilem terram reddidiſſe, quæ prius ſponte dabat fructus ſuos. Laſitavius, de moribus Silveſtrium Americanorum verba faciens exhibet (*b*) ſymbola & hieroglyphica, quibus nonnulli populi uſi ſunt, ut hanc hiſtoriam de callido ſerpente poſteris traderent: inter cetera ſerpentem arbori circumplicatum repreſentabant. Hoc ſymbolum progreſſu temporis idololatrici cultus argumentum fuit; neque id mirum videbitur, inquit Laſitavius, animadvertenti, fere omnes Gentes in hanc dementiam colendi Dæmonem, deſcendiſſe. De hac prævaricatione S. Philaſtrius ſic (*c*) loquitur: „ Primi ſunt Ophitæ, qui dicuntur ſerpentini. Iſti colu-„ brum venerantur, dicentes quod hic prior nobis ſcien-„ tiam boni & mali attulerit; unde ei, Dominum invi-„ diſſe, aſſerunt. Picardus (*d*) refert „ antiquos popu-„ los Eſtoniæ, Lituaniæ, Boruſſiæ, Curlandiæ, & Samo-„ gitiæ eadem de cauſſa ſerpentem coluiſſe. Tantum autem abeſt, ut hiſce inſipientium hominum commentis praviſque inſtitutis Moſaicorum Annalium veritas labefactari queat; quum immo evidentius confirmetur; ſublatis enim vanis commentis, primigenia veritas teſtimonium ab ipſa corrupta religione apertiſſime deſumit.

Poſt lapſum, inquit (*e*) Voſſius, Adamus factus eſt agricola, & agriculturam docuit ſuos. Primus etiam Saturnus inveniſſe ac docuiſſe agriculturam; Unde a Gen-

Z tibus

(a) *Tom. 1. in ſuppl. Peru. &c.* (b) *Tom. 1. pag. 233.*
(c) *De hæreſib. num. 1. & 2.* (d) *Tom. 2. de populis Eſton. &c.*
(e) *Lib. 1. cap. 18.*

Digitized by Google

tibus cum falce meſſoria fingebatur. Aurelius Victor de origine gentis Romanæ ſic loquitur : Itaque primus, hoc eſt Saturnus, agriculturam docuit. Item ex Plutarcho, quæſtione quadrageſima ſecunda, fructuum virtuti Deus ille præeſt, hoc eſt Saturnus; hoc enim falx ſignificat. Hactenus Voſſius. In diſſertatione Stephani Morini de Paradiſo terreſtri legitur, in vicina Syria Adamum exſulaſſe, ut teſtantur Gabriel Sionita, & Joannes Heſfronita Maronitæ e Libano, & propinquiores amiſſæ Edenis regiones incoluiſſe; hinc Adami veſtigia in urbe Adam ad mare Tiberiadis ſita. Addatur ſententia de Adamo cum Eva Chebrone ſepulto. Fabricius autem, diligentiſſimus orientalium populorum ſcrutator, teſtimonio Zabiorum, Græcorum, Perſarum, & Ægyptiorum refert (*a*), „ quod Adam terram Babel ingreſſus multa mirabilia ſecum aſportaverit: Alii teſtantur de gigantea & immani „ ejus ſtatura; adduntque alii, in Inſula Zeylan in monte Hacman, in cujus faſtigio, haud procul a Templo, „ multis ardentibus lucernis fulgentiſſimo, præter veſtigia Adami, imaginem inſanæ magnitudinis conſpici jacentem, perhibent. Ad hæc addi poſſunt veſtigia aliqua, quæ habentur inter Gentes de Caino fratricida. S. Philaſtrius (*b*) inquit: „ Alii dicuntur Cajani, qui Cain laudant fratricidam, primogenitum Patris noſtri ac beati „ Adæ protoplaſti, dicentes, ex altera virtute, ideſt Diaboli, Cain factum, ex altera autem Abel beatiſſimum „ natum, & virtutem majorem, quæ erat in ipſo Cain, „ invaluiſſe. Americani quoque Abelis & Caini caſus fabulis adumbratos habent, teſte (*c*) Huetio.

Quamquam ad hujus operis compoſitionem nihil minus

(a) *In Cod. vet. teſt. cap. 18. uſque 29.* (b) *De hæreſ. n. 3.*
(c) *Propoſ. 4. cap. 7.*

nus conſentaneum, aut minus quæſitum aliquibus videri poſſit, quam ut de primorum hominum longævitate verba faciamus: tamen ut Moſaicæ Hiſtoriæ fides undique ſarta tecta appareat, pauca quædam placet addere, quæ a Gentium teſtimoniis petita, id plane confirment, quod de vetuſtiſſimorum Patriarcharum ſpatiis vitæ longiſſimis in Moſaicis Annalibus legitur. Inter ea quidem, quæ ab Ethnicis ſcriptoribus exempla referuntur, non ſum neſcius, plura reperiri, quæ ad fabulas merito amandari ſolent: quod utique mirum nemini videri debet; quum falſis narrationibus multiplices cauſſæ occaſionem præbere poſſint. Adſunt autem ſubſidia, quibus indigemus, ut fabuloſa a veris apte ſecernamus; & præcipuum illud eſt, ut facta collatione inter ſcriptores plurium nationum, quæ inter ſe ſe ignotæ, aut aliis de cauſſis diſcordes fuerunt, tamquam vera admittamus ea, de quibus eadem ſcribant & dicant. Plinius (*a*) fatetur „ multos Gentium hiſtoricos de ſpa„ tiis vitæ longiſſimis ſcripſiſſe. Primorum hominum longævitatem, tradit (*b*) Picardus, in antiquis Sinenſium hiſtoriis commemorari; idque fuſius tradit (*c*) Gonzales a Mendozza, referens in Sinenſium libris legi longiſſima vitæ ſpatia priſcorum Patriarcharum; quorum unus nongentos, & alii octingentos annos expleverint. Heſiodus (*d*) inquit: primorum hominum vitam noſtra hac fuiſſe diuturniorem. Atque his accedat Burnetii auctoritas, qui ſic (*e*) ait: Notum eſt, Patriarchas antediluvianos in tot annos, & tam mirandam longitudinem duxiſſe vitam, ut ad ſalvandam fidem hiſtoriæ ſacræ, alias a noſtris annorum formas excogitare voluerint: ſed eandem longævitatem primorum hominum nos docent Gentium ſcripta. Heſiodus om-

Z 2

(a) *Lib. 7. cap. 48.* (b) *Tom. 2. de Sinenſ. relig.* (c) *Lib. 2. cap. 5.*
(d) *Apud Huetium propoſ. 4. cap. 2.* (e) *De Tell. theor. lib. 2. cap. 1.*

omnia ſenectutis incommoda iis adimit etiam in ſecunda, quam finxit, ætate mundi; quum centum jam annos habuerint, nondum pueritiæ & incrementi terminos præteriiſſe ſupponit. Idem legitur in Sibyllinis etiam oraculis de primis hominibus. Denique, ſubdit Burnetius, qui plura deſiderat hac in re Gentium teſtimonia, Joſephum adeat libro quarto ſuæ Hiſtoriæ, qui eandem longævitatem primorum hominum celebrans: Teſtes habeo, inquit hujuſce rei, quotquot inter Græcos Barbaroſque rerum antiquarum monumenta reliquere, quorum nomina & dicta exponit.

Explorandæ modo ſunt conſecutiones, quæ ex utraque Hiſtoria, populi ſcilicet Dei, & Gentium, ſponte fluunt. Tota hæc irrefragabilis hiſtoria de utroque primorum hominum ſtatu, hoc eſt felici intus in homine, æque ac in ceteris rebus, hominis gratia creatis ante peccatum, infelicique in utraque parte poſt lapſum, manifeſtam mali moralis ac phyſici præſefert originem. Propterea, conſenſione omnium Gentium hujuſce hiſtoriæ veritate probata, non eſt ultro laborandum, in texendis probationibus, cur homo ita ſit, & in quærendis cauſſis tot malorum & ærumnarum, quæ in homine primum, deinde in toto hoc ſublunari Orbe conſpiciuntur; malum enim morale opus hominis fuit; malum phyſicum invectum ab ipſo auctore ac moderatore naturæ in peccati pœnam, alium in natura conſtituendo ordinem; qui quidem in tanta varietate, qua poſitus eſt, ſtare non poſſet abſque divina providentia; ea enim ipſa, quæ tumultuoſa in natura videntur, ratione & conſilio reguntur, neque temere, neque ex imbecillitate divinæ potentiæ ſic coierunt; ſed in his ipſis, conſtantibus tamen, ratiſque viciſſitudinibus altiſſimum ineſt divinæ bonitatis conſilium, quod uberrime reſerabitur, quum de divina providentia erit ſermo.

Videndum nunc eſt de juris divini origine; quod quidem jus conſtituitur ex propria abſolutaque Dei imperandi prohibendique poteſtate; qui cum ſit hominum conditor & parens, Dominus quoque & legiſer eſt: hinc omni ævo cunctis Gentibus perſuaſum fuit, omnia Dei geri vi ac ditione, ipſumque piorum & impiorum habere rationem; unde Dei cultus, legum vis, ac ſummi Numinis metus ortum habuerunt, ex quibus omnibus jus divinum definitum eſt, & religio circumſcribitur; & ex quibus quædam hominum cum Deo ſocietas conſtituitur, quæ fere ita ſe habet, ut illa militum ad ſupremum Ducem; propterea juſtum abſolute, & proprium hominis officium videtur, Dei obtemperare mandatis, quæ pro imperio ſuo ac voluntate decernit, in quibus exſequendis, exhibetur Deo verum animi ſacrificium; ſubmiſſa enim voluntas eſt hoſtia grata Deo, qui intima cordium intuetur; propterea ad munera Abelis Deus reſpexit, eo quia e corde puro procedebant; ad Cain autem, & ad munera ejus non reſpexit, cum invidiæ livore in corde ſuo tabeſceret. Jus itaque divinum, in quo ineſt divini cultus ratio, in prima mundi ætate a Moſe deſcriptum, parentum ad filios orali traditione, priorumque ſacrificiorum more, hereditario quodam jure, apud omnes Gentes propagatum fuit. Profecto rationem divini cultus, rituſque ſervandos, & hoſtias immolandas ad expianda peccata, non humana ratione magiſtra hæc didicerunt homines, ſed Deo docente primos homines, ad poſteros omnes hæc propagata cernuntur; eaque quæ omnibus Gentibus communia ſunt, a Deo ab initio ordinata fuerunt. Sacrificium eſt religionis actus, & oblatio Deo facta, tamquam Domino, omniumque bonorum largitori. Oblationes & ſacrificia in prima mundi ætate ortum habuerunt:

runt: Dei cultus ab initio ſimplex fuit, & hæc ſimplicitas apud Gentes diu perſeveravit, quam demum vanis addittamentis corrupit ſuperſtitio, de qua commodiori loco erit ſermo, ut manifeſte appareat, æternum eſſe id, quod a Deo eſt; propterea in ipſa quoque fœdata religione, divini cultus rationem, quoad ſubſtantiam, non interrupta perennitate apud omnes Gentes permanſiſſe demonſtrabimus. Conflando autem in unum ea, quæ hactenus conſenſu omnium nationum capitibus primo & ſecundo hujus libri tradidimus, de Deo mundi creatore, hominum doctore ac legislatore, cum iis, quæ in præſenti capite dicta ſunt de præcepto divino, ſub quo conſtitutus fuit primus homo, qui peccando, adverſus proprium commodum operatus eſt; mala enim concupiſcentia in homine exorta, quæ fuit juſta pœna perverſæ voluntatis, aliæ leges a Deo hominibus traditæ fuerunt, ut in prima familia, & in poſteris hominum officia probe inſtituerentur, omneſque ſocietates traditis a Deo legibus in poſterum regerentur. Quoniam vero hominum officia, conſenſione totius Orbis, alia ad Deum, alia ad humanam ſocietatem referantur, Dei quoque leges utramque partem reſpiciunt, ex quibus conſtituitur perfecta actionum harmonia; unde homo percipit ea, quæ debet Deo, ſibi ipſi, proximoque; propterea ſtabilis & perfecta vitæ moralis diſciplina, partes omnes complectens, quæ deſinunt in punctum veluti unum, undecumque illas ſpectes, a Deo ſolo potuit architectari. Neque obſtat, quod jus, aliud divinum, aliud naturale nuncupetur; unum enim divinum dicitur, eo quia immediate ad Dei cultum referatur: aliud naturale appellatur, quum naturalem & præſentem hominum ſocietatem regat; hoc enim ipſum jus a Deo inſtitutum fuit, ut mox demonſtrabitur; idcirco hæc jura inter ſe

apud

apud omnes ita colligata videntur, ut ex his duobus juribus cunctarum nationum officia regantur.

Exponenda itaque ſunt arcana Moſaicorum Annalium verba, ex quibus eruitur humanæ ſocietatis coagulum, & jus, quod naturale nuncupatur, quamquam a Deo in prima mundi ætate conſtitutum aperte videatur; propterea apud omnes Gentes pervulgatum, & in probatis moribus omni ævo viguiſſe demonſtrabitur. Serio Moſaicos Annales animadvertenti præſto erit divini conſilii altitudo in prima inſtitutione humanæ ſocietatis, quæ adhuc apud cunctas nationes viget & vigebit. Porro Deus O. M. creatis primis hominibus maſculo & femina, eos matrimonii vinculo colligavit, dicens: Erunt duo in carne una. Profecto his verbis inſtituto conjugio, ſponte conſequitur, ut in una carnis conjunctione fieret quaſi unus homo, una mens, unus animus, unum corpus; propterea ſcriptum eſt: Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ. Vagæ hinc libidines hoc ipſo ſunt ſublatæ ſeu interdictæ; fundamentum enim illius obligationis eſt conjunctio in una carne; hinc etiam nuptialis vinculi inſolubilitas; ſicut ſcriptum eſt: Quos Deus conjunxit homo non ſeparet; verum quoque tali vinculo, jugalium amor & fides inſinuatur. Hæc divina matrimonii inſtitutio apud omnes Gentes propagata videtur; ita ut hoc probare velle, inutilis & putidus labor futurus ſit, quum impii ipſi matrimonia contrahant. Neque obſtat, quod apud aliquas nationes poligamiæ, & concubinarum uſus invectus ſit, quum nunquam apud eaſdem legitimi conjugii ratio hoc ipſo potuerit aboleri. Neque divinæ inſtitutioni quicquam officit, quod apud Fortunatarum & Canariæ Inſularum populos uxorum olim communio fuerit; quemadmodum neque Licurgi lex, qua permiſſum erat marito

ætate

ætate confecto juvenem viribus pollentem advocare, ut ex generoſo ſemine proles conciperetur: alia quoque Licurgi lege permiſſum erat, proprias uxores amicis commodare, ut & ipſi prolem excitarent, referente Plutarcho in vita Licurgi, & Alexandro ab Alexandro (*a*) dierum genialium. Hæc autem, aliaque hujuſmodi, tamquam ab inſana hominum opinione, ſive a prava libidine profecta, vix orta obſolevere; ſervata iterum intacta connubiorum jura; & in alieni tori temeratores ſtatutæ capitales pœnæ fuerunt, quas diligenter collegit Auctor Hypomæmatum (*b*) ad leges Julias publicorum Judiciorum. Quæ Gentium leges cum divina lege conveniunt, ubi (*c*) ſcriptum eſt: Si quis cum uxore alterius mæchatus fuerit, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi ſui, morte moriantur & mæchus & adultera. Crimen quippe adulterii adeo etiam apud Gentes execrabile fuit, ut antiquitus excisæ funditus urbes, deleta Regna, ejecti Reges interdum fuerint. Sicuti ob raptam Menelai uxorem incenſa Troja demonſtrat; & Tarquinii e throno dejecti obſtupratæ Lucretiæ ſcelus. Quamquam plurima de hac re hiſtoriæ Gentium exhibeant exempla, alia referre ſupervacaneum cenſeo. Præterea in populo Dei & Gentium matrimonii vinculum ſacrum ſemper fuit; hinc inſolubile eſſe antiqui quoque crediderunt. Religioſi ac ſacri omnium nationum ritus in celebrandis matrimoniis oſtendunt communem perſuaſionem, a Deo conjugia inſtituta fuiſſe. Sacros hos omnium Gentium ritus examuſſim exponit Picardus; unde inſolubile vinculum eſſe Gentibus perſuaſum fuit. Halicarnaſſeus de hac perſuaſione ſic (*d*) ait: „ Poſt „ quingentos annos ab Urbe condita ſub Coſſ. M. Pom- „ ponio,

(a) *Lib.* 4. *cap.* 2. (b) *Lib.* 2. *cap.* 11. *& ſequent.*
(c) *Levit. cap.* 20. (d) *Lib.* 2.

„ ponio, & G. Papinio Romæ primum divortium viſum „ eſt. Sp. Carvilius propriam uxorem dimiſerat, & aliam „ duxerat; quapropter rei novitate in judicium vocatus, „ dimiſſus fuit a Cenſoribus, præſtito prius juramento, ſe „ non libidine aut voluptatis illecebra, ſed ob uxoris ſte- „ rilitatem ab ea divertiſſe, aliamque duxiſſe: verumtamen „ divortium illud a populo Romano male auditum eſt, & „ Carvilius execrabilis eidem populo fuit. Ab aliis autem populis hoc inſolubile conjugii vinculum ad barbaram ſuperſtitionem perductum eſt, ita ut neque morte unius ex jugalibus ſolvatur: unde, Indorum more, viro defuncto, conjux viva eodem igne abſumitur atque concrematur, ut (*a*) Alexander ab Alexandro; & P. Vincentius Maria Sinenſis (*b*) ocularis teſtis, hanc barbaram noſtri quoque ævi conſuetudinem nonnullorum Ethnicorum orientalium populorum graphice exponit.

Quum autem mala concupiſcentia, ab infecta origine in omnes invecta, morum diſciplinam ſocietatemque perturbare poterat, ſapientiſſimo Dei conſilio ſtatutum fuit, ut alii imperarent, alii parerent. Hoc loco animadvertere placet, quod dum primi Parentes innocentem vitam duxerunt, par erat viri & uxoris conditio; neque alter in alterum potiori jure utebatur, ſed æqua eorum poteſtas fuit. Poſtquam vero peccati labes illos inquinavit, unde mala concupiſcentia cœpit, tunc a Deo denuntiatum eſt mulieri, quod ſub poteſtate viri ſubjicebatur. Hæc quidem mulieris ſubjectio pœna ſimul peccati & futurarum ſocietatum norma fuit; ab illa enim familia ceteræ omnes ſocietates vivendi rationem deduxerunt. Quapropter primus homo dictus eſt Rex magnus, de quo Martialis ſic (*c*) cecinit:

A a Anti-

(a) *Lib. 3. cap. 7. Dier. geni.* (b) *Lib. 3. cap. 28. & alibi.*
(c) *Lib. 12. Epig. 63.*

Antiqui Rex magne Poli mundique prioris.

Jure merito primus homo dictus eſt Rex magnus, qui quum eſſet omnium hominum pater, ſuper omnes naturalem habebat poteſtatem. Ariſtoteles de patria poteſtate verba faciens, (*a*) inquit: „ Paterfamilias uxori præeſt „ poteſtate quaſi politica: filiis poteſtate quaſi regia. Profecto parentum in filios poteſtas quaſi regia olim fuit, ut vitæ & necis Domini haberentur. Hæc abſoluta patria poteſtas tempore Romuli vigebat, ut animadvertit Cujas (*b*) Valerii Maximi & Fabii Pictoris auctoritate: „ an„ tiqua porro lex erat; in liberos ſuprema patrum auctori„ tas eſto: vendere, occidere licito. De uſu hujuſce patriæ poteſtatis a Livio (*c*) perlucidum exemplum perhibetur, ubi ab Horatio cæſis Curiatiis, Romani ovantes ac gratulantes Horatium accipiunt. Horatius ibat ter gemina ſpolia præ ſe gerens, cui ſoror virgo, quæ deſponſata fuerat uni ex Curiatiis, obvia ante portam Capenam fuit: cognitoque ſuper humeros fratris paludamento ſponſi, quod ipſa confecerat, ſolvit crines, & flebiliter nomine ſponſum appellat. Movet feroci juveni animum comploratio ſororis in victoria ſua tantoque gaudio publico. Stricto itaque gladio ſimul verbis increpans transfigit puellam. Atrox viſum id facinus Patribus plebique; ſed recens meritum obſtabat; tamen raptus in jus, & ad mortem damnatus. Moti ſunt homines in eo judicio, maxime Horatio patre proclamante, ſe filiam jure cæſam judicare. Ni ita eſſet, patrio jure in filium animadverſurum fuiſſe. Virginius, eodem Livio referente, ut filiam a ſervitute & ab Appii libidine ſalvaret: hoc te uno modo, quo poſſum, filia, in libertatem redigo; pectus deinde puellæ transfigens: reſpectanſque ad Tribunal: Te, inquit,

(a) *Polit. I. cap.* 8. (b) *In Adnot. cap.* 25. (c) *Decad.* I. *lib.* I. *&* 3.

Digitized by Google

quit, Appi, tuumque caput ſanguine hoc conſecro. Hactenus Livius. Reverentia igitur & obedientia filiorum erga parentes præſcripta eſt; ſed & officium parentibus demandatum, educatio & informatio liberorum eſt.

Gravina celeberrimo opere de origine ſocietatis humanæ verba faciens, ſic (a) inquit: Atque initio quidem animos per mutuum amorem communicat ipſa natura commiſſione corporum, quæ per conjugium diverſorum evadit conjunctio animorum, atque initium humanæ ſocietatis. Commiſſis enim quodammodo ſimul cum corpore mentibus, membrorum & ſenſuum ſimilitudo, generationis ope, tranſmittitur ad prolem, quæ imbibit educatione mores parentum. Unde quia ratio eadem ex unius viri mente ad mulierem & ad ſobolem imitatione permanat; ex communicatione familiari conflatur, atque domeſtica ſocietas, in qua, naturalis occupationis jure, patriſfamilias naturale ac familiare fundatur imperium. Vir enim, utpote corpore ac ratione potentior, mentis nimirum & corporis; multoque juſtius occupatum fetum, qui ſui ipſius portio eſt, & maternorum ab ſe occupatorum viſcerum: ut ipſa natura filios tradat in patris poteſtatem; falſoque docuerit Hobbeſius, eos in matris naturali jure, non in patris naſci poteſtate; utpote cum concipiendo prima eos occupavit. Illud enim homo acutus minime cogitavit, feminam ipſam jam fuiſſe jure naturæ ante occupatam præſtantia corporis mentiſque virilis: ut quidquid occupatæ cohæret, eodem jure in poteſtatem deducatur occupantis. Præterea cum vir feminam conſilio præſtet, ætas autem infirma conſilio egeat alieno; ſequitur ut proles ſubjicienda ſit conſilio præſtantiori nempe virili — Hactenus autem in jure imperioque naturæ verſamur,

(a) *Num.* 10. 11. & 13.

mur, quæ mutuo deſiderio conjugia conciliavit, & imbecilliorem ſexum validiori ſubjecit, & matrem cum liberis continet ſub imperio parentis. Ideoque recte conjugiorum ratio, & liberorum educatio a Juriſconſultis ad primævum jus naturæ relata invenitur, & ad imperium familiare, quod aliud non eſt, niſi recta parentis ratio cum muliere, ac liberis communicata. Nam ratio illa, quæ non uni familiæ, ſed pluribus regendis eſt inſtituta, cumque pluribus Gentibus communicata, peculiari vocabulo jus Gentium appellatur, cujus nunc ortum atque progreſſum detegemus. Igitur naturali jure quot familiæ, totidem exſiſtunt imperia; ſingulæ autem familiæ initio ſeorſum in agris ab ſe occupatis habitabant, regionibus inter ſe, lociſque diſtinctæ ac diſſipatæ, quales Theſeus invenit Athenienſes, quos ille primus ex agris coegit in civitatem. Sed quoniam non omnes rebus omnibus regiones abundant; ſæpe quod una regio dat, altera negat; opus fuit mortalibus permutare bona ſua: ut quod uni ſupererat, alteri viciſſim, cui deerat, adderetur; qua communicatione mutua commodorum, egeſtas omnium explebatur, & regionum exæquabatur diſparitas. Hinc omnium contractuum antiquiſſima permutatio — Igitur progredientibus commerciis, plurimiſque familiis in eadem jura coeuntibus, communemque commodorum, & incommodorum ſibi ducentibus regulam, quæ ſibi pariter mala defenderet, bona contribueret; unam omnes eamdemque illa ex inſtitutione conflatam ſuſcepere mentem: quæ ſicuti certas ante familias regebat ſeparatim; ita plures earum deinceps conjunctim adminiſtravit. Feminæ autem, ut alibi (a) animadvertit, perpetuæ tutelæ, ac auctoritati alienæ ſuberant. Hactenus doctiſſimus Gravina.

Ut

(a) *Lib. 3. de leg. pag.* 263.

Digitized by Google

Ut autem deſinat oratio, unde cœpta eſt, & ſuſcepti muneris ratio poſtulat, ad primum hominem redeundum eſt, ut juſtarum actionum, quæ ad ſocietatem referuntur, origo pandatur. Profecto quum Deus dixit Adamo: In ſudore vultus tui veſceris pane tuo; juſtæ ſocietatis fundamenta jecit; hinc enim ortum habuit meum, & tuum; quidquid enim proprio labore unuſquiſque acquirit, ſuum eſt: ſub quo ſenſu comprehenduntur ea omnia, quæ juſte aut labore manuum, aut induſtria, ſive æqualitate commutationum, aut hereditario jure acquiruntur; propterea hiſce juſtis titulis in earum rerum poſſeſſione quilibet conſtitutus jura ſua componit. Hæc autem ſingulorum jura ita firmata ſunt: eadem enim menſura, qua genus humanum propagabatur, diſpertitæ familiæ novas terras occupabant, quæ in nullius poſſeſſione erant, feras noxias depellebant, ſilvas eradicabant, agros colebant, domos ædificabant; cumque primæ familiæ in propriis pagis degerent, paganorum nomen invectum fuit. Propterea injuſtum per ſe videtur, pellere familias e terra, quæ irrefragabili jure facta eſt primi occupantis, quamque proprio labore, & induſtria fixis ſedibus cultam reddiderant. Hinc naturale jus fluxit, ſe ſuaque tuendi adverſus alienarum rerum cupidos; ac repetendi ea, quæ vi, aut dolo fuiſſent Domino ablata. De hac re tam in Moſaicis Annalibus, quam in Gentium hiſtoriis plurima traduntur exempla antiquorum populorum, qui hoc jure uſi ſunt; ſi quid enim ab uno adverſus alterum contra jus atque fas crimen admiſſum fuerat, deficiente æquiore remedio, vim illatam vi repellere, ablataque vindicare, ſibi licere unuſquiſque putavit; unde bella ac cædes ortum habuerunt, ut animadvertit Cæſar: „ alii, (a) inquit, ut in-
„ ſer-

(a) *Lib. 6. de bell. Gall.*

Digitized by Google

„ ferrent injurias, alii ut propulſarent, omnes in bello
„ verſantur. Ex dictis radicitus evellitur Hobbeſianum
„ ſyſtema, quod ex hoc falſo principio eruitur, ſcilicet (a)
„ in ſtatu mere naturali, ſive antequam pactis ſe ſe homi-
„ nes obſtrinxiſſent, licuiſſe unicuique poſſidere & frui
„ omnibus, quæ volebant & poterant: nullaſque a natura
„ eſſe inſtitutas regulas virtutum. Nonnulla quidem ex pactis juſta aut injuſta redduntur; non eſt autem id, de quo agitur; modo enim diſquiſitio eſt de univerſo vitæ moralis ſyſtemate, ac de humanæ ſocietatis vi ac jure, ex quo cuncta hominum officia reguntur. Porro alia ſunt citra omnem impoſitionem per ſe turpia, aut honeſta: alia turpia divinitus detecta, ſicuti & mala concupiſcentia: alia a Deo conſtituta, cujus eſt libera imperandi prohibendique poteſtas, & a quo tantummodo potuit undecumque perfectum moralis vitæ ſyſtema architectari; ad hanc complexionem totam reſpiciens David (b) dixit: a mandatis tuis intellexi; propterea odivi omnem viam iniquitatis.

Reliquum eſt, ut de ſublimioribus poteſtatibus verba faciamus. Longa hominum ſerie producta magnæ ſocietates coagmentatæ ſunt; & ex multiplici familiarum congreſſione ortum habuerunt civitates; idcirco ii, qui eas incolerent, cives vocati ſunt. Quilibet paterfamilias, ut animadverſum eſt, præditus erat poteſtate quaſi regia, non erat autem in unoquoque eorum poteſtas dirimendi lites vindicandi injurias, & ſi quid aliud ab una adverſus alteram familiam contra jus atque fas admiſſum fuiſſet; quamobrem in unum congregati patresfamilias, uniuſcujuſque regionis, vel civitatis conſtituerunt, prout iiſdem placuit, ſive Magiſtratus, ſive Reges, qui Rempublicam admi-

(a) *In Elem. Phil. de Cive cap.* 1. (b) *Pſal.* 118.

adminiſtrarent, leges conderent, præmia ac pœnas decernerent, uti rerum & temporum ratio poſtularet: hinc varietas legum, quæ ſecundariæ appellantur, orta eſt; a primariis tamen & univerſalibus deductæ, quæ pro objecto habent juſtitiam, pacem, felicitatemque populorum. Unaquæque igitur ſocietas, quoquo modo conſtituta, imago eſt illius primæ familiæ, in qua unus divina inſtitutione imperabat, alii parebant. Sublimiores itaque poteſtates, quæ ſubditorum curam gerunt, Dei vindices ſunt in iram ei, qui malum agit. „ Ideo, inquit (*a*) Apoſtolus neceſ-
„ ſitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram, ſed etiam
„ propter conſcientiam. Quæcumque enim ſunt, a Deo
„ ordinata ſunt. Sublimium autem poteſtatum diſtincta ſunt munera; una enim ſpiritualis ſive ſacerdotalis morum præcepta tradit, divinoque cultui præeſt: altera temporalis poteſtas nuncupata, hujus ſæculi felicitatem procurat. Primi humani generis Patriarchæ utraque munera exercebant; & in majore quoque ſocietate ambæ poteſtates haudraro in populo Dei & Gentium in una eademque perſona copulatæ videntur, ut ex Scripturis Sanctis, & Gentium hiſtoriis manifeſtum eſt. Verum & unaquæque humana ſocietas, ut in progreſſu hujus operis luculenter demonſtrabitur, ſub his poteſtatibus conflata fuit & conſtat. Ex præmiſſis autem ſatis ſuperque demonſtratum eſt, homines a Deo fuiſſe edoctos, divinique cultus rationem divinitus fuiſſe præſcriptam; Deumque ipſum, omnium Gentium conſenſione, legum fuiſſe latorem. Ea autem, quæ divina & naturalis lex vetat, hæc ſunt: Non adulterabis: non occides: Parentibus reverentiam & obedientiam præſtabis: non furaberis: non falſum teſtimonium dices; cunctaque mandata in hoc inſtaurantur: diliges toto corde Deum tuum,

(*a*) *Ad Rom. cap.* 13.

tuum, & illi ſoli ſervies: & diliges proximum tuum ſicut te ipſum. Profecto ex dictis liquido apparet, has leges fuiſſe ab initio mundi hominibus divinitus traditas, eaſdemque eſſe, quas deinde Moſes, & demum mundi Redemptor repetiit & reſtauravit, quinimmo præmia in obedientes collata, ac pœnæ traſgreſſoribus legis irrogatæ, oſtendunt legum auctorem eſſe Deum, quem vindicem eſſe, præſertim in vita futura, omnium nationum conſenſione mox uberrime demonſtrabimus.

CAPUT IV.

De animorum humanorum immortalitate, eorumque præmio aut pœnis in vita futura.

NUlla apud homines res gravior majoriſque momenti videtur, quam certos eſſe de noſtrorum animorum immortalitate; ita ut reſoluta hac corporum compage, animi immortales permaneant & in vita futura juſtis Deus præmia largiatur, pœniſque condignis malos afficiat; propterea opportunum cenſui, ut ſuſcepti muneris ratio poſtulat, de hac re omnium nationum conſenſum exhibere; & unde hæc firma perſuaſio habita ſit, demum oſtendere. Exordiar itaque a populo Dei. Moſes, in ſuis Annalibus humani generis originem tradens, aperte deſcribit ex duabus ſubſtantiis conſtare hominem, corpore ſcilicet ex luto compacto, & anima, Dei inſpiratione creata, corpori infuſa, ex qua homo factus eſt vivens. Hanc animam dicit, ad Dei imaginem fuiſſe creatam; hinc ſponte fluit, animam humanam altæ contemplationis, eximiæque virtutis eſſe capacem; ſed & ad immortalitatem eſſe creatam, quum ſit viva imago Dei, qui natura

tura ſua immortalis eſt. Profecto alteram vitam hominibus paratam eſſe idem Moſes oſtendit, dum narrat, Henochi Viri religioſi translationem, quem Deus ab hoc Orbe terraqueo ſublatum ad ſeſe recepit. Sciviſſe igitur manifeſtum eſt antediluvianos, fore aliam vitam hac meliorem. Itemque notum eſt de Abele, Henoch, Noacho, aliiſque antiquiſſimis Patriarchis obiiſſe in fide hujuſce divinæ promiſſionis, & confeſſos eſſe, quod hoſpites & peregrini eſſent in hac terra. Hoc autem qui fatentur, eo ipſo innuunt aliam Patriam, quam quærunt; nempe cœleſtem terra meliorem, nullis calamitatibus maliſque refertam. Sacræ Scripturæ paſſim nos admonent de juſtitia Dei, præſertim in vita futura; quum autem in populo Dei dubium ſit nullum de viva Dei imagine in anima hominis, de immortalitate ejuſdem animæ, de altera vita, deque judicio futuro, de his omnibus Gentium conſenſio exhibenda eſt, ut ſuſcepti muneris ratio poſtulat.

Divinitatis ſpeculum eſſe animam ſignificat Socrates apud Platonem, libro de animo, inquiens: „ Id igitur „ animæ divini ſimile eſt, in quod ſane quis intuens, & „ omne divinum, Deum ſcilicet & ſapientiam cernens, „ ita & ſe ipſum agnoſcet. Verum & ipſe Plato in Timæo „ hominem dicit Dei ſimulacrum. Item Cicero (*a*) inquit: „ Dei imago quædam animus eſt. Hermes quoque Triſmegiſtus divinæ ſimilitudinis formam in homine agnoſcit, ipſumque (*b*) hominem imaginem Dei appellat. „ Omnium, inquit, Pater genuit hominem ſibi „ ſimilem: & a Deo ad imaginem ipſius nos formari, „ cum in utero fingimur. Hanc ſimilitudinem, a Moſe deſcriptam, & a præſtantioribus Ethnicorum Philoſophis perſpectam, rectæ rationi conſonam eſſe apparet; quæ

 enim

(a) 1. *Tuſcul. de conſolat.* (b) *Apud Pfanner. cap. 5. de creat.*

enim ſapiunt, ita Deo ſimilitudine proxima ſunt, ut in creaturis nihil ſit propinquius. Quod enim participat ſapientia, & vivit, & eſt: quod autem vivit, neceſſe eſt ut ſit, non neceſſe eſt ut ſapiat. Quare cum homo poſſit particeps eſſe ſapientiæ ſecundum interiorem hominem, ſecundum ſe ipſum ita eſt ad imaginem Dei, ut nulla natura interpoſita formetur, & ideo nihil ſit Deo conjunctius. Et ſapit enim, & vivit, & eſt, qua creatura nihil eſt melius. Hinc imago Dei in animo hominis præcipue collocatur; licet enim mens humana non ſit ejus naturæ, cujus eſt Deus, imago tamen illius eſt. Ex animi quippe hominis contemplatione incircumſcripta Creatoris ſui concipiuntur attributa, hoc eſt perfecta ſapientia, interminabilis vita, actuoſa & libera virtus, quæ omnia in animo hominis, tamquam in imagine parva dignoſcuntur, quæque in prima cauſſa omnibus numeris perfecta eſſe debent. Quum autem Deus natura ſua immortalis ſit, immortalem quoque voluit eſſe imaginem ſuam; ex qua invincibili Dei voluntate, homini primo tradita, orta eſt firmiſſima omnium Gentium perſuaſio de animorum humanorum immortalitate.

Ethnicorum Philoſophi, ut libro primo expoſuimus, in varias ſententias de natura animæ abierunt, quod mirum non videbitur animadvertenti, nunquam ſenſus humanos ſupra materiæ regnum ſe attollere; hinc factum eſt, ut eruditi inter Gentes, & ineruditi ſpiritualem ſubſtantiam, analogicæ ſaltem, ad materiam ſubtiliorem referrent; Gentiles autem omnes culti & barbari in hoc conveniunt, ut animam humanam a corpore ſecretam, indiviſibilem, & immortalem eſſe fateantur, quamquam ideam puram & claram ſpiritualis ſubſtantiæ haud habeant; Animam tamen humanam a natura Geniorum, ſive cœleſtium

Digitized by Google

ſtium Spirituum non diferre putant: præterea omnium Gentium initiationes, myſteria, expiationes, ac ſacri funerum ritus immortalitatis animorum perſuaſionem apertiſſime oſtendunt; quæ, quum ita ſint, irrefragabili hiſtorica narratione demonſtrare aggredior.

Plato in Phædone de morte cum Simmia diſſerens, ſic inquit: Putamuſne mortem eſſe aliquid? Utique ait Simmia. Et quid fortaſſe aliud, quam animæ a corpore ſejunctio? Corpus autem mortuum eſſe, non aliud eſt, quam ab anima relictum eſſe, animam vero a corpore ſolutam per ſe eſſe. Numquid aliud præterea mors eſt? Nihil aliud Simmia reſpondit — Myſteria inſtituta non videntur eſſe negligenda, aut parvi habenda: nos enim occulte monent, eum, qui nec expiatus, neque conſecratus ad inferos ibit, in luto jacere: eum vero, qui purgatus conſecratuſque illuc perveniet, cum Diis habitaturum. Hactenus Plato. Halicarnaſſeus autem (*a*) refert, „ ſolere Arcadas ſacrificia pro vita functis peragere, quæ „ etiam ejus ætate vigebant: & ſi quid, ſubdit, omiſſum, „ aut oblivione deletum fuiſſet, id mirum non eſſe, pro- „ pter magnam horum rituum antiquitatem. In vita Licurgi apud Plutarchum ſic legitur: „ Antiquum illum „ Spartanorum legislatorem plures ſuperſtitiones in ſepe- „ liendis mortuorum cadaveribus inductas aboleviſſe: an- „ tiqua vero ſacrificia pro defunctis omnino ſervari juſſiſſe. Græcorum ritus & ſacrificia, quæ Homeri ævo pro defunctis fiebant, ita (*b*) deſcribit:

Ceterum poſtquam oraveris
Inclytam nationem mortuorum,
Hic ovem marem ſacrifica,
Feminamque nigram ad Erebum converſam:

 Ipſe

(a) *Lib.* 1. (b) *Odiſſ. lib.* 10.

Digitized by Google

Ipſe vero averſus ſis, incedens ad fluvii
Fluenta: illuc vero multæ animæ
Accedent mortuorum.

Idem Homerus (*a*) deſcribit pœnas defunctorum:

Animæ ex Erebo Manium defunctorum:
Puellæque, juveneſque novo luctu
Affectum animum habentes.

Animæ defunctorum, quæ ſacrificiis purgatæ credebantur, in Deorum numero erant adſcriptæ; hinc inquit (*b*) Cicero: „ Quid quod omnis Græcia multos habet „ ex hominibus Deos. Propterea ait (*c*) Voſſius, ab Academicis ſacra quoque fieri iis, qui quamvis aliquando fuiſſent corporibus illigati, putabantur, ejus familiæ curam gerere, quam ex ſe natam ſcirent — In eadem perſuaſione fuerunt Phœnices, & Ægyptii; & ab iis etiam Heroas dignos fuiſſe habitos, ut divinis honoribus colerentur. Porro hi, ſubdit Voſſius, ſunt Dii animales Gentium, qui fuerunt homines, & humanæ naturæ. Apud Romanos quoque antiquiſſima fuerunt juſta funebria, ad extinctorum expiationem, placandoſque manes inducta, referente (*d*) Livio. Quapropter inquit (*e*) Cicero: Apud me plus antiquorum auctoritas valet, qui mortuis tam religioſa jura tribuerunt: quod non feciſſent profecto, ſi nihil ad eos pertinere arbitrarentur. Et alibi (*f*) idem Cicero: Nonne ii, qui aut fortes, aut cari, aut potentes fuerunt, poſt mortem ad Deos pervenire traduntur? quos nos colere, precari, ac venerari ſoleamus. Si quis autem ſcire luculenter cupit ſacra Romanorum funebria adeat Kirchmannum, qui libro primo hæc omnia elegantiſſime complexus eſt; ex quibus apertiſſime elucet antiquo-

(a) *Odiſſ. lib.* 11. (b) *Lib.* 3. *de N. D.* (c) *Lib.* 1. *cap.* 7. 12. & 41.
(d) *Lib.* 1. *Decad.* 1. (e) *Lib. de Amicit.* (f) *Lib.* 1. *de N. D.*

quorum Romanorum perſuaſio de humanorum animorum immortalitate, de futuro judicio, præmio hinc, aut pœna in vita futura. Quum autem Gentium perſuaſio de futuro ſæculo in funeribus luce meridiana clarior appareat; propterea qui plura deſiderat, Grutherum conſulat, qui libro toto de funeribus hanc antiqui noſtri Hemiſpherii perſuaſionem uberrime ſpectandam exhibet. Porro quum ex hactenus dictis ſatis ſuperque propoſita antiquorum noſtri Orbis perſuaſio demonſtrata videatur, inſtituendus eſt ſermo de populis, noſtris antiquis omnino ignotis, & nuper cognitis.

Exordiar itaque ab Africæ meridionalis regnis, a Luſitanis detectis anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo reparatæ ſalutis, quæ quum idololatriæ labe polluta eſſent, a ſummis Pontificibus miſſi fuerunt Sacerdotes, ut ab illis regionibus eliminata ſuperſtitione, populi illi chriſtianis ritibus imbuerentur; inter ſacerdotes ad illas Gentes miſſos recenſetur Cavazius, qui poſt diutinam moram in illis regionibus, ad Sacram Rituum Congregationem ſcribens, inter cetera (a) refert: Ab illis populis hominum animas immortales haberi; præmiiſque, aut pœnis in altera vita, ut in hac promeritæ fuerint, aſfici: indigere autem eas ſacrificiis precibuſque, ut a peccatorum ſordibus expiatæ, ad æternam tranſeant felicitatem: putantes vero aptiores eſſe victimas humanas, quam brutas, ad Dei juſtitiam placandam, in eorum ſacris funeribus mactant homines; quæ crudelis abominatio fere apud omnes Gentiles propagata videtur. Ampliora monumenta, quæ ſtrictim referam, nobis exhibet (b) diligentiſſimus Picardus de Africæ, & Aſiæ regionibus. De Regnis Africanis Loangi, ac Benini refert, illos Ethnicos

(a) *Lib. 2. n. 24. & ſequent.* (b) *Tom. 2. de funerib. Afric. & Aſiæ.*

cos populos firmiter credere, bonis præmia, tormenta malis poſt mortem eſſe a Deo conſtituta; quique recte vixere, tamquam tutelares Dii ab illis populis coluntur. Ubi vero de feſtis diebus Gaurienſium Orientalium, antiqui Zoroaſtris ſectatorum agit, menſtruam in eorum ſacris ſuorum defunctorum commemorationem fieri teſtatur; & identidem ab eorum ſacerdotibus moneri, ut majorum animæ populi quoque precibus ſuffragentur. Veterum Perſarum dogma fuit, Solem eſſe receptaculum, ſedemque beatorum, eoſque in fine temporum, a Deo ſtatuto, in cœlum eſſe recipiendos: malos autem ad inferos deſcendere & puniri. Vetuſta pariter Magorum Perſarum ſecta docebat damnatorum animas, igne ſine conſumtione torqueri, earumque tortores Dæmones eſſe: beatas vero voluptatibus frui, earum ſimillimis, quæ in hac vita magis expetuntur; vocabant defunctorum ſepulcra, ſedes juſtitiæ. Apud nonnullas Aſiæ Gentes ignem eſſe, ſequitur Picardus, ſymbolum immortalitatis humanorum animorum. De populis Quillamancæ, finitimiſque tradit, eandem de animæ immortalitate perſuaſionem apud eos vigere, cibaria ſepulcris apponere; eandemque, ut animadvertit, omnium fere paganorum imaginationem eſſe, exiſtimantium futuram vitam a præſenti haud multum differre. Apud populos Inſulæ Formoſæ immortalitatis animarum conſtans traditio eſt: putant illi, malorum hominum animas poſt mortem Dæmones fieri: e contra juſtorum animas evadere Deos. De Regnis autem Aſiæ Orientalibus teſtatur, illos populos adeo in fide vitæ futuræ eſſe firmatos, ut nullis auſteritatibus parcant, quibus propitios ſibi Deos faciant, & felices in altera vita reddantur. Magnæ Scythiæ, vulgo Tartariæ Gentes idem credunt: in defunctorum ſepulcra igneam materiam injiciunt; ajunt
enim

Digitized by Google

enim fore, ut lumine defunctorum animæ indigeant, quæ per obſcura tranſituræ ſunt loca, antequam ad voluptatis regionem perveniant. Magadaſcaricæ Inſulæ populi adeo in perſuaſione futuræ vitæ firmati ſunt, ut a defunctis, qui pie vixerunt, ſubſidia, atque utilia conſilia ſibi dari enixe precentur. Monotopatenſes octavo die animabus defunctorum officia præſtant; eoſque pro ſua, ſuorumque Principum incolumitate rogare non deſinunt. De Sinenſium religione, quæ originaria vocatur, ita inquit idem Picardus: Angelos Sinenſes effingunt, lancem in manibus habentes, defunctorum opera ad examen vocantes, quorum aliquos in cœlum vehunt, alios in infernum projiciunt, divinæ ſententiæ irrevocabili præſcripto. Pro defunctis ſacra lugubria celebrant, hoſtias immolant, preces fundunt: quæ dum aguntur, defunctorum animas adeſſe putant. Japponii autem ſepulcra lampadibus ornant; animabuſque defunctorum præſidere arbitrantur quandam divinitatem, quam Amidam vocant. Infantibus autem quædam loca ſtatuta eſſe ajunt, in quibus eorum animæ poſt mortem quieſcant. Suos Heroes divino honore colunt; eoſque credunt, peculiarem illius populi curam gerere, quocum vixerunt. Ad hæc, quæ Picardus refert de populis noſtro quoque ævo idololatris, addit (*a*) Salmonius ſervari a Bonziis monumenta vitæ eorum, quos ad Cœlicolas tranſiiſſe credunt. Gonzalus Mendozza (*b*) ait, Sinenſes colere atque invocare defunctorum animas, quæ in hoc ſæculo probam vitam duxerunt; & præ ceteris maximo honore dignum dicunt quendam, cui nomen Sichian erat. Alexander de Rhodes, Sinenſes, (*c*) inquit, mortuorum convivia celebrant; credunt enim, defunctorum animas domos ſuas repetere, quoties ab eorum conjunctis advocan-

(a) *Tom.* 1. *cap.* 7. & 8. (b) *Lib.* 2. *cap.* 1. & 7. (c) *Cap.* 25.

Digitized by Google

cantur. In libro autem, cui titulus eſt, Acta in cauſſa rituum, ſeu cæremoniarum Sinenſium, ſcriptum eſt, populum illum ita ſe ad peragenda pro defunctis ſacrificia (*a*) aptare: Jejuniis vacant, & ab uxorum commercio aliquot ante dies ſe abſtinent: victimas deinde eligunt, conceptiſque precibus orant, ſtatuta die ſuper aras appenſis tabellis cum inſcriptione hac: Thronus, ſeu ſedes animæ N.N. Victimas autem mactante Sacerdote, & accenſo ture, exiſtimantes populi illi adeſſe animas, in quorum honorem litant, proſternentes ſe, vota & preces fundunt. Sacrificio peracto, animas repetere credunt cœleſtes ſedes: atque omnibus ſolemniter abſolutis, ſacrificulus fauſta feliciaque iis, qui interfuerunt promittit. Ferdinandus Lopes (*b*) refert: Populos Narſingenſes, Calecutenſes, Daquenſes, ac Malabaricos firmam perſuaſionem habere de animorum immortalitate; & ab iiſdem populis pro animabus ſuorum defunctorum jejunia celebrari, erogari pecunias, aliaque pietatis opera pro defunctorum purgatione præſtari. Hæc omnia in Regno quoque Siamenſi credi, fierique tradit (*c*) Salmonius. De ſacrificiis, aliiſque religioſis ritibus, quibus orientales idololatræ utuntur, ad expiandas defunctorum animas, plura congeſſit (*d*) Cardinalis Lucinus. Præterire autem non poſſum, animi laxandi gratia, Japponenſium morem ad expiandas defunctorum animas, quem ita deſcribit (*e*) Voſſius: Mos eſt Japponiis ſolemni die animas advocare defunctorum, iiſque Epulum exhibere biduo toto; eo tempore & ſepulcra purgant, & ad Manes expiandos munus offerunt Bonziis, ſive ſacrorum Præfectis. Sed quanto minori in pretio animas illas habeant, quam Lares ſuos Romani, argumento

ſit,

(a) *Lib. 1. part. 3.* (b) *Tom. 1. lib. 1. cap. 14. Lib. 2. cap. 15. & ſequ.*
(c) *Tom. 3. cap. 6. & 7.* (d) *Cap. 19. & 20.* (e) *Lib. 1. cap. 25.*

Digitized by Google

ſit, quod ubi biduum illud expiarint, lapidibus eas inceſſant, ne ulterius in Ædibus commorentur, ſed recta potius via ad Paradiſum iter capeſſant. Quantum autem poſſit apud Gentes communis perſuaſio de vita futura, oſtendit P. Vincentius Maria Senenſis, ocularis teſtis. Nonnullorum, inquit (a), orientalium populorum mos eſt, vivas uxores cum maritorum cadaveribus humandi, ut etiam in altera vita non ſeparentur, eademque ſorte fruantur. Hoc tanquam deteſtabile ſcelus a Muchumetanis Principibus in eorum ditionibus vetitum eſt; non deſunt tamen mulieres, maritorum amore flagrantes, quæ a magiſtratibus eam ſibi conceſſionem, conſtituta prius & ſoluta pecunia, extorqueant. Addit P. Vincentius, orientales populos ante majorum ſepulcra demiſſe rogare, ut ſibi in eorum neceſſitatibus ſubſidio ſint: putantque illas animas potiore gloria frui, quæ in hac vita majoribus auſteritatibus ſeſe aflixerint. Ad hæc ſubdit Picardus, tomo ſecundo in diſſertatione Brachmanum, ab his nuncupari vitam ſæculi hujus, hominis conceptionem; mortiſque diem hominis nativitatem.

Ad Americanos demum tranſeundum eſt, ut eorum traditiones de hac ipſa re exhibeamus. Fatendum quidem eſt, quod longum ſit, nec ſine legentium tædio faſtidioque futurum, mihique majore procul dubio in ſcribendo, de ſingulis terræ populis fere eadem referre; quum autem in omnium populorum conſenſione præcipua, immo peremtoria hujus ſyſtematis vis dignoſcatur, non eſt labori parcendum, ut appareat, in quibus omnes conveniant; ex quo conſenſu ſponte fluunt ea, quæ prima, & vera ſunt. Inito primum cum Americanis populis commercio, regnante Carolo V Imperatore, ad eundem ſcribens Gonzalus

(a) *Lib. 1. cap. 36. Lib. 2. cap. 1. Lib. 3. cap. 11.*

zalus de Oviedo (*a*) ait: Gentes illas, tunc cognitas, pro certo habere humanorum animorum immortalitatem; & in vita futura præmia aut pœnas pro cujuſque meritis impartiri, divinæque vindictæ eos fore obnoxios, qui ſummi Numinis leges violaverint. Uxores, inquit, ſimul cum maritorum cadaveribus humari, ut in altera vita eadem ſorte conſocientur; quum autem ex primariis quidam obierit, cariores, quos habuit famulos, occidunt, ne ſervili eorum opera in altera quoque vita deſtituatur. Petrus Martir in Summario Indiarum occidentalium eadem confirmat, additque Novæ Hiſpaniæ incolas putare, defunctorum animas interdiu latere, noctu autem vagari, fructuque quodam veſci, quem Gubana vocant. A Picardo (*b*) de illius Novi Orbis regionibus uberius ſcriptum eſt. Ab incolis Virginiæ cum animorum immortalitatem, tum futuræ vitæ felicitatem calamitatemve credi refert; eoſque putare, inferorum immanem eſſe foveam, ubi ſempiternis ignibus animæ ſceleratæ torquebuntur; reliquas vero animas inter cœlum terramque manere, quæ poſtquam ſacris, precibuſque expiatæ fuerint, in ſupernas tandem ſedes recipiantur. In deſcribenda autem beatorum felicitate, a vera idea aberrant, & in carnales imaginationes prolabuntur. Munera defunctis offerunt, quæ putant iis in altera vita fore gratiſſima: canticis in funeribus utuntur, non diſſimilibus illis, quæ ab antiquis noſtratibus canebantur. Præterea in funeribus quoque Virginiæ barbara conſuetudo vigebat, vivas uxores cum maritorum cadaveribus, vivoſque famulos cum Dominis defunctis ſepeliendi: exculenta etiam in ſepulcra inferunt, dicentes, alimentis indigere animas, donec eo pervenerint, ubi præmiis, pœniſve afficiuntur. Floridæ populi in eadem perſuaſione ſunt de ani-

(a) *Lib. 5. cap. 2. 3. & 9.* (b) *Tom. 1. de funer. Americ.*

Digitized by Google

animorum immortalitate, & vita futura: neque in eo, quod ad felicitatem, miſeriamve futuri ſæculi attinet, ab idea vitæ præſentis diſcedunt; hinc apud ipſos quoque viventium cum defunctis humatio, epularum appoſitio, aliaque aut barbara, aut ſuperſtitioſa in uſu ſunt. Mexicani, qui præ ceteris Americanis humaniores cultioreſque habiti ſunt, eadem de animorum immortalitate, de futuro judicio, de præmiis pœniſve in altera vita firmiter credebant, & conſtantiſſime credunt; minus tamen inventi fuerunt ſuperſtitionibus obnoxii. Braſiliani, ac Peruvani eadem fatentur: tres autem eſſe mundos dicunt, primum ſupremum, in quo poſt mortem probi homines præmiis afficiuntur: alterum medium, quem in hac vita mortali homines incolunt, ubi generatio & corruptio eſt: tertium denique in telluris centro collocatum; huncque pravorum ſpirituum domum vocant, in qua homines noxii poſt mortem puniuntur. Peruvani dicunt, damnatorum animas a Dæmone cruciari, qui eorum idiomate nuncupatur Agnian: Braſiliani inferna loca, ubi damnatorum animæ torquentur, appellant Popoguſſo. Incolæ Curbaguæ, & novæ Andaluciæ immortales credunt ipſi quoque animas humanas, quarum autem beatitudo in eo ſita ſit, ut quoties libet, bibant, epuliſque paratis opipare poſſint. Populi Darienſes, Novæ Granatæ, & Panamæ ſacra anniverſaria pro defunctis celebrant, cibariaque ſepulcris apponunt. Habitatores Guineæ, quique prope flumen Amazonum ſedem habent, ceteræque meridionalis plagæ nationes uſque ad Peruviana regna, eandem de animarum æternitate, de Paradiſo & Inferno perſuaſionem habent; inter eos autem, quos damnandos fore putant, & a Dæmonibus torquendos, ignavos inerteſque reponunt. Silveſtrium Americanorum eadem perſuaſio eſt de humanis

 ani-

Digitized by Google

animabus poſt mortem; in eorum autem ſacris pro defunctis mos eſt, nocte ſub dio ſacrificia peragere; habentque ſtatutos dies feſtos in defunctorum ſubſidium & honorem. Hæc omnia a me ſtrictim tradita, luculenter gallico idiomate deſcripta cernuntur in laudato Picardi opere. Laſitavius autem, ocularis teſtis, & diligentiſſimus religionis Americanorum, præcipue Silveſtrium ſcrutator, uberrime exhibet (*a*) eorum myſteria, initiationes, expiationes, luſtrationes, & demum (*b*) de morte, ſacriſque Americanorum funeribus verba faciens, apertiſſime ſpectandam exhibet illarum nationum perſuaſionem de animarum humanarum immortalitate, de futuro judicio, de præmiis pœniſve in altera vita; docetque illarum Gentium ritus ſacros non multum ab antiquorum noſtrorum ritibus diſtare. De hac communi conſenſione Voſſius ſic (*c*) inquit: „ Utor hac perſuaſione publica de animorum „ immortalitate: nec Senecæ ſolum ætate ſic erat. Hodie „ quoque ea traditio eſt apud remotiſſimas Gentes: ut de „ Guineenſibus varii tradidere; item de Sinenſibus; in „ his Hugo Linſchotanus: de Peruvanis, & Mexicanis „ Joſephus Acoſta: de Virginiæ incolis Thomas Avioth „ Anglus. Muretus item, capite ſexto, & ſeptimo, oſtendit, in funeribus Sinenſium, & Americanorum apparere non ſolum humanæ pietatis debitum erga defunctos, ſed firmam illarum Gentium perſuaſionem de immortalitate animorum, de judicio, præmiis pœniſve in vita futura.

Ex hactenus dictis liquido apparet nationum omnium conſenſus de animorum humanorum immortalitate, de præmiis pœniſve in futuro ſæculo. Quod autem attinet ad varias tum felicitatis, tum miſeriarum ideas futuræ vitæ,

(a) *Tom.* 1. *pag.* 359. *& ſeq.* (b) *Tom.* 2. *pag.* 386. *& ſeq.*
(c) *Lib.* 1. *cap.* 10.

Digitized by Google

vitæ, quas Gentes ſibi finxerunt, nullum omnino ſimplici veritati, de qua in hoc capite diſquiſitio inſtituta eſt, præjudicium afferunt; ineptæ enim, aut vulgi abſurdæ imaginationes de felicitate, ſive miſeria, quæ in futura vita exſpectatur, evenire ſolent a variis ignavorum cogitandi modis, in quibus ipſis tantum abeſt, ut hæc propoſita notio obliteretur, quum immo hoc ipſo confirmetur, licet ſecus ac veritas poſtulat, explicetur. Profecto dum de præmiorum pœnarumve alterius vitæ qualitate inquiritur, aut judicium profertur, dubium nullum videtur de futuræ vitæ veritate; quæ quidem conſecutio ſponte eruitur.

Illud autem mirificum Gentium conſenſione addendum eſt, animas, quas a corporibus mors ſejunxerat, iterum cum ſuis corporibus copulatum iri, ut in noviſſimis temporibus redivivi homines fiant, & reſurgant, non amplius morituri. Antiquiſſima in populo Dei hæc perſuaſio videtur; hinc Job (*a*) dixit: Scio, quod in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum. Hoc ipſum ex Machabæorum Hiſtoria confirmatur, ubi inter cetera ſic (*b*) legitur: Tu quidem ſceleſtiſſime in præſenti vita nos perdis: ſed Rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus in æternæ vitæ reſurrectione ſuſcitabit. In medio proferam Gentilium monumenta, quæ hac de re congerere potui. Voſſius (*c*) inquit: Non animas modo ſupereſſe poſt mortem, conſenſus Gentium fuit, ſed apud multas etiam reliquiæ fuere de nova cum corporibus conjunctione, quam reſurrectionem dicimus: ſed fœde eam corruperunt in illam, quam dixere tranſanimationem, hoc eſt migrationem de corpore in corpus, etiam regenerationem; quæ non Pythagoreorum dumtaxat, ſed multarum etiam Gentium opinio

(a) *Cap.* 19. (b) *Lib.* 2. *cap.* 7. (c) *Lib.* 1. *cap.* 10.

opinio fuit, & admodum diſſitarum. De Ægyptiis teſtis Herodotus; a quibus etiam id hauſiſſe Pythagoram, idem tradit. Zamolxis quoque juxta Julianum in Cæſaribus: idem docuit Getas, a quibus poſt mortem divino honore cultus fuit. In Galliis ſimiliter ſenſiſſe Druidas, refert Cæſar in ſexto. Deque Germanis idem prodit Appianus in Celticis. Ad quod Cicero de univerſitate reſpexiſſe videtur, cum ſcripſit: Qui intemperate vixerit, eum ſecundus ortus in figuram muliebrem transfert; & ſi ne tum quidem vitiorum finem faciet, gravius etiam jactabitur, & in ſuis moribus ſimillimas figuras pecudum, & ferarum transferetur: neque malorum terminum prius aſpiciet, quam illam ſequi cœperit converſionem, quam habebat in ſe ejuſdem & unius naturæ ſimul innatam, & inſitam. Unde apud Cæſarem libro ſexto de Gallorum doctrina ſic legitur: In primis hoc volunt perſuadere, non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem tranſire in alios. Hactenus Voſſius. Potiſſimum vero, inquit: (*a*) Huetius, doctrinam Metempſychoſeos Brachmanes pertinaciter ad hanc diem retinuerunt, quam & antiqui Ægyptii tradiderunt. De Calecutenſibus idem refert (*b*) Neblotus. Cardinalis autem Lucinus de populis Malavaribus (*c*) inquit, populos illius regionis credere, quoſdam homines, quos vocant Parreas, abominabiles peccatores eſſe, cœleſtis gloriæ indignos; eo quia damnatorum animæ ad animandos Parreas tranſeant. Verumtamen apud alias Gentes haud corrupta fuit traditio de nova animarum cum ſuis corporibus conjunctione. De hac Gentilium perſuaſione teſtis eſt Plinius, ubi (*d*) ait: „ De anima, vel de Ma- „ nibus, vel de reſurrectione verba Gentilium inania -- Si- „ milis

(a) *Lib.* 1. *cap.* 10. (b) *Tom.* 5. *pag.* 177.
(c) *Cap.* 15. (d) *Lib.* 7. *cap.* 55.

„ milis & de aſſervandis corporibus hominum, ac revi-
„ viſcendis promiſſa a Democrito vanitas, qui non revi-
„ xit ipſe. Quum autem nunc tantummodo inſtituta ſit diſquiſitio de Gentilium conſenſione, quæ quidem a Plinio ipſo, impietate polluto, exhibetur; propterea nunc non reprehendo, quod addit, eſſe verba Gentilium inania, vanitatemque promiſſam: alia enim eſt quæſtio, de qua in calce hujus operis erit luculenter diſceptatum; ubi impiorum effata refellemus, dicentium, opinionem de vita futura callidorum hominum verſutiam in vulgus induxiſſe. Porro de corporum reſurrectione verba faciens Picardus (a) teſtatur, hanc perſuaſionem apud Braſilianos, & Peruvianos inventam fuiſſe. Item Diogenes Laertius (b) inquit: „ Hermippus in primo de Magis, &
„ Eudoxus in Periodo, & Theopus in Philippicarum
„ ait: Magorum ſententia homines in vitam quoque re-
„ dituros immortaleſque.

De hac primigenia futuræ vitæ, ac extremi judicii traditione, apud omnes Gentes pervulgata, Ethnici Philoſophi plura ſcripſerunt. De futuro poſt mortem judicio, ubi tunc nulla latendi ſpes, nulla mentiendi diſſimulandique fiducia, ita ſcripſit (c) Plato in Gorgia: Cum igitur ad Judicem Rhadamanthum pervenerunt, (animæ defunctorum) Rhadamanthus eas ſiſtens, uniuſcujuſque animam intuetur, cujus tamen anima illa fuerit, non animadvertit; ſed ſi Regis, aut alterius obvium animum contemplatus, nihil in eo reperit ſani: ſed perjuriis, atque injuſtitia, mendaciis, vanitateque; petulantia, mollitie, laſcivia, & in actionibus ſingulis intemperantia incompoſitum penitus atque turpem invenerit — Animum igitur con-

(a) *Tom. I. in ſuppl. funer.* (b) *In Proœm. lib. I.*
(c) *Apud Pfanner. cap. 20.*

contemplatus ſic affectum, ignominioſe recta in cuſtodiam tranſmittit, ubi meritas ſubire pœnas oportet. Quamobrem quando Rhadamanthus aliquem ejuſmodi deprehendit, nihil aliud in ipſo novit, neque quiſnam ſit, neque ex quibus ortus, ſed utrum ſit malus: cumque id compererit, dimittitur in Tartarum. Idem Plato in Phædone, quando, inquit, in eum locum defuncti pervenerint, quo Dæmon unumquemque perducit, primo illic judicantur, & qui honeſte ſanctеque, & qui aliter vixerint. Apud Plutarchum autem libro de his qui ſero a Numine puniuntur, ſic legitur: Adraſteam Jovis & neceſſitatis filiam omnibus flagitiis vindicem ſupremo loco collocatam eſſe: neque malorum quenquam ita vel magnum vel parvum unquam fuiſſe, ut aut latendo, aut vim faciendo pœnæ ſe ſubducere potuerit. Qui vero hinc pœna evitata & inexpiatus eo pervenit, hunc excipiens juſtitia conſpicuum atque nudum, ac qui pravitatem ſuam nulli rei immergere, nullo velare modo poſſit, ſed undequaque ab omnibus talis qualis eſt perſpiciatur. Idem Plutarchus, conſolatione ad Apol. inquit: Animum a cognatis omnibus deſertum, omnemque exteriorem ornatum relinquentem, ut judicium juſte procedat — Nemo enim bonus lamentis, ſed hymnis dignus eſt & laudationibus: non luctu ſed honorifica recordatione: neque lacrymis a dolore extortis, ſed primitiis quibuſdam ſcitis. Siquidem is qui inter mortales eſſe deſiit, divinioris cujuſdam vitæ factus eſt conſors, liberatus ſervitute corporis, & ærumnoſis iſtis ſolicitudinibus atque caſibus, quos neceſſe eſt, ut perferant, quibus mortalis hæc vita contigit — Itaque cum felices eſſe cenſemus & beatos, qui vita hac defuncti ſunt, tum nefas putamus quicquam de iis falſo aut contumelioſe dicere, quippe qui melioris præſtantioriſque na-

turæ

Digitized by Google

turæ facti ſint compotes. Ita ſcripſit Plutarchus ad Apollonium, ejus mœrorem ex filii morte conceptum mitigaturus. Socrates, in ſui apologia apud Platonem, ſic ait: Etenim ſi quis liber ab his, qui profitentur judices eſſe, ad inferos ibit, veros ibi judices inveniet: quiſnam vero ex nobis fauſtiora fata ſortietur, nemini, præter Deum, notum eſſe poteſt. Pythagoras ajebat, referente Laertio in vita hujus Philoſophi, animos impuros poſt mortem vinciri a Furiis infractis nexibus. Protagoras autem, inquit idem Laertius in vita Protagoræ, conſcripſit librum de iis, qui ſunt apud inferos. De Rhadamanto, conſtituto defunctorum Judice, ſic Æneid. vi. cecinit Virgilius:

Gnoſſius hæc Rhadamantus habet duriſſima regna:
Caſtigatque, auditque dolos, ſubigitque fateri,
Quæ quis apud ſuperos, furto lætatus inani,
Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.

De inferis idem Virgilius.

Loca nocte ſilentia late:
Atque ſilentem nocte perpetua domum.

Seneca de animabus ſceleſtium hominum (*a*) inquit: Vitiis & ſceleribus contaminatas deprimi in tenebras. Voſſius (*b*) inquit: Ex Cenſorino, & Platone Genium eſſe Deum. Genios eſſe hominum Cuſtodes, & in vita agenda, ſemper adeſſe teſtes. At ubi vita edita remeandum eſt, eumdem illum, qui nobis præditus fuit, raptare illico, & trahere veluti cuſtodiam ſuam ad judicium, atque illic in cauſſa dicenda aſſiſtere, ſi qua commentiatur redarguere, ſi qua vera dicat, aſſeverare, prorſus illius teſtimonio fieri ſententiam. Ad hæc quæ congeſſit Voſſius, addit (*c*) Halicarnaſſeus, quod Genius appoſitus Romulo die nativitatis ſuæ, eumdem vita edita traxerit in cœlum. Ad

 hæc

(a) *Hippol. act.* 1. *ſc.* 2. (b) *Lib.* 1. *cap.* 7. (c) *Lib.* 2.

hæc item ſpectant verba Hermetis Triſmegiſti apud Apulejum (*a*) dicentis: Cum fuerit animæ a corpore facta diſceſſio, tunc arbitrium examenque meriti ejus tranſilit in ſummam Dæmonis poteſtatem, iſque eam cum piam juſtamque providerit, in ſui competentibus locis manere permittit — Sin autem animam delictorum illitam maculis, vitiiſque oblitam viderit, deſuper ad ima deturbans, procellis turbinibuſque aeris, ignis, & aquæ ſæpe diſcordantibus tradit: atque in diverſa ſemper æternis pœnis agitata raptabitur. Hactenus Triſmegiſtus. Apud Minucium autem Octavius ait: „ Nec enim tormentis aut mo„ dus ullus aut terminus. Illic ſapiens ignis membra urit „ & reficit, carpit & nutrit; ſicut ignes fulminum tan„ gunt, nec abſumunt. Ita pœnale illud incendium non „ damnis ardentium paſcitur, ſed inexeſa corporum lace„ ratione nutritur.

Atque hæc ſunt, quæ ad demonſtrandam tum vulgi, tum præſtantiorum Ethnicorum Philoſophorum perſuaſionem, e primigenia traditione profectam, de animorum immortalitate, de judicio, præmiis pœniſve in vita futura, potiora mihi viſa ſunt. In hoc autem tantum diferre videtur gentilis vulgus ab Ethnicis Philoſophis, ut vulgares paganorum ideæ de futura vita ineptæ, & aliquando abſurdæ viſæ ſint; Philoſophi vero e contra in cumulandis iis, quæ ad futuram vitam referuntur, æquiorem ideam exhibent; juſtique Numinis ſolertiam ſpectandam exhibent, tum in præmiorum pœnarumve diſtributione, tum in redigendis in concordiam contrariis elementis. Unde autem apud omnes nationes, idiomatum varietate, moribus, immenſa locorum diſtantia ſegregatas, & inter ſeſe ignotas tam firma perſuaſio propagata ſit, videndum remanet.

(a) *Apud Pſanner. cap.* 21.

Digitized by Google

manet. Non equidem ortum habuit perſuaſio iſthæc a Philoſophia, fallaci, verſuta, maximiſque erroribus referta; quæque neque apud populos, neque apud Philoſophos ipſos tali auctoritate gaudet, ut libro primo uberrime demonſtravimus. Hinc ad Deum referri debet, qui, ut omnium Gentium conſenſione capite primo hujus libri expoſuimus, primos homines docuit, a quibus, non diſquiſitione naturæ, ſed accurato magiſterio oralis traditionis, hæc omnia eorum liberis & nepotibus tradita fuerunt, quæ quaſi per manus tradita ad poſteros omnes devenerunt. Quum autem de traditione infra inſtituendus ſit ſermo, claudam caput hoc Auguſtini, Platonis, & Triſmegiſti ſententia. Profecto hanc omnium Gentium perſuaſionem de immortalitate humanorum animorum, immo & Angelorum a Deo ipſo deſcendiſſe certum eſt; ita porro inquit (a) Auguſtinus: Non ſane Creatoris deſiſtente bonitate, & malis Angelis ſubminiſtrante vitam, quæ ſubminiſtratio, ſi auferatur interibunt. Alibi (b) idem Auguſtinus: Platonis, inquit, hæc verba ſunt, ſicut ea Cicero in latinum vertit, quibus inducit Summum Deum Deos, quos fecit, alloquentem ac dicentem: Vos qui Deorum ſatu orti eſtis, attendite, quorum operum Parens effectorque ſum. Hæc ſunt inſolubilia, me invito; quamquam omne colligatum ſolvi poteſt. Sed haudquaquam boni eſt, ratione vinctum diſſolvere velle. Sed quoniam orti eſtis, immortales vos quidem eſſe & inſolubiles non poteſtis; nequaquam tamen diſſolvemini, neque ulla mortis fata periment; nec erunt valentiora quam conſilium meum, quod majus eſt vinculum ad perpetuitatem veſtram, quam illa, quibus eſtis, tum cum gignebamini, colligati. Ecce Plato, ſequitur Auguſtinus, Deos dicit &

(a) *Enchirid. cap. 26.* (b) *Lib. 13. cap. 16. de C. D.*

corporis animæque colligatione mortales, & tamen immortales Dei, a quo facti ſunt, voluntate atque conſilio. Si ergo animæ pœna eſt in qualicumque corpore colligari, quid eſt, quod eos alloquens Deus tamquam ſollicitos, ne forte moriantur, ideſt diſſolvantur a corpore, de ſua facit immortalitate ſecuros; non propter eorum naturam, quæ ſit compacta, non ſimplex, ſed propter ſuam invictiſſimam voluntatem, qua poteſt facere, ut nec orta occidant, nec connexa ſolvantur; ſed incorruptibiliter perſeverent. Ad hanc Auguſtini & Platonis ſententiam, quæ præſtantiores Philoſophos aſſentientes habuit, addenda eſſe cenſeo ea, quæ hac de re ſcripſit Triſmegiſtus, ubi ſic (a) legitur: „ Qui (hoc eſt homo) ita diſcuſſis ab animo er„ rorum tenebris, & veritatis claritate percepta toto ſe „ ſenſu intelligentiæ divinæ commiſceat, atque ſic immor„ talitatis futuræ fiduciam concipiat. Illud itaque animadvertendum eſt, celſiſſima principia, de quibus in hoc libro diſſeruimus, & ex quibus juris divini ac naturalis originem deduximus, in hoc uno capite comprehendi, hoc eſt ſpecioſiora Dei attributa, & hominum officia. Fatemur enim Deum, Angelorum, hominumque Creatorem, legum latorem ac vindicem; cujus voluntatem nulla vis vincere poſſit; propterea de noſtrorum immortalitate animorum ſecuri reddimur; hinc etiam divinæ providentiæ ordo emicat: quæ omnia in progreſſu hujus operis evidentius demonſtrabuntur, recidendo nodos omnes adverſariorum, ut primigeniæ notiones, conſenſu totius Orbis ſacratæ, inconcuſſæ permaneant.

De

(a) *Apud Pſannerum cap. 10. §. 3.*

Digitized by Google

CAPUT V.

De portentoſa totius Orbis terraquei inundatione; deque Noacho, unde nova humani generis procreatio.

DE immani illa aquarum effuſione, quibus univerſa tellus obruta eſt, tractatio quibuſdam fortaſſe parum convenire videbitur argumento, in quo noſtra deſudat induſtria: quum autem ex hoc quoque ediſcamus, quanti facienda ſint Omnipotentis Dei judicia; eodemque tempore Moſaicorum Annalium veritas undique probata appareat; propterea opportunum cenſui, breviter agere de hac inundatione, in qua Deus noxios homines de viventium numero delevit, & juſti familiam ſervavit. Videns itaque Deus, inquit Moſes, quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta ad malum omni tempore. Delebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terræ. Noe vero invenit gratiam coram Domino, & dixit ad Noe: Fac tibi Arcam &c. Solum Noe, uxorem ejus, filios ejus, & uxores filiorum præſervavit Dominus, a quibus omnes nationes, quæ habitant ſuper faciem terræ, originem duxerunt. Memorandæ igitur hujus inundationis monumenta apud Gentes inveſtigare, noſtri muneris erit.

V. Cl. Boſſuetus, in Epitome univerſalis Hiſtoriæ, ait: De totius telluris inundatione ubique ſervatur traditio: in omni Orientis plaga Arca illa, in qua generis humani reliquiæ ſe receperunt, celebris eſt, atque ibi maxime, ubi decreſcentibus aquis in arido hæſit. Plura, inquit, de hac Hiſtoria in Annalibus Gentium, populorumque tradi-

traditionibus reperiuntur. Tempora conveniunt, planeque conſentiunt, quantum ex antiquitate tanta percipere datum eſt. Deucalionis autem diluvium, quod in Theſſalia, Cicropis ætate contigit, aliqui Græcorum cum univerſali confundunt; apud Græcos tamen memoria trium Noachi filiorum, a quibus nationes propagatæ ſunt, ſervata eſt. Japhet, unde occidentalium populorum pars major propagata eſt, ſub Japethi nomine, a Græcis cultus fuit. Apud Ægyptios, & Phœnices Cham & Chanaam filius ejus notiſſimi fuerunt. Apud Hebræos vero ſemper exſtitit memoria Sem, a quo originem duxere. Deinde tranſit ad primas Gentium diviſiones; tradit antiquiſſimarum Urbium & nonnullorum Regnorum initia, ac primos artium inventores: animadvertit prima hominum bella fuiſſe adverſus feras noxias; hinc ait, ortum habuiſſe ferarum & ſerpentum ſtemmata, quæ noſtro quoque ævo in pluribus regionibus ſervantur; in quarum ſtemmatibus inſculptæ ſunt feræ aut ſerpentes; hæc enim victoriæ trophæa erant primorum habitatorum uniuſcujuſque regionis; quæ omnia probat Boſſuetus teſtimonio Phœnicum, Chaldæorum, Aſſyriorum, & Medorum. Euſebius (*a*) autem fragmentum inſigne ex Aſſyriacis, & Medicis Hiſtoriiis affert, in quo Diluvii Noachici, Arcæ ad Armenios montes appellentis, & avium inde emiſſarum graphica deſcriptio habetur. Plutarchus item, opuſculo de ſolertia animalium, ſic ait: „ Qui fabulas narrant, ii Columbam ajunt, „ ex Arca emiſſam Deucalioni certum indicium detuliſſe „ tempeſtatis quum ingrederetur, ſerenitatis quum avolaſſet. Quod utique fabuloſum eſt de Deucalionis diluvio; univerſali autem jure aptatur. Flavius contra Appionem diſſerens Ethnicorum hiſtoriis uſus eſt, ut Dilu-

vii,

(a) *Præpar. Evang. lib. 9. cap. 12.*

Digitized by Google

vii, a Moſe deſcripti, veritatem comprobaret. Ab Armenis, (a) inquit, Arcæ fragmentum oſtendi, de qua Noe cum ſua familia incolumis exierat. De hoc pariter Diluvio antiquorum plurimi ſcripſere, inter quos Beroſus Chaldæus, qui ait, ſupereſſe Noachidæ Arcæ fruſta quædam: genteſque, apud quas illa manſit, ejus bitumine in ſacrificiis uti ad ſui expiationem. Dicitur autem etiamnum in Armenia in Cordiſæorum monte partem eſſe ejus Navigii, & quoſdam bitumen ex ea avellentes circumferre; eo autem ablato utuntur homines, maxime pro amuleto ad mala avertenda. Denique ſic concludit Flavius: Scripſit quoque Hieronymus Ægyptius, qui Phœnicum antiquitates tradidit. Voſſius, adductis Lucretii, Herodoti, Harpocrationis, aliorumque Ethnicorum monumentis, de Diluvio & Noacho ſic (b) inquit: Ex Diluvio univerſali fecerunt particulare Græci & Ægyptii. Patriarcha Noe non in ſolo Saturno, ſed etiam Promethei nomine adumbratus: hujus feſtum Athenis in certamine Lampadum, & Ara in Academia ſolemne erat. Ægyptii Prometheum dixerunt, divinitus edoctum, Diluvium prædixiſſe: Prometheum condidiſſe humanum genus cum ejus uxore Aſia ſive Aſiatica; quæ omnia ſunt reliquiæ veteris traditionis de Diluvio ſub Noacho. Japetus, qui eſt Japhet Noachi filius, Europeorum Pater: hinc ab Horatio Japeti genus dicimur. Noe cognitus eſt etiam ſub nomine Liberi. Qui fabulas ad Hiſtoriam revocant, tradunt, Liberum inveniſſe vitem & vini faciendi modum: propterea multos fructus autumnales condendi. Adam a Gentibus cognitus ſub nomine Saturni: item in Saturno conſervatæ ſunt reliquiæ quædam de Patriarcha Noe: nimirum

(a) *Lib. 1. contr. Appion. & lib. 1. antiq. cap. 5.*
(b) *Lib. 1. cap. 18.*

Digitized by Google

mirum videbant, ut Adamus, excepto nemine, origo eſſet; ita Noe primum eſſe eorum, qui poſt cataclyſmum vixere. Adam habuit imperium totius Orbis: habuit & Noe cum ſua familia: Saturni tres filii dicuntur: totidem ſunt Noachi. A Gomer Japheti filio Germanos ducere originem communis eſt ſententia. Hactenus Voſſius. Clericus autem ſic (*a*) ait: Conſentiunt quidem omnes, Diluvium univerſale fuiſſe: alii tamen volunt, totum telluris orbem aquis obrutum fuiſſe: aliis eruditis hominibus contra nitentibus, eatenus univerſale fuiſſe, quatenus totum orbem tunc ab hominibus habitatum oppreſſerit, univerſumque humanum genus, excepta Noachi familia, eo interierit; hinc ea tantum bruta, quæ in eodem loco ac homines degebant. Ante Diluvium porro haud late potuit ſparſum eſſe humanum genus, quod Noachus nonus fuerit ab Adamo. In hoc tamen, ſequitur Clericus, conveniunt omnes, quod cum morum corruptio univerſalis facta eſſet, juſtum quoque fuit, ut univerſalis abominatio communi pœna plecteretur; juſtique familia ſervaretur, a qua genus humanum denuo propagaretur.

Burnetius in Diſſertatione theoriæ ſacræ telluris docet, montes, cavitates, irregularemque terræ faciem reliquias eſſe univerſalis Diluvii; quæ omnia neceſſario acciderint ex illius univerſalis inundationis fluxu ac refluxu. De Noacho autem ſub nomine Jani a Gentibus cognito, ſic (*b*) inquit: Facile nobiſcum ſentiunt ii, qui in Theologia Gentilium Noachum intelligendum putant ſub nomine Jani, cui Vertumno etiam dicto, antiqui temporum vertendorum dedere potentiam; juxta illud Ovidii de Jano:

Me penes eſt unum vaſti cuſtodia mundi,
Et jus vertendi cardines omne meum eſt.

Eodem

(a) *In Comment. Geneſ. cap. 7.* (b) *Lib. 2. cap. 10.*

Eodem etiam ſpectant Septimii verſus, ubi Jano ſacratos Mundi cardines legimus, & cœli limina:

Jane Pater, Jane mens, Dive biceps, biformis,
O Cate rerum ſator, o principium Deorum,
Stridula cui limina, cui cardines tumultùs,
Cui reſerata mugiunt aurea clauſtra mundi.
Tibi vetus ara coluit Aborigeno Sacello.

Eundem etiam Janum bifrontem, aut quadrifrontem efformabant veteres; bifrontem forte, quod utrumque mundum reſpexerit, ante Diluvium & poſt Diluvium; quum quaſi intermundio poſitus, antiquum occidentem, & hodiernum orientem viderit. Unde & rerum ſator, ut a Macrobio, & Janus conſuvius a conſerendo, ideſt a propagine humani generis, quæ Jano auctore conſeritur. Unde & ei vetus ara in Aborigeno Sacello, ut ſupra cecinit Poeta. Bifrons etiam dici potuit ob duas maximas converſiones anni, æſtivam & hyemalem; uti quadrifrons cum quatuor numerant, Ver, Æſtatem, Autumnum, Hyemem, quibus vertitur annus poſt Diluvium. De mundo enim priori ſic cecinit Ovidius:

Ver erat æternum, placidiſque tepentibus auris
Mulcebant Zephyri.

Suidas de Jano: Statuam habuit quadrifrontem ob quatuor anni tempora. Idem teſtatur Servius in ſeptimo Æneidarum his verbis: Janum ſane apud aliquos quadrifrontem eſſe, non mirum eſt; nam alii eum diei Dominum volunt: alii anni totius, quem in quatuor tempora conſtat eſſe diviſum. Anni autem eſſe Deum illa res probat, quod ab eo prima pars anni nominatur; nam a Jano Januarius dicitur. Ideo etiam, ut ex Macrobio, duodecim aræ Jano apponebantur ob duodecim menſes in anno. Unde Suidas cum Simulacrum Jani quadriforme ob qua-

tuor anni horas dixiſſet, ſubdit: Alii fingunt ipſum in dextera manu clavim, ut principium temporis, & apparitionem anni, & Janitorem: alii vero dextera tenere CCC., ſiniſtra vero LXV., ut annum; unde etiam Longinus eum Æonoarium, vi voci facta, quaſi ævi Patrem, interpretatur. Nec immerito Pater ſæculi, & præteriti & vertentis dici potuit, ſi de Noacho intelligamus, in utriuſque mundi confinio poſito:

Ille recedentem mundum poſt terga reliquit,
Proſpexitque novi venientis limina ſæcli.

Ob eandem etiam rationem Cluſius & Patulcius cognominatus eſt, non tam quod annum veterem claudat, aperiatque novum; tenuis illa eſt & ſecundaria ratio; ſed quod mundum antiquum clauſit, novumque aperuit, & ex utraque parte Clavigeri nomen:

Naturæ geminas portas, mundumque biformem
Temperat, hanc clauſit, primus patefecit
Et illam.

Hinc concludit Burnetius: Hæc de Jano, quem ita deſcripſere veteres, ut Noachum noſtrum plane ſignaſſe videantur. Et ſi, quas Jano dederunt formas, cognomina, & vertendi cœlum, tempus, annique cardines potentiam Noacho noſtro attribuamus, magnam aliquam mundi, & temporum converſionem ipſius ætate contigiſſe, eandemque reſpicere præmonſtratum Moyſis ſermonem facile credemus, magnam mundi & temporis converſionem fuiſſe, ſi referatur ad priorem ſtatum.

Uberiora Ethnicorum monumenta de Diluvio collegit Samuel Bochartus. Noam, inquit (a), eſſe Saturnum, tam multa docent, ut vix ſit dubitandi locus. Omnium qui poſt Diluvium vixerunt, communis Pater eſt Noa;

(a) *Tom. 2. lib. 1. cap. 1.*

Digitized by Google

Noa; ita Saturnus in Orphæi Hymnis, & ejus uxor Rhea. Non juſtos modo, ſed & juſtitiæ Præcones. Ex Diodori verbis, Saturnum itidem Regem juſtiſſimum fuiſſe. Ex Plutarcho & in ejuſdem paralellis: Saturnus vini uſum, & vitis cultum docuit. Apud Macrobium, huic Deo inſertiones ſurculorum, pomorumque educationes, & omnium fertilium tribuunt diſciplinas. In Callimachi Hymnis de Minerva:

Aſt a Falcigero lex ſana lata jubet,
Ut pœna graviore luat, temeraria quiſquis
Audet in invitos lumina ferre Deos.

Quod ad illud Moyſis alludere videtur: Maledictus Chanaam a Noe, quod cum vidiſſet verenda ſcilicet Patris ſui eſſe nudata, nunciavit duobus fratribus ſuis foras. In Thimæo Platonis, Saturnus & uxor Rhea, & qui cum illis fuerunt ex Oceano & Thetide nati dicuntur. Navim priſci Romani Saturni ſymbolum eſſe voluerunt. Ovidius ad id alludens ait:

Et bona poſteritas puppim ſignavit in ære,
Hoſpitis adventum teſtificata Dei.

Idem Ovidius, lib. Metam. 1., in graphica cataclyſmi deſcriptione:

Protinus Æoliis aquilonem claudit in antris,
Et quæcumque fugant inducta flamina nubes,
Emiſitque notum: madidis notus advolat alis.
Pœna placet diverſa: genus mortale ſub undis
Perdere:
Omnia Pontus erant, deerant quoque littora Ponto.
Juppiter ut liquidis ſtagnare paludibus orbem,
Et ſupereſſe vidit de tot millibus unum,
Et ſupereſſe videt de tot modo millibus unam;
Innoxios ambos, cultores Numinis ambos.

Item Arnobius lib. 4.

Armeniæ celſis inſtabat montibus Arca.

Macrobius de Jano: Quum primus quoque æra ſignaret, ſervavit in hoc Saturni reverentiam; ut quoniam ille Navi fuerat advectus ex una quidem parte ſui capitis effigies, ex altera vero Navis exprimeretur, quo Saturni memoriam etiam in poſteros propagaret. Cyrillus contra Jovinianum refert verba Alexandri Polyſthoris, qui ait: Servatum fuiſſe Xiſuthrum, cum ei quid futurum erat Saturnus prædixiſſet, fabricandam ipſi Arcam, & in ea cum volucribus, reptilibus, atque jumentis eſſe navigandum. De Abideno idem Cyrillus, Saturnus, inquit, quidem præſignificat magnam vitam futuram, in Armeniam navigavit. Tertia autem die poſtquam remiſerat tempeſtas, aves quaſdam emiſit, experimentum capturus, an eæ terræ aliquid viſuræ eſſent ex mari exſtans: illæ vero ab immenſo Pelago exceptæ, cum deeſſet locus, ubi conſiderent, ad Xiſuthrum retro rediere. Quamvis, inquit Cyrillus, Aſſyriorum antiquiſſimi factum obſcuraverint, facti tamen veritatem oſtendunt. Alexander Polyhiſtor apud Euſebium in Chronico ſic ait: Navigium autem illud cum in Armenia declinaſſet, pars quædam illius eſſe dicitur, hodieque in Armeniæ montibus Corcyræis. Hactenus Bochartus.

De univerſali Diluvio luculenter ac erudite nuper diſſeruit Conſtantinus, qui ad oſtendendam cataclyſmi veritatem addit nonnulla Gentium monumenta, quæ ſtrictim referam. Sohnab affirmat in Hiſtoriis Brachmanum (a) haberi circumſtantias hujus univerſalis inundationis, in qua totum humanum genus, excepta juſti familia, propter ſcelera periit. Nicolaus Damaſcenus ſic ait: Eſt ſuper Minyada in Armenia mons ingens, Baris dictus, in

quem

(a) *Sect. 6. § 15. uſque 62.*

quem multos Diluvii tempore confugientes, fama eſt, ſervatos eſſe; & quendam in Arca vectum ad ſummum ejus jugum appuliſſe; lignorumque reliquias diu conſervatas eſſe. Quamquam autem, ſubdit Conſtantinus, aliqua diſparitas appareat inter Damaſcenum & Beroſum, de Diluvio tamen univerſali & Arca conveniunt: additque Beroſus, antiquos Armenos geſſiſſe e collo pendentia parva illius Arcæ fragmenta, devotionis gratia, & ad infortunia avertenda. Hiſtoriam Japponenſium, teſtimonio V. Cl. Blanchini, Conſtantinus vocat fragmentum Moſaicorum Annalium; & refert colloquium habitum inter Japponenſem Imperatoris Interpretem & Legatos Batavos; Interpres quippe intuens Templum Idoli Topan, ad Batavos ſic locutus eſt: Elongatione temporum non animadvertentes homines eorum originem, irridebant tonitrua & fulgura; immo, horrendum dictu, ipſum ſummum Deorum Numen. Tanto ſcelere commotus Deorum Dominus, ad eos dixit: Decreviſſe, ut deficiente Sole, Luna, ac Stellis, elementa confunderentur, ſicut fuerunt in prima mundi origine. Decreti exſecutio a ſummo Deo demandata fuit Deo Topan, a quo omnia cum humano genere deleta fuere, excepta unius hominis familia, quem Dii amabant, quia Deos honorabat, ipſiſque divinos honores reddebat; quapropter Deus Canon reduxit mare ad priſtinos fines, univerſaque denuo compoſuit. De Americanis Conſtantinus verba faciens, teſtimonio Theodori de Brii, ait: Americanos in eorum ſolemnibus feſtis canere quaſdam cantilenas, quæ apud illos Annalium genus ſunt, in quibus Diluvii univerſalis memoriam faciunt, aliorumque factorum, quorum memoriam perire nolunt. Reliquiæ quoque cataclyſmi ſunt maritima piſcium corpora, quæ paſſim ſupra cacumina, ac in viſceribus

bus montium lapidificata, aut in propria ſubſtantia exſiccata eruuntur; de quibus plura Conſtantinus in laudato opere congeſſit.

Alia quoque Gentium monumenta Diluvii veritatem confirmant. In antiquiſſimis Brachmanum orientalium libris ita deſcriptum eſt Diluvium, ut tellus univerſa ſe aquis ſubmiſerit, deinde locum, quem prius habuerat obtinuerit, teſte (a) P. Vincentio Maria Senenſi. A Gaurienſibus orientalibus, referente (b) Picardo, ſervata eſt cataclyſmi traditio; tantamque cladem, ajunt, a Deo immiſſam fuiſſe, ut ſceleratos homines de medio tolleret. Non obſcuram, inquit idem Picardus, traditionem de Diluvio inventam eſſe apud Peruvanos, illudque propter hominum ſcelera contigiſſe. Eadem traditio ſervata eſt in Braſilienſium cantilenis; in quibus expreſſum eſt, ab uno homine ſervato denuo genus humanum reparatum fuiſſe. Apud quoque Silveſtres Americanos, teſte (c) Lafitavio, vigebat traditio de univerſali Diluvio; additque Lafitavius, nonnullos Americanos populos credere, in fine ſæculorum eodem modo ſub aquis mundum hunc periturum eſſe. Eadem perſuaſio fuit apud antiquos noſtri Hemiſpherii, ut ex Ovidio Metam. lib. 1.

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque Regia Cœli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

Gemellus (d) refert, apud Mexicanos Diluvii traditionem exſtitiſſe, mortaleſque omnes eo ſubmerſos fuiſſe, uno tantum maſculo, unaque femina navigio ſervatis, qui filios genuerunt; confuſiſque deinde linguis in varias terras diſperſi fuerint. De hac Gentium diſperſione idem ſcri-

(a) *Lib. 3. cap. 17.* (b) *Tom. 2. de Gaur. relig. tom. 1. in ſuppl.*
(c) *Tom. 1. pag. 100.* (d) *Tom. 6. cap. 4.*

Digitized by Google

ſcripſit Fernandus Cortes in ſecunda Epiſtola ad Carolum V Imperatorem; quum in colloquio Fernandi cum Rege Montezuma, iſte Mexicani Regni originem aperuit. Item Mendozza (*a*) refert, Sinenſes affirmare, Regni ſui Noachi nepotes conditores fuiſſe; & Tain, hoc eſt, Deum, hominis & mulieris creatorem genus humanum extinxiſſe, ut injurias ſibi illatas mirabili ſtrage ulciſceretur. Huetius quoque præclara monumenta cataclyſmi congeſſit, ubi ſic (*b*) inquit: Diluvii meminit Plato in Thimæo. Item Beroſus ex vetuſtis Annalibus Chaldæorum collegit notiones de humani generis corruptela, & hac de cauſſa de Diluvio, deque Arca in Armeniæ vortices delata, qua ſobolis humanæ reparator Noachus ſervatus eſt. Fuit æqualis Ptolemæi Lutthyri Alexander Polyſthior, qui non plurimas ſolum Moſaicæ Hiſtoriæ partes e vetuſtis auctoribus excerptas commentariis ſuis complexus eſt, figmentis licet deformatam, & Diluvii, ac Arcæ Noachi in Armeniæ montes delatæ, & avium ad explorandam aquæ altitudinem emiſſarum hiſtoriam: ex Epulemo vero, Artapano, Cledemo, & Demetrio turris Babylonicæ ædificationem: Enochi quoque, & Mathuſalæ mentionem. Scaliger autem ait: Religionibus ac Templo ab incolis conſecrata fuit Arca illa, Baris dicta, hoc eſt Navis cujus vocis originem, vulgo ignorabilem, docuit me Æſchyli Scholiaſtes. Americani quoque Diluvium norunt, unicam familiam ſervatam, linguas multiplicatas. Canadenſes ajunt, poſt Diluvium Orbem fuiſſe reparatum ab homine, Meſſou' lingua eorum nuncupato — Theodotus res Phœnicum Phœnicia lingua proſecutus eſt, & Sanchionatonis continuavit hiſtoriam, atque ea de primis Patriarchis penitus narrat ad mentem Moſis, neque

(a) *Lib. 1. cap. 3. & lib. 2. cap. 5.* (b) *Propoſ. 4. cap. 2. & 7.*

neque ulla re diſcrepantia. Hactenus eruditiſſimus Huetius. Porro hæc ſunt monumenta ex utraque, ſcilicet populi Dei, & Gentium, hiſtoria mea cura in unum congeſta, ex quibus liquido apparet omnium populorum conſenſus de Deo mundi creatore, moderatore, legum latore, ac vindice: de primo homine, ejuſque eximia felicitate in ſtatu innocentiæ, ejuſque infelicitate poſt lapſum; de animorum humanorum immortalitate; de judicio, præmiis pœniſve in vita futura. Quæ quidem omnia quamquam per ſe aptiſſima ad averuncandam impietatem videantur; ad alia tamen properabimus, ut primigeniæ traditionis veritas ac duratio evidentius adſtruatur.

CAPUT VI.

De Mundi ætate.

ADverſarii religionis ex Sacræ Scripturæ exemplaribus, quæ a Judæis circumferuntur, argumentum ſumunt, calumniandi Moſaicos Annales, eo quia chronologia ex recenſitis exemplaribus deducta vera eſſe non poſſit, quum, ut inquiunt, rationi, ac aliarum Gentium chronologiis contraria omnino appareat. Rationi, ajunt, opponitur, quum fluxu annorum CCCCXXVII. ex una familia non potuerint procreari tot homines, diſſitas nationes, & Regna, quot erant tempore Abrahami. Profecto in Moſaicis Annalibus numerantur diſtinctæ nationes, & Reges, & Regna, cum quibus Abraham ipſe neceſſitudinem habuit. Ex Gentium autem hyſtoriis ante natalem Abrahami exſtabant alii populi, plures nationes, aliaque Regna fere in immenſum ab Ægypto diſtantia. Chronologiæ quoque cultarum Gentium e diametro Judaicis exemplaribus adverſantur, ut infra appare-

parebit : quapropter de mundi ætate verba facere neceſſarium duxi, ut Moſaicorum Annalium veritas undequaque fulta videatur. Non mihi tamen animus eſt de impeditiſſimis chronologiæ quæſtionibus, quæ noſtro ævo moveri ſolent, inſtituere ſermonem, cum probe ſciam, eos oleum operamque perdidiſſe, qui in tot ſæculorum curſu, voluerunt ea tempora adamuſſim expendere. Alia igitur via procedendum eſt, ut ab adverſariorum maledictis injuriiſque Moſaicæ hiſtoriæ dignitas, in hac quoque parte vindicetur.

Qua in re præmittendum eſt, originales Annales ab ipſo Moſe ſcriptos, aut Moſis ætate ab aliis deſcriptos, non exſtare, tot ſæculorum voracitate conſumtos; ſervata tamen eſſe exemplaria ab aliis exemplaribus ſucceſſione temporum exſcripta. In hiſce tamen ſuccedentibus exemplaribus non eadem ſervata eſt chronologia, quæ varia apparet; Petrus enim Binch in examine chronologiæ a mundi creatione ad finem Diluvii ex Codice Judæorum, qui nunc circumſertur, ſtatuit fluxiſſe annos MDCLVI : Ex verſione Græca MMCCLVI : Ex Joſepho MMCCLIII : Ex correctione Voſſii MMCCLVI. A Diluvio ad natalem Abrahami ex Codice, qui nunc eſt in manibus Judæorum, apparet fluxiſſe annos CCCCXXVII : Ex verſione Græca MCCCVII : Ex Joſepho MCXXVIII : Ex correctione Voſſii MCCLVIII. Conſtantinus (*a*) addit, ſuputationem annorum, quæ habetur in Pentateuco Samaritano, characteribus antiquis Hebraicis ſcripto, ab anno in quo Sem genuit Arfaxad uſque ad natalem Abrahami, extendi ad annos mille & duo. Profecto tot ſuputationum diſcrimina ex pluribus cauſſis originem traxerunt. Eruditiſſimus Boſſuetus, Epitome hiſtoriæ univerſalis ad annum quadringenteſimum trigeſimum

Ff pri-

(a) *Sect. 6. § 31.*

primum ante Redemptoris nativitatem, animadvertit, tempore, quo Judæi apud Chaldæos in captivitate degebant, horum linguam, haud multum ab Hebraica diſſimilem, didiciſſe, & chaldaicis characteribus ſacrum Codicem exſcripſiſſe; inde factum eſt, ut ex eo tempore ſacer Codex apud Judæos familiaris, niſi chaldaicis characteribus exaratus reperiatur: Samaritani autem veterem ſcribendi rationem retinuerunt, eamque ad hæc uſque temporum ſervant. Ad rem hanc elucidandam haud parum lucis præſtant ea, quæ mox dicemus; verſio enim ſacrorum librorum in Græcum ſermonem, temporibus Ptolemæi Ægyptiorum Regis facta, ſic a Flavio (a) narratur: „ A Ptolemæo ad Eleazarum, ſummum Hebræorum Sa„ cerdotem, miſſa fuit Epiſtola, qua petiit, ſibi Viros „ cum ſacro Codice mitti, quorum opera de Hebræo in „ Græcum ſermonem traduceretur. Eleazarus illi morem „ gerens, ex qualibet Tribu ſeniores elegit, eoſque cum „ ſacro Codice ad Regem miſit, reſcripſitque, curaret ſe„ dulo, ut verſione facta, ſtatim ſibi remitteretur ſacer „ Codex, qui in Templo, unde fuerat extractus, reſti„ tuendus erat. Ex eo autem, quod ex omni Tribu ſeniores electi fuerant, & Codicem e Templo extractum Eleazarus miſerat, neglectis exemplaribus, quæ in vulgus diſperſa erant, aperte colligitur, id factum fuiſſe, ut Græca verſio vetuſtiſſimo exemplari Hebraice ſcripto omnino conſentanea foret. Porro ii, qui ſequuntur ſeptuaginta Interpretum verſionem, animadvertunt, in Codicibus recentiorum Judæorum omiſſum fuiſſe Patriarcham Cainan, qui in Græca verſione nominatur, augetque antiquorum Patriarcharum numerum. Quum autem S. Lucas Patriarchæ Cainan mentionem faciat, ſpontaneam conſecutionem dedu-

(a) *Antiquit. Jud. lib. 12. cap. 2.*

Digitized by Google

deducunt, S. Lucam Græca verſione uſum fuiſſe. Ad hæc addit (a) Conſtantinus, orientalem Eccleſiam uti verſione ſeptuaginta Interpretum; eamque ſolam pro Canonica habere. Pezeronus item libro de temporum antiquitate ait, Scripturam, qua recentiores Judæi utuntur, longe diſtare ab antiqua Hebræorum chronologia; idque oſtendere conatur veterum Hebræorum teſtimonio. Contendunt autem alii, ſervandam eſſe chronologiam, quæ a recentioribus Judæis circumfertur.

Tranſeundum itaque eſt ad Gentium chronologiam, ut aliam cum alia conferre poſſimus. Profecto ab aliis Gentibus pene nulla antiquorum temporum ratio ſervata eſt: ab aliis diligenter ſervatam fuiſſe traditur. Certum eſt, plures nationes, in eo quod ad temporum rationem attinet, in tenebris verſatas fuiſſe; ſive deficientibus Annalibus, ſive ob ſcriptorum negligentiam in deſignandis temporibus, ſive ob annorum, præcipue antiquorum, diverſitatem; hinc factum eſt, ut cultæ quoque nationes varias habuerint annorum antiquorum & recentiorum metiendi rationes. Galeranus, Epiſtola nuncupatoria ad Ferdinandum I Imperatorem, exponit, quanto ſtudio, ac diligentia uſus ſit, ut ex Gentium Hiſtoriis eruere poſſet, quot anni fluxiſſent a bello Trojano uſque ad Romæ fundationem: hoc autem tanto labore fatetur, nihil aliud elicere potuiſſe, niſi veriſimilem chronologiam; ſic enim ait: „ Fuere autem ab Troja capta ad Urbem conditam „ anni quadringenti triginta duo. Qui numerus tera Dio„ nyſio productus, corrupte legebatur in vulgatis Codici„ bus. Nos autem collatis ex Chronicis Euſebii annis, ac „ variis comparatis locis, Regum Albanorum ſeriem, ma„ xime veriſimilem ac ſumme congruentem, diligenti ad-

 „ hibita

(a) *Sect. 6. §. 33.*

„ hibita ratione, deduximus. V. Cl. Voltaire (a) exhibet magnum Chaos, in quo erant cultæ quoque Gentium nationes, inter quas recenſet Ægyptiacas & Græcas, dum ab ipſis antiquorum temporum ratio inquirebatur; in vulgata enim Argonautarum expeditione mundus admodum recens eſt agnitus: ex fallacibus autem Ægyptiorum, & Græcorum conjecturis, quas ibi memorat, conſtabat eorum prolixior chronologia. Newtono, inquit Voltaire, mundi ætas minor quingentis annis ex aſtronomicis obſervationibus vitæque curſu viſa eſt. Porro in metiendis annis, ut Maſcardus animadvertit, non una, ſed admodum varia apud pleroſque ratio fuit; ita ut ſuo quiſque ingenio annorum menſuram invenerit. Ægyptii ſæpe variarunt; interdum enim trium, interdum quatuor menſium effecere annum; plerumque menſis ſpatio ad Lunæ curſum annum metiebantur; atque hinc portentoſa illa annorum ſeries, quam Gentes illæ venditarunt. Hactenus ex Voltaire excerpta. De Ægyptiorum chronologia ſic (b) inquit Voſſius: Videor mihi ad conciliandas antiquitates Ægyptias cum ſacris litteris, duplicem adferre poſſe rationem: una eſt, quod antiquitus variarit anni modus: altera, quod juniores veterum annorum formam cum recentiori confuderint. Apud antiquos Romanos quoque varia fuit anni metiendi ratio, referente Plutarcho in vita Cæſaris; Rex enim Numa menſem intercalarem addiderat, & Julius Cæſar tempora correxit. Cur autem tantis erroribus obnoxia fuerit antiquorum temporum chronologia, rationem (c) affert Plinius: „ Quæ omnia, inquit, inſcitia temporum „ acciderunt; annum enim alii æſtate unum determina- „ bant, alterum hyeme: alii quadripartitis temporibus, „ ſicut Arcades, quorum anni trimeſtres fuere: quidam „ Lunæ

(a) *Epiſt. Philoſoph.* 17. (b) *Lib.* 1. *cap.* 28. (c) *Lib.* 7. *cap.* 48.

Digitized by Google

„ Lunæ ſenio, ut Ægyptii; itaque apud eos aliqui ſingula „ millia annorum vixiſſe produntur. Alibi Plinius (*a*) numerat longiſſima annorum ſpatia a Perſis memorata; de „ Zoroaſtre enim eorum Rege proditum eſt, quinque mille annorum ante Trojanum bellum vixiſſe: quod mirum, „ inquit, hoc in primis duraſſe memoriam, artemque tam „ longo ævo, commentariis non intercedentibus; propterea nec claris nec continuatis ſucceſſionibus cuſtoditam.

Ab aliis autem Gentibus, præter Hebræos, antiquorum temporum ratio diligenter ſervata fertur, præcipue a Sinenſibus, quorum regio quadringenteſimo circiter poſt Diluvium anno habitari cœpta ſit. Seriem atque ætatem Regum ſuorum, ut (*b*) Pezeronus refert, Sinenſes memorant; Fochiumque omnium primum illius regionis Imperium tenuiſſe affirmant. Demum Pezeronus concludit exactam Sinenſium chronologiam cum Græca verſione convenire. Conſtantinus vero (*c*) animadvertit, antiquos Sinenſes cum recentioribus haud convenire de mundi ætate; illi enim protrahebant mundi ætatem ad quadraginta novem mille annos; recentiores autem ſuputationem illam inter fabulas recenſent; eo quia Sinenſium Annalium auctor, Thaiſucum vocatus, germane fatetur, haud exſtare in antiquioribus Sinenſium libris chronologiam aliquam, quæ præcedat Fochii & Xinumi ejus ſucceſſoris tempora; propterea, ſubdit, Sinenſes habere tamquam veridicas, & autenticas hiſtorias, quæ incipiunt a Fochio, Regumque ſuccedentium ſeriem & ætatem tradunt. V. Cl. Blanchinus, referente eodem Conſtantino, inquit, Sinenſes non habere aliquam certam temporum notionem ante Regem Xinum, Fochii ſucceſſorem: additque Conſtantinus, P. Martinum in ſua Sinica Hiſtoria, ab originalibus Sinenſium

(a) *Lib.* 30. *cap.* 1. (b) *Cap.* 14. (c) *Sect.* 6. § 25. *uſque* 32.

ſium libris extracta, fateri, a Sinenſibus tamquam certiſſima haberi ea, quæ poſt Fochium in Sinenſium Annalibus continentur. Profecto, concludit Conſtantinus, facta collatione cum chronologia, quæ a recentioribus Judæis circumfertur, Fochi regnum ſexcentos quadraginta annos ante Diluvium cœpiſſet; ex adverſo plane convenire cum ſupputatione ſeptuaginta Interpretum, deducit.

Mexicanos quoque exactam antiquorum temporum rationem habuiſſe fertur; & ad motus Solis exegiſſe menſes & annos a prima fundatione Mexicani Imperii, ut Picardus (a) tradit. Ex decem quidem & octo menſibus Mexicanus annus conſtat; unuſquiſque autem menſis viginti dierum fluxu perficitur; hinc annus Mexicanus comprehendit fere parem numerum dierum, ac recens Romanus. Gemellus (b) inquit: Mexicani ſæculorum ambitus, ac Solis converſiones, Regum ſuorum ſucceſſiones, ſingulorumque ætates circulo quodam, figuris, notiſque deſignato, exprimunt. Hujus celebris circuli ſtructuram in ære inciſam exhibet: apud Mexicanos circulus iſte Annalium genus eſt; quum ea omnia, quæ in hoc circulo continentur, autentica fide gaudeant. De hoc mirabili circulo, qui ex uno maximo & pluribus aliis minoribus concentricis conſtat, verba faciens V. Cl. Conſtantinus, (c) ait: Unus ex his circulis ſervatur a Viro nobili Mexicano Carolo Siguenza: in eo apparet Mexicani Imperii initium, Mexicanorum Regum ſeries, eorum præclara geſta, & exacta temporum chronologia. Ibi deſcripta eſt diviſio a ceteris Gentibus ſuorum majorum, qui Mexicanum Imperium fundavere; ac centum & quatuor annos fluxiſſe in conficiendo longiſſimo itinere, antequam ibi proprias potue-

(a) *Tom. 1. part. 1. in ſuppl. Mexic.* (b) *Tom. 6. cap. 4. & 6.*
(c) *Sect. 6. § 63. & ſequent.*

Digitized by Google

potuerint ſtatuere ſedes. Eorum diviſio a ceteris Gentibus, in eodem circulo expreſſa, ad annum quadringenteſimum primum poſt Diluvium refertur; hinc facta ſupputatione chronologica Conſtantinus oſtendit, Mexicanam chronologiam convenire cum Græca verſione; & parum diſtare ab alia expreſſa in Samaritano Codice; dum ab annis Lunaribus, quibus utebantur Hebræi, ad Mexicanos annos Solares æqua fiat translatio.

Judæos, inquit (a) Huetius, inter Græcos degentes, Helleniſtas nuncupatos, non potuiſſe ſancta Volumina ſatis accurate perſequi, quia propter linguæ ſanctæ ignorationem, quam pauci omnino callebant, ad exemplaria Hebraica non poterant recurrere. Fieri ſane potuit, ut cum animum appulerunt ad ſcribendam hiſtoriam, non tam veterum commentariis & priſcis inhærerent memoriis, quam traditionibus propagatis, vel famigerationibus, quod Scriptores faciunt nimis multi — Quod autem ſubjicit Scriptor uterque, Præadamiticus, & Theologo-Politicus nonnulla in Moſaicis libris occurrere, vel obſcura, vel inordinata, vel mutila; hac præſcriptione contenti addere ſufficiat: Verbum Dei, primum lapidibus, tum deinde libris, chartis, membranis fuiſſe mandatum, & hominum manibus vulgo uſurpatum; vere theſaurum in vaſis fictilibus, primum digito Dei, aut Moſis fuiſſe ſcriptum; tum deinde digitis aliorum hominum, eorumque ſæpe incurioſorum, aut ſocordium, aut indoctorum; hinc in leviculis quibuſdam rebus, ad fidei dogmata neutiquam pertinentibus, mendas, ſi forte, aliquot irrepſiſſe, nec in Pentateucho ſolum, ſed & in reliquis Scripturæ Sacræ libris vitia hujuſmodi inoleviſſe, ut ex emendationibus Scribarum, & ex variis lectionibus orientalium, & occidentalium, & ex

(a) *Propoſ. 4. cap. 2. 11. & 14.*

ex illis Ben Aſcher, & Ben Nepthali apparet. Quare nihil de librorum illorum auctoritate decerpitur — Neque eo tamen favere vel tantillum volumus nefariæ Muhammedaurorum, Anabaptiſtarum, & Servatonorum doctrinæ, qui depravata penitus & adulterata ſciſcunt Veteris Teſtamenti volumina; non in minutis tantum, quod facile concederemus, ſed in gravioribus etiam, quod falſum eſſe Viri docti pluribus jam demonſtrarunt — Gentis Sinenſis, quæ magna floret ingenii & eruditionis laude chronologiam nobis repreſentavit Martinus Martinius: quam ſi quis ad calculos redegerit, tantam deprehendet cum textu Moſaico congruentiam, ut lux accedat & robur Moſaicis annorum computationibus. Hactenus Huetius. Samuel autem Shuxford, in Præfatione de mundi ætate, addit, temporibus Davidis & Salomonis anni correctionem apud Iſraelitas factam fuiſſe; aliamque computandorum annorum methodum uſurpaſſe Judæos poſt Babylonicam captivitatem; propterea, ſubdit, difficillimum eſſe, antiquæ mundi ætatis juſtam annorum chronologiam ſtatuere.

Per hanc autem diſcrepantiam, inquit (*a*) Auguſtinus, Hebræorum Codicum (qui nunc quoque a Judæis circumferuntur) atque noſtrorum, exoritur illa famoſiſſima quæſtio, ubi Mathuſalem quatuordecim annos vixiſſe poſt Diluvium computatur, cum Scriptura ex omnibus qui in terra tunc fuerunt, ſolos octo homines in Arca exitium commemoret evaſiſſe Diluvii, in quibus Mathuſalem non fuit — Sed cum dixero, continuo refertur illud Judæorum eſſe mendacium, de quo ſuperius ſatis actum eſt: nam ſeptuaginta Interpretes laudabiliter celebratos Viros non potuiſſe mentiri. Ubi ſi quæram, quid ſit credibilius, Judæorum Gentem, tam longe lateque diffuſam, in hoc con-

(a) *Lib. 15. cap. 11. & 13. de C. D.*

conſcribendum mendacium uno conſilio conſpirare potuiſſe, & dum aliis invident auctoritatem, ſibi abſtuliſſe veritatem; an ſeptuaginta homines, qui etiam ipſi Hebræi erant, in uno loco poſitos, quoniam Rex Ægypti Ptolemæus eos ad hoc opus adſciverat; ipſam veritatem Gentibus alienigenis invidiſſe, & communicato iſtud feciſſe conſilio, quis non videat, quid proclivius faciliuſque credatur? Sed abſit ut prudens quiſpiam, vel Judæos ejuslibet perverſitatis atque malitiæ tantum potuiſſe credat in Codicibus tam multis & tam longe lateque diſperſis: vel ſeptuaginta illos memorabiles Viros hoc de invidenda Gentibus veritate unum communicaſſe conſilium. Itaque illa diverſitas numerorum aliter ſe habentium in Codicibus græcis & latinis, aliter in hebræis, nec malitiæ Judæorum, nec diligentiæ vel prudentiæ ſeptuaginta Interpretum, ſed ſcriptoris tribuatur errori. Parvi igitur faciendam eſſe illam annorum varietatem conſtat; ſiquidem anni ſtant in vita æterna: hic autem tranſeunt, immo pereunt. Hactenus Auguſtinus. Communior autem opinio fert, ſcriptorum incuria factum, ut in quibuſdam exemplaribus corrupta ſit annorum ſeries. Porro animadverſione digna eſt uſitata antiquorum ſcribendi ratio, etiam in ſacris Codicibus exarandis; in vetuſtiſſimis enim Codicibus manuſcriptis ita litteræ notatæ & diſpoſitæ reperiuntur, ut ſimul connectantur, nullo interpoſito intervallo, quo a verbis verba diſtinguerentur; quum autem iſte ſcribendi modus non levem legentibus difficultatem afferret, puncta quædam addita ſunt, & paulatim interpunctionis uſus introductus eſt, quo facilior lectio redderetur, ut jam Erudito cuique compertum eſt. Hinc liquido apparet, quam facile in exarandis exemplaribus vetuſtiſſimis errores irrepere potuerint. Ceterum, quod prodigioſum

eſt, cuncta Judæorum, Græcorum, Latinorumque exemplaria in doctrina, hiſtoria, & gravioribus ita conſona ſunt, ut in hoc quoque divina providentia manifeſta reddatur, ſervando incorrupta ea omnia, quæ ſcire oportet. Quæ autem pars Moſis, ſi in minutis exſcriptores aliqui exemplarium erraverunt? Prudens quiſpiam neque in minutis, neque in gravioribus exſcriptorum errores auctori imputat.

Aliqua quidem temporum ratio, in hiſtoria potiſſimum, ſervari debet, ut videatur quod prius, quidve poſterius factum ſit; propterea unicuique licet eam ſequi chronologiam, ſapientum Virorum uſu receptam, qui probe agnoverunt, fruſtra multiplicari annos, in quibus memorabilia geſta haud enuntiari queant; quum ad antiquiſſimæ hiſtoriæ integritatem ſufficiat rerum, eventuumque memorabilium exacta deſcriptio; ita tamen ut, non inverſo temporum ordine, ſuo quæque loco res dicendæ dicantur. Cenſeo itaque de vera mundi ætate non eſſe curioſius inquirendum, deficientibus jam originalibus Moſis Annalibus, & exſtantibus tantum exemplaribus de hac re diſcrepantibus; qua de re finem imponam aureis verbis ampliſſimi Cardinalis Quirini, qui in ſua, ſæpius laudata Proluſione, elegantiſſime ſic ait: „ Quum Moſaicorum Annalium lectionem perutilem „ dico, non ita intelligi velim, ſi quis id unum ſpectet, „ ut totus in chronologicis tricis atque impedimentis mo- „ retur. Non capiunt pectoris anguſtiæ hujus ſanctiſſimæ „ hiſtoriæ dignitatem; ſed in hac re, ut aliis etiam pleriſ- „ que, imitari oportet Octavianum Cæſarem, qui, referen- „ te Svetonio, in evolvendis utriuſque linguæ ſcriptoribus „ nihil æque ſpectabat, quam exempla publice vel priva- „ tim ſalubria, eaque ad verbum excerpta, aut ad dome- „ ſticos ſuos, aut ad exercituum provinciarumque Recto- „ res mittebat, prout quiſque admonitione indigeret.

Rerum

CAPUT VII.

Rerum initia, celſiſſima capita, & quidquid ad ſubſtantiam religionis ſpectat, non ab Hebræis in Gentes perveniſſe oſtenditur.

QUum plures ſcriptores, exquiſita eruditione præditi, in exteris quibuſdam nationibus, quibuſcum conſuetudo interceſſit, haud obſcura repererint earum veſtigia rerum, quæ in Moſaicis Annalibus continentur, in eam adducti ſunt ſententiam, ut earundum rerum notionem ab Hebræis commerciorum cauſſa in ceteras Gentes perveniſſe putarint. Animadvertentes inſuper apud nonnullos Ethnicos populos Abrahami & Moſis nomen celebrari, uſumque circumciſionis vigere, exiſtimarunt, Gentes omnes ab Hebræis myſteria religionis didiciſſe. Qua in re, quantum ſcriptores iſti erraverint, ex eo deducitur, quod non omnium Gentium, quotquot in Orbe ſunt, ut par erat, hiſtorias, traditioneſque percurrerint, ſed de quibuſdam dumtaxat ſingularibus populis notiones, moreſque exploraverint; quod utique certum eſt, ad proferendam de univerſo hominum genere ſententiam nihil omnino conferre, quum hiſtoria univerſalis ex omnium Gentium hiſtoriis & traditionibus in unum congeſtis, componatur. Ad cognoſcendum id, quod cunctis mortalibus commune eſt, nulla via tutior data eſt, quam hiſtoria univerſalis, in qua, tamquam in ſpeculo, animatam humani generis effigiem cernere poſſis. Hiſtorici ſingularum nationum, quamquam nonnulli ſumma diligentia res geſtas populorum, de quibus ſcripſerunt narraverint; in hoc tamen fœde erraverunt, quum abſque notitia univerſalis hiſtoriæ, de univerſo hominum genere judicium pro-

Digitized by Google

protulerunt. Tales homines aſſimilantur iis, qui mores cernentes nonnullarum inſignium Urbium, totius Orbis ordinem ſe comprehendiſſe putant. Sicut enim, ut in ſimili verſer, veram ideam animalis e ſejunctis, atque divulſis cujuſdam bruti partibus percipere non poſſumus, ſed juſta idea animati bruti tunc tantum efficitur, quum oculos conjicimus in eas partes ſimul conjunctas & animatas, ut tota viventis bruti illius ſtructura deſiderat; ita quidem e disjectis atque diſperſis hiſtoriæ partibus, cujuſmodi ſunt ſingulorum populorum hiſtoriæ, totius humani generis notiones haurire haud poſſumus; niſi prius inter ſeſe comparatæ ſint ſingulæ omnium populorum hiſtoriæ, deinde ſimul conjunctæ, & in unum veluti animatum corpus redactæ. Hinc factum eſt, ut celeberrimi Viri, Boſſuetus, Picardus, Voſſius, Laſitavius, aliique, quamquam alio reſpiceret aſſumtum ab illis argumentum, in hiſtoria tamen univerſali verſati, ultro & aperte faſſi ſunt, celſiſſima principia & religionis myſteria continuata majorum ſuorum traditione Gentes omnes percepiſſe.

Ad examen itaque hujuſce rei propius accedendo, notum eſt, ut exordiar a Scripturis ſanctis, quod cum Gentes cœpiſſent miſcere ſimplici primorum Patriarcharum cultui ſuperſtitioſos ritus, Deus elegit Abrahamum, ut ex ejus ſemine fieret populus ſermonum Dei, & veræ religionis fidelis depoſitarius, & cuſtos; inſuper Deus mandavit, ut populus iſte electus circumciſione ſignaretur. Mos quidem circumciſionis ad alias Gentes pervaſit, quæ conſuetudinem deinceps cum Abrahamo, aut ejus deſcendentibus, ſive ipſæ per ſe, aut interpoſitis aliis nationibus habuerunt. Profecto concedendum eſt, ab hac fonte in illas Gentes circumciſionis ritum deſcendiſſe: non eſt autem id, de quo agitur. Noſtra præſens alia eſt quæ-

Digitized by Google

ſtio; diſquiſitio enim eſt de celſiſſimis principiis religioniſque myſteriis: & unde apud omnes populos eadem perſuaſio proceſſerit. Præterea nullo modo probatur, Gentes, quæ antiquitus circumciſionem adoptarunt, de ſummis quoque capitibus ab Hebræis fuiſſe edoctas. Immo ex Geneſi (*a*) oppoſitum videtur, dum Sichemitæ, jam idololatria polluti, aſſenſum præbuerunt circumcidendi cunctos maſculos. Quum autem idololatria, de qua in libro ſequenti habendus eſt ſermo, nihil aliud ſit, niſi veræ religionis corruptio; ſponte conſequitur apud omnes idololatras jam fuiſſe veram religionem; non enim poteſt corrumpi, niſi id, quod prius ſanum erat. At ubi Gentes, quæ antiquitus circumciſionem adoptarunt ad reliquas incircumciſas nationes referantur, in exiguo admodum numero apparent, ut neque veriſimili conjectura adverſariorum propoſitio firmari poſſit. Præterea neque Abrahamo, neque Moſi, neque ulli Hebræorum ante Redemptoris adventum a Deo mandatum fuit, ut ad Gentes irent, & eas circumciſione, ſive Moſaicis ritibus initiarent; unde S. Gregorius Papa (*b*) inquit: „ Antea dictum fuerat: in viam Gentium ne „ abieritis; nunc autem: prædicate omni creaturæ. Hoc autem dictum eſt ea nimirum ratione, quod ante Redemptoris adventum incircumciſis quoque Gentibus ſatis erat, ut eam ſervarent cultus & morum rationem, quam primi totius humani generis Patriarchæ ſervaverunt & filiis ac nepotibus tradiderunt, quæ omnia accurato traditionis magiſterio ad poſteros omnes manarunt, ut ſe ad naturalis, ſic nuncupatæ, legis præſcripta conformarent; ad quæ cuncta obſervanda & Abraham ipſe & poſteri ejus obſtricti fuere, ſuperaddita tantum circumciſionis lege in ſignum peculiaris fœderis, quæ omnia repetita, & reſtaurata

(a) *Geneſ. cap.* 34. *&* 35. (b) *Homil.* 29. *in Evang.*

Digitized by Google

rata fuerunt in lege Moſis, additis tantum quibuſdam novis ritibus, qui e diametro ſuperſtitioſis a Gentibus invectis adverſabantur. Tempore autem reparatæ ſalutis repetita fuit naturæ lex, quæ in Decalogo Veteris Teſtamenti exarata fuerat; inſtitutique novi ritus, qui promiſſum Meſſiam jam conceſſum fuiſſe demonſtrarent; propterea ſublatis ritibus antiquis, qui promiſſum Redemptorem ſignificabant; ea myſteria ſubſtituta fuere, quæ conceſſum Meſſiam præſeferunt; hinc liquido apparet, omnes Gentes de adventu Salvatoris inſtruendas fuiſſe, neque amplius vigere antiqua Patriarcharum Sacrificia, quæ ad promiſſum Redemptorem referebantur. Fœdus igitur pactumque, quod cum Iſraelitico populo initum fuerat, incircumciſas Gentes ab æternæ ſalutis ſpe haud excludebat, dummodo cum timore Dei juſtitiam conjungerent. Quod plane conſuitur ex Actis Apoſtolorum, ubi deſcribuntur nonnulli homines juſti apud Deum, incircumciſi, inter idololatras nati, atque alti, inter quos numeratur Cornelius, ad quem accedens Petrus, coram multis, qui illuc convenerant, dixit (a) ad illos: „ Vos ſcitis, quomodo abominatum ſit Viro „ Judæo conjungi, aut accedere ad alienigenam: ſed mihi „ oſtendit Deus, neminem communem aut immundum „ dicere hominem: propter quod ſine dubitatione veni „ accerſitus. Petentibus ergo omnibus, qui illic aderant, „ audire quæcumque a Deo præcepta erant Petro: tum „ Apoſtolus, in veritate, ait, comperi, quia non eſt per- „ ſonarum acceptor Deus, ſed in omni Gente, qui timet „ eum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi. Hoc idem confirmatur ex Scripturis ſanctis Hebræorum, ubi ſic (b) legitur: „ Reſpicite filii nationes hominum, & ſcitote, „ quia nullus ſperavit in Domino & confuſus eſt.

Ex

(a) *Actor. Apoſtol. cap.* 10. (b) *Eccl. cap.* 2.

Digitized by Google

Ex utraque item hiſtoria, hoc eſt populi Dei & Gentium, liquido apparet, celciſſima principia, eaque omnia, quæ ad ſubſtantiam religionis ſpectant, ab Hebræis Gentes haud didiciſſe. Cum enim ſuperſtitio apud Gentes in diem magis magiſque augeretur, Deus elegit Moſem, per quem Iſraelitico populo novos tradidit ritus, omnino Gentium ritibus contrarios, ne electi populi ſacra, exemplo Ægyptiorum proximarumque regionum, ſuperſtitione polluerentur. Harum Gentium ſacra, idololatriæ labe conſperſa, integro libro ſpectanda exhibet Spencerus, in quo oſtendit, novos Moſaicos ritus ex adverſo inſtituos fuiſſe, ne aliqua ſimilitudine ſervata, Iſraeliticus populus ad illarum Gentium cultum tranſiret. De hac rituum diſſimili Moſis inſtitutione Tacitus ſic (*a*) inquit: „ Moſes, quo ſibi in poſterum Gentem firmaret, novos „ ritus contrarioſque ceteris mortalibus indidit. Pluraque idem Tacitus (*b*) ad Hebræorum ludibrium comminiſcitur. Strabo, libro decimo ſexto, inquit: „ Profanos Ægy- „ ptiorum mores exoſum Moſem, collecta ingenti pio- „ rum hominum multitudine conceſſiſſe in Judæam; illic- „ que fixis ſedibus, & ſanctis Dei colendi ritibus inſtitutis, „ abjectoque potiſſimum & ejurato Idolorum cultu, non „ tam vi & armis, quam pietate imperium confirmaſſe: „ verum deinde urgentibus Judæorum animis, primam „ religionem ſuperſtitionibus fuiſſe labefactatam, & quæ- „ ſitum ſanctitate ac integritate imperium gentem nefariam tyrannide & latrociniis auxiſſe. Hinc David (*c*) ait: „ poſuiſti nos in opprobrium vicinis noſtris, ſubſanatio- „ nem & deriſum his, qui ſunt in circuitu noſtro. Similiter Tobiæ libro ſic (*d*) legitur: „ Traditi ſumus in dire- „ ptionem, & captivitatem, in mortem & in fabulam „ &

(a) *Annal.* 21. *lib.* 5. (b) *Hiſtor. lib.* 5. (c) *Pſal.* 43. (d) *Cap.* 3.

Digitized by Google

„ & in improperium omnibus nationibus, quæ ſunt in circuitu noſtro. Potiſſima autem cauſſa calamitatum, quas Hebræorum natio a Gentibus perferebat odium religionis fuit. In Exodi capite primo ſic legitur: „ Oderantque „ filios Iſrael Ægyptii & affligebant illudentes eis. Atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus luti, & lateris, omnique famulatu, quo in terræ „ operibus premebant. Dixit autem Rex Ægypti obſtetricibus Hebræorum, quarum una vocabatur Sephora, „ altera Thua, præcipiens eis: Quum obſtetricabitis Hebræas, & partus tempus advenerit, ſi maſculus fuerit interficite eum: ſi femina reſervate. Nabuchodonoſor compellebat Judæos ad Idola colenda, teſte Daniele capite ſecundo. Neque hac immanitate contentæ Gentes, quæ cum Hebræis conſuetudinem habuerunt, Templum ipſum ſacrilegis ſuperſtitionibus replebant; ſic enim ſcriptum eſt in Hiſtoria (a) Machabæorum: „ Ut audierunt Gentes in „ circuitu, quia ædificatum eſt Altare, & Sanctuarium „ ſicut prius, iratæ ſunt valde, & cogitabant tollere genus „ Jacob, qui erant inter eos, & cœperunt occidere de populo & perſequi. Eadem de cauſſa ſeditio facta eſt Judæorum, ut refert Flavius de bello Judaico, adverſus Romanos, qui Templi ſanctitatem ſuperſtitionibus læſerant. Et libro primo contra Apionem idem Flavius ſic ait: Quare quamquam & maledictis impeti ſolent (Judæi) a vicinis, advenïſque, & injurioſe ſæpe tractati ſunt a Perſicis Regibus & Satrapis, non poſſunt a ſententia deduci, ſed pro ea maxime omnium, forti animo omne genus cruciatus, ſæviſſimaſque mortes ſubeunt, nec adduci poſſunt, ut patria inſtituta abdicent. Cum aliquando apud Babylonem eſſet Alexander, & vellet is Beli Templum, quod con-

(a) *Lib. 1. cap. 5.*

conciderat, reponere, legitur, ſolos Judæos non opitulatos; immo & verbera & mulctas graves pertuliſſe. Hactenus Flavius.

Videamus modo quid ſcripſerint Ethnici de Gente Hebræa, cum qua conſuetudinem habuerunt. De Hebræis Tacitus ſic (*a*) loquitur: Plurimi auctores conſentiunt, orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret, Regem Bocchorim, adito Hammonis Oraculo, remedium petentem, purgare Regnum, & id genus hominum, ut inviſum Diis — Hieroſolymæ Urbis ultimum excidium traditurus idem Tacitus: Compoſito agmine, cuncta explorans (Romanorum Imperator) paratuſque decernere, haud procul Hieroſolymis caſtra facit. Sed quia famoſæ Urbis ſupremum diem tradituri ſumus, congruens videtur primordia ejus aperire. Judæos Creta Inſula profugos, noviſſima Lybiæ inſediſſe memorant, qua tempeſtate Saturnus vi Jovis pulſus ceſſerit Regnis — Quidam regnante Iſide, exundantem per Ægyptum multitudinem, ducibus Hieroſolymo, ac Juda proximas in terras exoneratam. Plerique Æthyopum prolem, quos Rege Cepheo metus atque odium mutare ſedes perpulerit. Sunt qui tradunt, Aſſyrios convenas, indigum agrorum populum, parte Ægypti potitos, mox proprias Urbes, Hebræaſque terras, & propiora Syriæ coluiſſe. Clara alii Judæorum initia — Profana illic omnia, quæ apud nos ſacra: rurſum apud illos conceſſa, quæ apud nos inceſta. Effigiem animalis, quo monſtrante, errorem, ſitimque depulerant, penetrali ſacravere; cæſo Ariete velut in contumeliam Hammonis. Gens ſuperſtitioni obnoxia; apud ipſos fides obſtinata, miſericordia in promtu: ſed adverſus omnes alios, ſic concludit, hoſtile odium. Item Strabo (*b*) inquit: „ Moſem

 „ im-

(a) *Hiſtor. lib.* 5. (b) *Lib. Georg.* 14.

„ immane adverſus ceteras Gentes odium indixiſſe ; & „ Judæos nihil præter nubes & cœli Numen veneratos. Plutarchus autem in ſympoſio Judæos calumniatur, quod Bacchi ſacra celebrent. Alii, ut (*a*) apud Plinium, Moſem ipſum, tamquam magicæ factionis auctorem calumniati ſunt. Sed & (*b*) Apulejus inter famoſos Magos Moſem celebrat. Hinc Flavius acerbe queſtus eſt, tot maledictis impeti nationem ſuam, ubi (*c*) ait: Quoniam vero multos video, qui maledictis, ſermonibuſque malo animo a quibuſdam jactatis, fidem habeant, eaque, quæ ego de antiquitate ſcripſi, non credant, & recentiorem Gentem noſtram eſſe colligant ex eo, quod nulla ejuſdem mentio facta fuerit apud celebres Græcorum hiſtoricos; quia neque negotiationibus gaudemus, neque eorum cauſſa nobis conſuetudo cum aliis Gentibus eſt. Neque Herodotus, neque Thucydides, nec omnino alius eorum æqualis ſcriptor meminerit, ſed ſero & vix tandem eorum nomen auditum eſt. Idem Flavius (*d*) addit, Hebræorum linguam, & ſcripturas ignotas fuiſſe Gentibus. Verſio enim Sacræ Scripturæ facta eſt Ptolemæi ætate, qui regnavit poſt Alexandrum Macedonem, quod tempus fuit fere extremum Judaicæ Reipublicæ. Scaliger autem, aliique poſt Scaligerum nonnulli ſcripſerunt ante Ptolemæum Philadelphum Græcam Moſis interpretationem exſtitiſſe. Profecto quamquam hoc verum eſſet, quum a tot ſupra recenſitis celeberrimis Græcis Latiniſque ſcriptoribus de Hebræorum ſcriptura nulla omnino mentio facta videatur, conſequens eſt, dictas verſiones apud Gentes, ætate illorum ſcriptorum, non fuiſſe pervulgatas. Quod a Flavio ipſo confirmatur, dum ipſe, ut ſupra, ait: Hebræorum linguam, & ſcriptu-

(a) *Lib.* 30. *cap.* 1. (b) *Apolog.* 2. (c) *In Prolog. lib.* 1. *contr. Apion.*
(d) *Antiq. Jud. lib.* 12. *cap.* 2. *& lib.* 20. *cap.* 18.

Digitized by Google

ſcripturas ignotas Gentibus fuiſſe, quamquam alibi de verſione Græca, regnante Ptolemæo, diſerte ſcripſiſſet. Mirum igitur non videbitur, ſi exteri homines, qui conſuetudinem cum Hebræis habuerunt, non niſi perperam de eorum origine, ac religione ſcripſerint; propterea quod ſero, & vix tandem a Græcis, & Romanis nomen eorum auditum eſt; atque etiam a cunctis Gentibus antiquis & recentioribus, cum quibus Hebræorum conſuetudo interceſſit, diverſæ religionis cauſſa ſpreti, odioque implacabili habiti ſunt.

Quam noſtram ſententiam, ut magis perſpicuam faciamus, maxime eidem favere animadvertimus, quod plurimæ, etiam noſtri Hæmiſpherii regiones priſcis illis temporibus penitus ignorabantur. Antiquorum enim temporum frugalitas fecit, ut populi non eſſent commercii & lucri cupiditate ducti; ita ut cum populis haud longe diſſitis, ſtante idiomatum varietate, inter ſeſe nulla conſuetudo intercederet; aut eſſent omnino ignoti, quos bellum deinde aperuit. Profecto in hoc ipſo noſtro Continenti erant plures Gentes inter ſe ignotæ; nam Germania, teſte (a) Plinio „ multis poſtea annis, nec tota percognita eſt. Tota quippe Germania cognita haud erat ætate T. Veſpaſiani, cui Plinius ſuam inſcripſit hiſtoriam. Item Tacitus, libro de moribus Germanorum, inquit: „ Nuper cognitis „ quibuſdam Gentibus, ac Regibus, quos bellum aperuit. Africa autem meridionalis, Regna orientalia, Sinenſes, Japponenſes, aliæque orientales regiones detectæ fuerunt anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo reparatæ ſalutis, teſtibus Vaſco Gama, Lopes, Maffejo, Cavazio, aliiſque, quos referre ſupervacaneum cenſeo, quum ſit res fere apud omnes vulgata. Magnetici enim

(a) *Lib. 4. cap. 14.*

acus uſu reperto de univerſo Orbe terraqueo facta eſt una cunctarum Gentium civitas, cujus ampliſſimæ Urbis vicos, plateas, domus mente peragravimus, moribus inſtitutiſque attente exploratis; quæ omnium populorum conſuetudo facta eſt, poſt inventum magnetis uſum, de quo Milliet de Chales, in mundo mathematico verba faciens, refert, inventum fuiſſe milleſimo treceteſimo circiter anno Chriſti; magnumque dicit divinæ providentiæ miraculum, ut diſſitæ toto Oceano, & prius ignotæ nationes innoteſcerent, & Chriſtianis ritibus imbuerentur. Poſtquam enim Luſitani fere immenſa navigatione Æquatorem, & Capricorni tropicum prætermenſi, Athlanticum Oceanum, ac tot Inſulas aperuiſſent, magna ingeniorum æmulatione excitata, multi eluxere, qui admirabili Oceani explorandi auſu parem nominis ſplendorem quæſitarunt. Inter hos Chriſtophorus Columbus, natione Genuenſis, Ferdinandi Hiſpaniarum Regis auſpiciis, incredibili navigatione ſuſcepta, ad Fortunatas Inſulas profectus, atque inde vaſtiſſime in Occidentem vela dirigens poſt navigationem triginta dierum ad eas tandem Inſulas pervenit, quas ipſe Hiſpaniolam atque Dominicam nominavit; deinde Americus Veſputius alias Occidentales regiones aperuit, a quo ille novus Orbis Americæ nomen accepit. Succeſſere dehinc alii atque alii, qui interiore navigatione ſenſim plures Inſulas ſcrutabundi invenerunt. Multos poſt annos ex Jucathana Inſula in Continentem tranſgreſſus Ferdinandus Corteſius, Mexicanam terram aperuit, quam Carolo Cæſari, ejus nominis V ſubegit, & univerſam eam terram novam Hiſpaniam appellavit. Poſt hæc paulatim diverſorum inventione regio omnis, majoribus noſtris omnino incognita, tametſi ampliſſima, innotuit.

Ut

Digitized by Google

Ut autem in id deſinat ſermo, unde & initium ſumſit, tantum ſane abeſt, ex hactenus dictis, & infra dicendis, ut celſiſſima principia, divinique cultus rationem ab Hebræis Gentes etiam, quæ cum illis conſuetudinem habuerunt, didicerint; quin ex adverſo, ut ex Scripturis Sanctis, Hebræorum plurimi puritatem religionis ſæpe ſæpius Gentium ritibus labefactaverint. Sed & alii Judæorum, qui cum Græcis, poſtremis Judaicæ Reipublicæ temporibus, ſocietatem inierunt, aut Epicuream, aut Peripateticam Philoſophiam amplexati ſunt. Præterea adverſariorum aſſertio, quæ ex hiſtoricarum numero eſt, certis Gentium, aut ſaltem Hebræorum monumentis fulciri debuerat; At ubi ſunt hæc monumenta, quæ evincant, Gentes de religione ab Hebræis fuiſſe edoctas? Hanc laudem numquam Genti ſuæ dederunt Hebræorum ſcriptores, quod certe feciſſent, tunc maxime, quum religionis cauſſa a Gentibus tot maledictis Hebræorum natio impetebatur. Ex adverſo autem, capite primo hujus libri, uberrime demonſtravimus, in hoc Hebræos, & reliquas omnes nationes convenire, a Deo ipſo, ſive miniſterio Sanctorum Angelorum primos humani generis Patriarchas divinitus edoctos fuiſſe; Deumque docuiſſe rationem colendi ſui; hinc continuata majorum traditione, moribuſque inſerta, religio invecta fuit in quamlibet regionem ab iis, qui primi regionem aliquam incoluerunt, & primas plantationes fecerunt; immo antiquiſſimæ Gentes ſervaverunt ſimplicem Dei cultum, haud illi diſſimilem, quem de primis Patriarchis exhibet Moſes, de quo in libro ſequenti erit ſermo; propterea hac de re adverſariorum ſententiam ad fabulas demandandam eſſe cenſeo. Extremis quoque Reipublicæ Judaicæ temporibus religionis ſuæ arcana Judæi Gentibus occultabant; ſic enim S. Hieronymus,

Præ-

Præfatione in Pentateucum ad Deſideratum, poſtquam expoſuit, multa de Veteri Teſtamento promulgari ab Apoſtolis, & Evangeliſtis, quæ neque in exemplaribus ſeptuaginta Interpretum, neque in translatione Theodotionis ſcripta ſunt, inquit: „ Cauſſas erroris non eſt meum exponere, Judæi prudenti factum dicunt eſſe conſilio, ne Ptolemæus unius Dei cultor, etiam apud Hebræos duplicem Divinitatem deprehenderet; quod maxime idcirco faciebant, quia in Platonis dogma cadere videbantur. Denique ubicumque ſacratum aliquid Scriptura teſtatur de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, aut aliter interpretati ſunt, aut omnino tacuerunt: ut & Regi (hoc eſt Ptolemæo) ſatis facerent, & arcanum fidei non vulgarent. Profecto primigenia traditio, quæ complectitur totum id, quod ad univerſum genus humanum ſpectat, viget & vigebit; quamquam enim apud nonnullas Gentes fabuloſis narrationibus immixta videatur, quod luculenter in libro ſequenti tradetur; hoc tamen non obſtitit, quominus traditio iſthæc apud omnes Gentes, divini luminis veluti ſydus, altum perpetuo tenuerit, & inconcuſſa permanſerit, utpote quæ ſemper habita eſt inter humanæ naturæ ſubſidia, ab optimo Conditore conſtituta.

Quo-

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Quomodo in hominibus conſervatæ ſint rerum notiones, de quibus ſupra dictum eſt, ſtudioſe inquiritur.

IMprimendis in homine cognitionibus rerum, nihil verbis docentium aptius eſt; ad hæc enim percipienda aures ita comparatæ ſunt, ut quidquid eis inſtilles, in phantaſia diſtincte imprimatur, & ab intellectu cognoſcatur. Cuncta etiam, quæ ad ſenſus exteriores appellunt, in illis mirabilibus phantaſiæ ſedibus exacte pinguntur; eaque omnia anima intelligit: quotieſcumque libet ad examen revocat, additque ſua cogitata, quæ & ipſa quoque in phantaſia imprimuntur. Janua noſtræ loquelæ eſt auditus; hinc ſurdus a nativitate mutus eſt. Characteres omnes, quibus humana phantaſia fecundatur, anima probe intelligit; propterea phantaſia omnium noſtrum naturalis liber eſt, naturæ characteribus exaratus; & libri ipſi arte conſcripti, in auctorum phantaſia prius deſcripti erant. Præcipua parentum cura ſtudiumque videtur, ſuis liberis a pueritia religionis dogmata morumque tradere diſciplinam, ac ut ea opere compleant, enixe pueros excitare. Quod autem cunctis parentibus commune videtur, idem de Protoplaſtis dicendum eſt; hinc ea omnia, quæ Adam, tradente Deo, didicerat, rerumque initia, quæ propriis, ut ita dicam, manibus tetigerat, filiis ſuis exacte tradidiſſe; ab his filiis ſuis & nepotibus tradita fuiſſe, quæ eadem methodo ad poſteros traducta, in univerſum denique humanum genus pervulgata ſunt; omnes enim coloniæ, e quibus nationes conflatæ ſunt, primævas traditiones,

nes, in uniuſcujuſque phantaſiæ libro exaratas, ſecum ferebant. Profectò humanum genus comparari poteſt fluvio placide decurrenti; aquæ enim, quæ ſenſim ſine ſenſu ſuccedunt, videntur primæ, quum idem appareat aquarum aſpectus. Idem fere evenit in humana generatione, quamvis quotidie alii naſcantur, alii moriantur, in tot ſæculorum ſerie fere idem in ſingulos dies apparet hominum aſpectus, quamquam tot generationes tranſierint; hinc eodem naturali curſu de generatione in generationem tranſeunt majorum traditiones, quæ ſæculorum omnium ſuffragio, quaſi aquarum ſibi invicem ſuccedentium mole, feruntur.

Moſes ipſe, in teſtimonium veritatis ſuorum Annalium, populi traditiones vocat, ubi ad populum verba faciens, (*a*) ait: „ Memento dierum antiquorum, cogita „ generationes ſingulas. David quoque ad majorum traditiones reſpiciens, (*b*) inquit: „ Memor fui operum „ Domini: & memor ero ab initio mirabilium tuorum. „ Quanta audivimus, & cognovimus ea: & Patres noſtri „ narraverunt nobis — In æternum Domine verbum tuum: „ in generationem, & generationem veritas tua — Deus „ auribus noſtris audivimus: Patres noſtri annuntiaverunt „ nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, & in „ diebus antiquis. Ad hanc primigeniam traditionem, in ſupra citata aurea Proluſione, reſpiciens doctiſſimus Cardinalis Quirinus ait: „ Narrantur enim a Moſe atrocia Iſraelitarum crimina, blaſphemiæ, perduelliones, „ ſeditiones, libidines, quibus quum tota natio ſummo „ dedecore, turpiſſimaque labe notatur, nunquam in hunc „ furorem conſenſiſſent, ut illis Annalibus non humanam „ tantum, ſed divinam auctoritatem adjungerent, ſi quo-

„ quo

(a) *Deuter. cap.* 32. (b) *Pſal.* 76. 77. 118.

„ quo modo ut fabuloſos atque commentitios ejus Annales „ rejicere potuiſſent, eoque magis quod per ipſos non injurioſis tantum narrationibus fidem adhibere, ſed duriſſimæ legis jugo refractaria colla ſubjicere adigebantur. Animadvertens quoque Eruditiſſimus Boſſuetus, Moſem, ad populum loquentem, in medium protuliſſe majorum traditiones, Epit. Hiſt. Univerſ. concludit: „ Moſem texere potuiſſe ſuos Annales majorum traditionibus: additque, legis naturæ tempus ita nuncupatum fuiſſe, eo „ quia cuncta hominum officia ſolis majorum traditionibus, & humana ratione fuiſſent conſtituta. Priſcis enim temporibus in ſolo memoriæ ſinu, tamquam in populorum ſcrinio, ea quæ a primis Patriarchis tradita fuerant, poſteri deponebant. Tempore quoque legis ſcriptæ naturalis traditionum uſus ſervatus eſt; Moſes enim mandavit, ut & ſcriptis mandaretur, & populi memoriæ traderetur canticum, in quo Moſes rerum initia, capita ſumma, & mirabilia Dei opera ſpectanda exhibet, ubi ſic (a) inquit: „ Nunc itaque ſcribite vobis canticum iſtud, „ & docete filios Iſrael, ut memoriter teneant, & ore „ decantent.

Antiquiſſimus autem videtur canticorum uſus, in quibus expreſſa erant ea omnia, quorum memoriam apud poſteros ſervare volebant. Certum eſt, ut diſerte loco ſupra citato tradit V. Cl. Boſſuetus, ab antiquiſſimis canticorum uſum invectum fuiſſe, quæ in frequentioribus hominum cœtibus canebantur, ne mirabilium memoria paulatim obliteraretur; unde Poeſis origo, variis modis inde mutatæ: antiquior autem ea eſt, quæ adhuc exſtat in antiquorum canticis, & odiſſeis. Apud Iſraelitas quoque canticorum uſum viguiſſe manifeſtum eſt; nam Moſes, in-

(a) *Deuter. cap.* 32.

quit Boſſuetus, initium tantum plurium canticorum nominat, quum illorum reliquum jam notum eſſet populo: demum concludit, Moſem ipſum duo cantica compoſuiſſe. Flavius (a) teſtatur „quod ſuo etiam ævo Levitæ in ſo„ lemnitatibus Hymnos canebant. Apud reliquas quoque Gentes canticorum uſus frequens fuit. Cæſar in ſexto de antiquis Gallis inquit: „ Magnum ibi numerum verſuum „ ediſcere dicuntur; itaque nonnulli annos vicenos in di„ ſciplina permanent; neque fas eſt ea litteris mandare, „ & minus memoriæ ſtudere, qui exercentur in litteris. Hinc Plinius (b) vocat „ memoriam, neceſſarium maxi„ me vitæ bonum. Licurgus antiquiſſimus Spartanorum legislator in prima lege vetuit, ne ſuæ leges ſcriptis mandarentur; dicebat enim, ad perpetuitatem ſatis eſſe, ut memoriæ, & uſui traderentur, teſte Plutarcho in vita Licurgi. Tacitus libro de moribus Germanorum, ſic ait: „ Celebrant Germani carminibus antiquis (quod unum „ apud illos memoriæ, & Annalium genus eſt) Tuiſto„ nem Deum, terra editum, & filium Mannum, origi„ nem Gentis, conditoreſque. Cavazius (c) refert, Æthyopes rerum mirabilium memoriam ſervaſſe poeticis quibuſdam canticis, quæ in cœtibus recitant. De Sinenſibus Picarcus (d) tradit, Poeſis & canticorum antiquiſſimum apud Sinenſes uſum fuiſſe, & adhuc vigere, quæ tamen cantica nullis referta ſint fabulis, contra ac Græcorum, & Romanorum Poemata. Additque antiqua Sinenſium cantica, in ſuis libris deinde exarata, religionis myſteria, illiuſque Regni hiſtoriam exhibere. Idem Picardus (e) de Mexicanis refert, in ſuis canticis, quæ in Templis canebantur, expreſſa fuiſſe rerum initia, religionis arcana, & præ-

(a) *Lib.20.Antiq.Jud.cap.17.* (b) *Lib.7.cap.24.* (c) *Lib.1.n.336.*
(d) *Tom.2.de Sinenſ.relig.* (e) *Tom.1.de Mexic.*

Digitized by Google

præcipua Mexicani Imperii monumenta. Petrus Martir in compendio Indiarum occidentalium refert, quod in Americanis regionibus pueri memoriter ediſcunt cantica, in quibus explanata ſunt rerum initia, atque incrementa, ea quæ ad religionem ſpectant; quæque memorabilia bello, aut pace acta ſunt. Theodorus de Bry (*a*) addit, cantilenas apud Americanos Annalium genus eſſe. Quæ cantilenæ, referente (*b*) Oviedo, in feſtis ſolemnibus canuntur.

In ſubſidium memoriæ ab antiquiſſimis quædam ſigna excogitata fuerunt, quibus majorum notiones, ſcientiæ, & artes poſteris indicarentur. Horum ſignorum, quæ hieroglyphica nuncupantur, origo a Flavio filiis Seth tribuitur; teſtaturque (*c*) unam ex his columnis cum hieroglyphicis inſcriptionibus ſuo tempore adhuc exſtitiſſe. Strictim referam ea, quæ uberrime congeſſit hac de re celeberrimo opere Warburtonus: oſtendit antiquitatem hieroglyphicæ ſcripturæ; animadvertit varia a Gentibus adhibita fuiſſe ſigna in explicandis iiſdem rebus; hancque methodi varietatem ab idiomatum varietate ortum habuiſſe demonſtrat; intelligentia enim, inquit, hieroglyphicorum viam referat ad intelligentiam antiquorum idiomatum, ac antiquæ Gentium ſapientiæ. Deinde exhibet varia hieroglyphicæ ſcripturæ monumenta, e. g. antiqui Ægyptii res corporales propriis naturalibus figuris exprimebant; humanas autem ideas, & incorporeas ſubſtantias, reſque, quæ ſub ſenſus non cadunt, ſignis ſymbolicis exprimebant. Profecto in Ægyptiorum Pyramidibus, columnis, aliiſque marmoreis monumentis, noſtro quoque ævo exſtantibus, ſpectanda exhibetur antiqua Ægyptiorum ſcribendi methodus, ac eorum antiqua ſapientia; quidque de Deo, de

(a) *Tom. 2. part. 4.* (b) *Lib. 5. cap. 1.* (c) *Lib. 1. cap. 3. Antiq. Jud.*

rerum initiis, de Angelis, & Dæmonibus ſentirent, in ſymbolis expreſſum eſt. Similiter apud Mexicanos hieroglyphica ſcriptura vigebat, & viget: de angue in girum converſa, variis conſperſa maculis, unde aſtrorum motus deſignantur, ſupra locuti ſumus: plures inſuper minores circulos complectitur, quibus appoſitæ figuræ, ac alia ſymbola demonſtrant temporum, ac Regum ſuorum ſeriem, res geſtas, aliaque memorabilia, quorum memoriam perire nolunt. Aliis quoque tabellis, hieroglyphicis impreſſis, Mexicanos uti, quarum unam in Bibliotheca Britanici Regis ſervari, idem Warburtonus teſtatur; & Mexicanos noſtro quoque ævo eadem hieroglyphica ſcriptura uti.

Quoniam autem antiquiſſima hæc ſimplex, res ſignificandi ars, difficilis viſa eſt, præſtantiora ingenia aperuerunt aliam methodum, qua facilius res indicarentur; hinc Ægyptii aut ex circumſtantiis ſubjecti, aut ex inſtrumento reali, ſive metaphorico, aut ex ideis, quæ aliquam intrinſecam, ſive extrinſecam relationem cum ſubjecto haberent, ſymbolicam ſcripturam compoſuerunt: propterea ſi certamen ſignificandum erat, duas manus efficiebant, quarum una arcum, ſcutum altera tenebat: ſi Deum Univerſi Creatorem exprimere volebant, ingentem ſtatuam fingebant ex ore ovum emittentem: ſi Deum Univerſi Moderatorem, navi, ac nauta indicabant. Ex aliqua etiam naturali figura, quæ aut vere ab ipſa natura ita facta eſſet, ſive talis putaretur, ſimile quidpiam ſignificabatur: quamobrem ſi e. g. quis ſilentii ſervator exprimendus erat, fingebatur locuſta, quæ credita eſt lingua carere: ſive a naturali aliqua figura alterius rei ſignificatio ducebatur; unde ex oculo, ſceptroque Rex indicabatur.

Ad indagandam Sinenſium ſcripturam Warburtonus, tranſiens, animadvertit, characteres quibus nunc Sinenſes

utun-

Digitized by Google

utuntur, quantumvis multum ab eorum antiquiſſimis hieroglyphicis diſtent, ab illis tamen originem duxiſſe. Re vera, inquit, in Sinenſium verbis continentur imagines, quas olim hieroglyphica exprimebant; hinc deducit hieroglyphicam ſcripturam, vel prima mundi ætate, aut a natura eſſe profectam; quoniam inter verba, ac hieroglyphica nihil intereſſe videtur. Antiquiſſima Sinenſium hieroglyphica propriis figuris exprimebantur; deinde ſymbolica, demum compoſita ſubſtituta fuerunt; hæc autem ſunt captu difficiliora, quum occulta myſteria complectantur. Antiquiſſima hieroglyphica ſimpliciter, & ſine involucro naturalibus figuris componebantur: ſymbolica ab abditis rerum qualitatibus ſumebantur: compoſita, ſeu mixta ex propriis naturalibus, & ſymbolicis conſtant. Hactenus Warburtonus. Quum autem Sinenſes ad quodlibet vocabulum hieroglyphicum proprium aptaverint, eorum characteres milleſimum ſexageſimum numerum excedunt, teſte (a) Salmonio. P. Premarius in examine libri Abbatis Renaudot animadvertit, quod quamvis hieroglyphica Sinenſium ſimpliciora, & faciliora videantur, ſi ratio habeatur ſymbolicorum apud Ægyptios; nihilominus ab illis Ægyptiaca ſymbola, in ſignificandis ſublimioribus ideis, atque ſubſtantiis, quæ ſub ſenſus non cadunt, longo intervallo ſuperentur. Fochio primo Imperatori, referente (b) Picardo, Sinenſes tribuunt hieroglyphicorum translationem in characteres, quibus nunc quoque in ſcripturis utuntur. Idem Picardus refert ſcripturas hieroglyphicas antiquorum Perſarum, & aliarum nationum; quum autem fere communia videantur, de iis verba facere ſupervacaneum cenſeo.

Ex animalium, ſequitur Warburtonus, plantarum, & reli-

(a) *Tom. 1. cap. 6.* (b) *Tom. 2. in notis ad Fochium.*

reliquarum rerum figuris ſymbolica ſcriptura conſtruebatur, quemadmodum in Pyramidibus inſculpta cernuntur, in quibus antiquorum doctrina, ac hiſtoria legitur. Porro ex animalium figuris, e quibus ſymbola componebantur, rerumque ideæ, & ſpirituales ſubſtantiæ expreſſæ erant, aliqui putant, ab Ægyptiis animalia culta fuiſſe; longe tamen aliud ſymbola illa ſignificabant, analogice enim ſumebantur, ex. gr. in agno manſuetudinem, in vitulo, aut bove fecunditatem, in cane fidelitatem exprimebant. Ante Urani regnum ab Ægyptiis hieroglyphica in marmore incidebantur; Uranus primus inventor fuit, ut etiam in tabulis pingerentur: hæc ars pingendi ſuam perfectionem acquiſivit regnante Thot, qui eſt Mercurius Ægyptiacus. Alia erat hieroglyphica ſcriptura ſymbolica apud Ægyptios, quæ arcana vocabatur, ſolis Sacerdotibus cognita, quæ myſteria populo non evulganda complectebatur. Hinc Warburtonus concludit, tempore Caſti Joſephi, Jacobi filii, in Ægypto fuiſſe artem ſymbolica hieroglyphica pingendi. Hoc loco addere placet, quod Plutarchus de arcana Sacerdotum Ægyptiorum Philoſophia, libro de Iſide & Oſiride, tradit. „ Qui autem, inquit, e „ bellicoſis creabatur Rex, ſtatim ſe Sacerdotibus dabat, „ ac Philoſophiæ fiebat particeps, pleraque fabulis occul- „ tata ac obſcura, veritatis indicia & argumenta habenti- „ bus, quod ſane ipſi declarant. De ſcriptura hieroglyphica Tacitus ſic (*a*) inquit: „ Primi per figuras anima- „ lium Ægyptii ſenſus mentis effingebant; & antiquiſ- „ ſima monumenta memoriæ humanæ impreſſa ſaxis cer- „ nuntur. Alii vero ſymbolicam ſcribendi rationem a Phœnicibus originem habuiſſe crediderunt; hinc Lucanus (*b*) ſic cecinit.

Phœ-

(a) *Annal. lib.* 11. (b) *Lib.* 3.

Digitized by Google

Phœnices primi, ſi famæ creditur, auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.
Nondum flumineos memphis contexere biblos
Noverat, & ſaxis tantum volucreſque, feræque,
Sculptaque ſervabant magicas animalia linguas.

Moſes autem ipſe eruditus fuiſſe dicitur in omni Ægyptiorum ſapientia, quæ hieroglyphicis notis continebatur, ut ex Philone, Diodoro Siculo, & Clemente Alexandrino, apud (*a*) Bebelium. De vetuſtiſſima conſuetudine ſignandi ſaxis animi ſenſa ſic Plinius (*b*) inquit: „ In altera (hoc eſt Inſula maris rubri) ſtellæ lapideæ lit„ teris incognitis. Alibi (*c*) idem Plinius: „ E diverſo „ Epigenes apud Babylonios ſeptingentorum viginti an„ norum obſervationes ſyderum coctilibus lateribus inſcri„ ptas docet, gravis auctor in primis. Qui minimum Be„ roſus, & Critodemus quadringentorum octoginta anno„ rum; ex quo apparet æternus litterarum uſus.

Ex difficultate autem percipiendi ea, quæ tot hieroglyphicorum tegumentis occulebantur, perſpicacioribus ingeniis occaſio præbita fuit, Alphabeti methodum inveniendi, cujus admirabili artificio quidquid mente concipitur, dilucide ac faciliter exaratur. Quinam vero Alphabeti inventores fuerint, in quæſtionem revocatur. Alii ab Ægyptiis, ut Gellius: alii a Syris Alphabeti uſum repertum dicunt. Plinius autem (*d*) inquit: „ Litteras ſem„ per, arbitror, Aſſyrias fuiſſe. V. Cl. Fabricius de antiquiſſima ſcribendi ratione verba faciens, mentionem (*e*) facit de quodam libro, cui titulus erat, Sepher - Jetzira, hoc eſt de Creatione Mundi. „ Hujus libri auctor, in„ quit Fabricius, ab antiquis Rabinis Abrahamus diceba„ tur.

(a) *De Eccl. antid.* § 1. (b) *Lib.* 6. *cap.* 29. (c) *Lib.* 7. *cap.* 56.
(d) *Lib.* 7. *cap.* 56. (e) *Cap.* 108. & *cap.* 169.

„ tur. Apud Phœnices etiam antiquiſſimus Alphabeti uſus „ fuit, a quibus Chananæos hanc ſcribendi methodum di- „ diciſſe fertur, & ex eo colligitur, quod a Joſue de ſuis „ ſedibus expulſi, in Africam profecti, inquit idem Fa- „ bricius, duas poſuerint columnas, in quibus litteræ Phœ- „ niciæ inſculptæ erant; quarum interpretatio eſt: Nos illi „ ſumus, qui prædonem effugimus Joſue Nave Filium. Procopius (*a*) addit, quod ſuo ævo adhuc illæ columnæ exſtarent. Flavius de Græcis ſic (*b*) loquitur: Iidem ſero admodum & vix tandem litterarum naturam didicere. Nam qui vetuſtiſſimum illarum uſum eſſe volunt, eas illi ſeſe a Phœnicibus, atque a Cadmo accepiſſe gloriantur — Neque ſcriptum omnino apud Græcos, cujus de fide modo conſtet, Homeri poeſi antiquius invenias, at eum poſt Trojana tempora natum eſſe nemo non fatetur; immo ne ab ipſo quidem litteris ſuam illam poeſin mandatam eſſe ferunt, ſed poſterorum memoria propagatam, aliquandiu variis ex cantilenis collectam, demum & contextam fuiſſe. Quod apud Ægyptios quidem, & Babylonios ex longiſſimis retro ſæculis in rebus conſcribendis adhibita fuerit diligentia, quando Sacerdotibus quidem commiſſum erat. Hactenus Flavius. Apud Herodotum (*c*) legitur: „ Phœ- „ nices, qui cum Cadmo advenerant, litteras in Græciam „ introduxiſſe. Plinius loco ſupra citato inquit: „ Utique „ in Græciam litteras attuliſſe fertur, e Phœnice a Cadmo „ ſexdecim numero; quibus Trojano bello Pallamedem quatuor adjeciſſe; totidem poſt eum Simonidem Melium: „ quarum omnium vis in noſtris recognoſcitur. Ariſtoteles „ decem & octo priſcas fuiſſe ſcribit, & duo ab Epi- „ charmo additas. Evandri Peloponeſiaci opera, referente

(a) *Lib. 2. de bello Vand.* (b) *Lib. 1. contra Apion.*
(c) *Lib. 5. Hiſtor.*

te (*a*) Halicarnaſſeo, alphabeti uſus ad Italos pervenit. Tacitus autem ſic (*b*) inquit: „ In Italia Etruſci ab Co„ rinthio Damarato, Aborigenes Arcade ab Evandro lit„ teras didicerunt, a quibus poſtea ad Romanos pervene„ runt; initio quidem paucæ, & aliæ deinde additæ, ut „ viginti quatuor numerum explerent. Hinc, ut ait (*c*) Livius „ Evander miraculo litterarum inter Cœlicolas ad„ ſcriptus fuit. Warburtonus animadvertit, quod facilitas, quam præſtant alphabeti characteres in ſcribendo, omnes nationes allicere debuiſſet; nihilominus uſus iſte noſtro quoque ævo non eſt ab omnibus receptus: ab aliquibus ob ignaviam: ab aliis ob nimiam venerationem, quam pro antiquiſſimis uſibus habent; propterea priſcam hieroglyphicam ſcripturam ſervant; inter quos culta Sinenſium natio recenſetur.

Plura de hieroglyphicis, & alphabeti litteris congeſſit Huetius, quæ ſtrictim referam. Alphabeti, (*d*) inquit, litteræ Phœnicibus innotuerunt proximis Moſi temporibus, ut patet ex Sanchoniatonis Beritii opere, antiquiſſimi Phœnicarum rerum ſcriptoris, quem Trojanis vetuſtiorem fuiſſe temporibus, & Moſe uno, alterove ſæculo recentiorem, ex Phœniciæ Regum ſucceſſionibus probari ſcribit Porphyrius. Sanchoniatonis opus e lingua Phœnicum græce reddidit Philo Byblius, unde nonnulla excerpit Euſebius, & libris ſuis de Evangelica Præparatione intexuit; Sanchoniatonem autem Taauti libros evolviſſe, quem, ut fertur, fuiſſe litterarum alphabeti repertorem, & primum commentaria reliquiſſe, ab eoque ſumſiſſe Sanchoniatonem ſcribendi argumentum. Quæſitu autem dignum eſt, quid fuerint illæ Mercurii columnæ, quibus ad

 Phi-

(a) *Lib.* 4. (b) *Annal. lib.* 11. (c) *Lib.* 1. *Decad.* 1.
(d) *Propoſ.* 4. *cap.* 2. 3. & 6.

Digitized by Google

Philoſophiam velut magiſtris uſi ſunt Pythagoras, Plato, & alii. Sciendum eſt, ſubdit Huetius, ante repertum papyri uſum, ſaxis veteres animi ſenſa ſignaſſe. Vetuſtiſſima fuit hæc conſuetudo apud Phœnices & Ægyptios. Diſerte id docent Herodotus, Strabo, Lucanus, Proclus, & Ariphanis ſcholiaſtes; quorum loca, & dicta ibidem refert Huetius. Mos ille diu perſeveravit, etiam poſt inventam papyrum, præſertim ſi quid vulgo notum eſſe vellent, vel poſteris. Eximia generis hujus monumenta exſtabant olim in Ægypto, quæ a Diodoro deſcripta ſunt. Mirabiles imprimis fuere ſubterranei quidam ſeceſſus, prope Thebas Ægyptias, quos Syringes appellabant, magno labore excavati, veteribus memorati, Ammiano præcipue, qui eorum parietibus hieroglyphicas litteras inculptas fuiſſe perhibet ante Diluvium, a Viris, qui priſcorum rituum rationem ad poſteritatis memoriam commendarunt. Inſignes horum operum reliquias ad noſtram ætatem ſupereſſe viatores teſtantur. Vetuſtiſſimæ duæ memorantur a Diodoro columnæ, ad Iſidis & Oſiridis ſepulcra ſacris litteris ſignatæ. Inde columnis in Tingitana erectis Phœnices ſe a Joſua patria exterminatos adſcripſerunt. Inde columnæ Amphictyonum, Olympionicarum, & Ducum victorum. Refert Plutarchus tria Epigrammata, ab Athenienſibus inciſa Hermis, poſt res ad Strymonem a Cimone præclare geſtas. Hermas illos, Mercurii columnas recte appelles. Sic enim proprie dicebantur ſimulacra Mercurii: & ſic quoque baſes quadratæ, quibus aliorum Deorum capita imponebantur. Hinc & eæ, quibus fœdera incidebantur: velut illa, cui leges fœderis Romanos inter & Latinos, icti Servius Tullinius impreſſit; & illa Amarynthia Straboni memorata, quarum columnarum frequentem fuiſſe apud veteres uſum ſcripſit Strabo. Talis fuit & celebris illa, in Iſthmo Corinthiaco a The-

a Theſeo collocata. Talis fuit & quam Rhegini in litore poſuerunt. Plurima hujuſmodi ſuppeditat liber inſcriptionum Gruteri. At nihil hoc in genere marmora Oxonienſia æquiparare queat; quibus inſigniores priſcorum Græcorum epochæ, fœdus Smyrneorum & Magnetum, aliaque egregia vetuſtatis monumenta inſcripta ſunt. Quibus lapides deerant, ut Babylonii, hi lateribus utebantur. Coctilibus quoque laterculis ſiderales plurimorum annorum obſervationes inſcripſiſſe eoſdem, docet gravis auctor Epigenes apud Plinium. Quem morem retinuiſſe Ptolemæum, cum obſervationes ſuas in cippis incideret, teſtificatur Olympiodorus in Phœdonem. Ut ſileam de gemina hac columna, lapidea altera, altera lateritia, cui Sethi nepotes aſtronomica præcepta, ſi Joſephum audiamus, inciderunt, quas ſua ætate in Syriade manſiſſe affirmat. Euſtachius in Hexæmoron fuiſſe eas ſcribit, in terra Seriad ad ſua uſque tempora. Tradunt autem Euſebius, & Gregorius Syncellus, columnas ſacris notis inſcriptas a Thoyth, ſive primo Mercurio, in ſeriadica terra fuiſſe poſitas, ac deinde ex ſacra lingua in Græcam eſſe translatas, ex ſacris Ægyptiorum penetralibus concluſas ab Agathodæmone, ſive altero Mercurio, Tati patre. Videntur certe columnæ illæ principia mundi, juxta Moſaicam hiſtoriam, eſſe complexæ; atque inde petita eſſe, quæ ſacris Ægyptiorum libris continebantur, ſubnexis tantum ſequentis ævi geſtis. Publica autem conditi fuerant auctoritate libri, & in tabulariis ſervati; unde commentaria ſua Manethos deſcripſit. Eſt & apud Jambilichum, Bitin prophetam Ammoni Regi, quædam eſſe interpretatum ex Mercurialibus libris, quos in adytis Saitici Templi ſacris litteris exaratos repererat: hos in Græcam linguam ex Ægyptia converſos eſſe, Mercuriales dicti ſunt libri iſti, quod ex Mercurii columnis eſſent delibati.

Quoniam autem illi libri Ægyptiorum ex columnis Mercurii fuerant excerpti, idcirco ex columnis Mercurii eruditi dicebantur, quibus facta fuerat librorum illorum copia, & ex columnis Mercurii petita itidem dicebantur, quæ ex myſticis illis voluminibus fuerant collecta. Id oſtendit Epiſtola Manethonis ad Ptolemæum Philadelphum, in qua compilaſſe ſe fatetur ſcriptos a proavo ejus Mercurio, poſteriore videlicet, libros. Sinica vero ſcribendi ratio hieroglyphicæ Ægyptiæ perſimilis, cujus apud utramque gentem egregia monumenta in ſpeluncarum ſaxis conſignata ſunt; Myſtici quoque Indorum characteres, quorum ſpecimen ex Johanne Lucena exhibet Kircherus in Prodmo Copto. Cum autem gentium origines ab orbe condito Sanchoniathon vellet cognoſcere, Taauti antiquiſſimi commentarios conſuluit, quibus coſmogonia continebatur. Hactenus excerpta ex celeberrimo Huetii opere.

Ex dictis igitur liquido apparet, naturalem omnium librum memoriam eſſe. Profecto ea, quæ majorum, & æqualium noſtrorum narrationibus percipimus, traditiones appellantur; traditionum autem vis longe excellit adjumenta cuncta ab arte reperta: cantica enim, ſive ſcripturæ hieroglyphicis, aut alphabeti litteris exaratæ, in ſubſidium quidem ſunt naturalium facultatum, & per hæc admirabili quodam modo phantaſia fecundatur; ſed ad horum omnium intelligentiam, neceſſe eſt, ut præcedat oralis idiomatum, ſignorum, & litterarum inſtructio, quæ phantaſiæ impreſſa, idoneos nos reddit, ad percipienda ea, quæ ſcripturis ſignificantur; hinc fit, quod ii, qui canticorum idiomata, ſive ſignorum vim non didicerunt, nullatenus illorum ſenſum percipiant. Præterea ad hiſtoriæ fidem adſtruendam, ſi ſcriptor rebus geſtis non interfuerit, opus eſt narrationem texere traditione, & teſtimonio illorum,

qui

Digitized by Google

qui interfuerunt. Quapropter, ut de rerum veritate conſtaret, quas D. Lucas ſcripturus erat, ita in Exordio ſui Evangelii inquit: „ Quoniam quidem multi conati ſunt „ ordinare narrationem, quæ in nobis completæ ſunt, re- „ rum; ſicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi vide- „ runt, & miniſtri fuerunt ſermonis, viſum eſt & mihi „ aſſecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi „ ſcribere, optime Theophile. Tanta autem traditionis vis eſt, ut libri ipſi genuini, & ſcripti eo tempore, & ab eo auctore, quo dicuntur ſcripti, a continuata traditione tales credantur. Unde axiomate primo Demonſtrationis Evangelicæ ait Huetius: „ Liber eſt genuinus, qui genuinus „ eſt habitus ab omnibus proxime, & continuata ſerie ſe- „ quentibus ætatibus. Hoc axioma, ſi quis vocaverit in „ controverſiam, jam certum nihil habebit in litteris. Cæ- „ ſaris commentarios genuinos eſſe, non aliunde ſcio, „ quam ex proxime conſequentium ætatum, aliarumque „ iis ſuccedentium teſtimonio. Auguſtinus quoque adverſus Fauſtum Manichæum, adulteratos eſſe Novi Teſtamenti libros fingentem, hoc ipſo axiomate pugnabat. „ Platonis, inquit (a), Ariſtotelis, Ciceronis, Varronis, „ aliorumque ejuſmodi auctorum libros unde noverunt ho- „ mines, quod ipſorum ſint, niſi ex eadem temporum ſi- „ bimet ſuccedentium conteſtatione continua? Unde con- „ ſtat, quid cujuſque ſit, niſi quia in alios atque alios con- „ tinuata notitia, latiuſque formata, ad poſteros etiam uſ- „ que ad noſtra tempora pervenit; ita ut interroganti „ cujus quiſque liber ſit? non hæſitamus, quid reſponde- „ re debeamus.

Quoniam autem nonnulli eruditi Viri, ignorantes id, quod anticipatum omnibus a natura eſt, quodque animadver-

(a) *Lib. 33. cap. 6. de C. D.*

Digitized by Google

madvertenti facile ſe prodit; ſed & neſcientes antiquiſſimam ſcribendi rationem, nihil ſoliciti ſciendi ea, quæ obſoleta videntur, irrident orales traditiones, a natura ipſa inſtitutas, & antiquam Gentium doctrinam; propterea neceſſe fuit his de rebus copioſius dicere, ut eluceſceret, eadem omnino via, ac methodo cum apud Hebræos, tum apud reliquas omnes nationes viguiſſe, & vigere firmas perſuaſiones, de quibus hoc libro uberrime diſſeruimus; & præcipue de his: Unum ſcilicet eſſe Deum, Univerſi Creatorem, Moderatoremque; legum latorem, ac vindicem: præterea ſpectandam exhibuimus omnium populorum perſuaſionem de animorum humanorum immortalitate, de judicio poſt mortem, de præmiis pœniſve in futura vita. Itaque ſive hæc omnia orali traditione Parentum ad filios memoriter impreſſa, & canticis cuſtodita dicantur; quæque hieroglyphicis, & ſymbolis erant indicata: ſive ex his omnibus, aliiſque auxiliis perpetuata apud omnes Gentes velint alii, quidquid dicant, facile concedemus. Reliquum eſt, ut oſtendamus, in craſſioribus quoque idololatriæ tenebris notiones, de quibus ſupra dictum eſt, nequaquam fuiſſe obliteratas, quum in officiis cunctorum populorum influxum habuerint perpetuum, quod mox demonſtrare aggredior.

DE

Digitized by Google

DE JURIS DIVINI, ET NATURALIS ORIGINE

LIBRI TERTII.

CAPUT I.

De vera religione, ejuſque continuata ſucceſſione.

CONSTARE jam ſatis arbitror ex iis, quæ libro ſuperiore diſſeruimus, propoſitum a nobis ſyſtema; attamen ut magis ejuſdem veritas eluceſcat, noſtri muneris ac penſi erit, ea in medium proferre, quibus manifeſtius appareat, capita ſumma a mundi primordio ortum habuiſſe, & in quibuslibet populis ad noſtram uſque ætatem jugiter perduraſſe, ex quibus religio conflatur, & tota divini cultus ratio pendet. Hinc neceſſe mihi viſum eſt, de vera religione, & continuata ejus ſucceſſione prius diſſerere; deinde ad Ethnicorum religiones progredi, ut inter utramque collatione facta, oſtendatur quænam ſimilitudo, aut diſcrepantia intercedat; ut quod utrique populo, hoc eſt Dei & Ethnico commune repertum fuerit, id pro primo, & vero teneatur. In progreſſu hujus operis demonſtrabimus, ſuperſtitionem, & idololatriam nihil aliud eſſe, niſi vana hominum commenta, & quædam humanæ ignorantiæ additamenta, diabolica fraude invecta. Quæ qui-

dem appendices aliqua ex parte veræ religionis integritatem corruperunt; quod autem ejus intimum, ac peculiare eſt, minime abrogare, aut diſſolvere potuerunt, ut penitus interciderit.

Exordiar itaque a vera religione, quæ res ſolum veras ad credendum propoſitas habet, & præſcribit divini cultus rationem. Porro cultus, qui ſoli Deo debetur, dividitur in interiorem & exteriorem. Cultus exterior ab interiore originem ducit, quum alter alterius ſignum ſit. Hujuſce ſtructuræ baſis eſt fides, divina auctoritate nixa, complectens ea omnia, quæ a Deo vere revelata ſunt; unde & firma perſuaſio nuncupatur, quum ipſa humana irrefragabili ratione duce hoc ſciamus, Deum neque decipi, neque decipere poſſe: quod quidem æquum juſtumque axioma apud Ethnicos quoque omnes locum habet; hinc ſcriptum eſt, quod juſtus ex fide vivit; fides autem ſine operibus mortua eſt, & probatio vivæ fidei exhibitio eſt operis; neceſſe quippe eſt, ut homo voluntati Dei vivat; ille autem non vivit Deo, qui ei in ſua voluntate contradicit. Interior igitur Dei cultus reſidet in mente, qua ſummum æternumque Numen omnium bonorum largitorem pie ſanctèque veneramur, illique laudes, preces, grateſque ex animo fundimus; eique ſoli religioſe ſerviendum eſſe proteſtamur; quod eſt verum animi ſacrificium. Hæc fuit interior antiquorum Patriarcharum religio, in Moſaicis Annalibus exarata, quam Moſes repetiit, ubi ſic (a) inquit: „ Quid Dominus Deus tuus petit a te, „ niſi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in „ viis ejus, & diligas eum, ac ſervias Domino Deo tuo „ in toto corde tuo, & in tota anima tua. Hanc primigeniam cœleſtem doctrinam repetiit, ac reſtauravit Mundi

(a) *Deuter. cap.* 10.

di Redemptor (*a*) his verbis: „ Dominum Deum tuum „ adorabis, & illi ſoli ſervies.

Etenim tanta eſt omnipotentis Dei Majeſtas, ac præſtantiſſima natura, a reliquarum ſpecie diſſimillima; propterea ut aliquam Divinæ naturæ ideam Iſaias exhiberet, de Deo ſic (*b*) ait: „ Omnes Gentes quaſi non ſint, „ ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & inane reputatæ „ ſunt ei. Hinc Apoſtolus ad Galatas capite quinto ſic „ ait: Nam ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cum nihil „ ſit, ipſe ſe ſeducit. Quidquid enim præclari eſt in om- „ nibus, a Deo acceperunt. Deum porro adorant, & ſerviunt ei Angeli Sancti, Patriarchæ, Prophetæ, juſtique omnes eodem ſervitutis cultu Deum coluerunt: & ipſa Redemptoris mater juſtitiæ præſefert inſigne, ubi ſe eſſe ancillam Domini palam profitetur. Quod autem in hominum animos deſcendere poteſt, ut aliquatenus immenſæ naturæ ideam percipere valeamus, exemplum Redemtoris eſt, qui ſe ſubjiciens æterni Patris ſui voluntati, flexis genibus ſic (*c*) orabat: „ Pater non mea voluntas, ſed „ tua fiat. Quoniam vero interior cultus intimum mentis ſacrificium eſt; ideo ab hominibus ita præſtandus eſt cultus iſte ſervitutis, ut ſe totos ex animo Dei arbitrio, ac voluntati offerant, tamquam hoſtiam viventem, Sanctam, & Deo placentem, quemadmodum Apoſtolus (*d*) docet.

Duplici modo ſervitutis cultus a magno Auguſtino deſcribitur: alter, (*e*) inquit, ſoli Deo debetur: alter qui & hominibus propter Deum præſtatur. Ille eſt Divinitati, vel, ſi expreſſius dicendum eſt, Deitati debitus cultus, ad quem uno verbo ſignificandum, quoniam mihi ſatis

 ido-

(a) *Lucæ cap.* 4. (b) *Iſa. cap.* 40. (c) *Luc. cap.* 22. (d) *Ad Rom. cap.* 12. (e) *Lib.* 10. *cap.* 1. *de C. D.*

Digitized by Google

idoneum latinum vocabulum non occurrit, græcum uſurpare neceſſe eſt. Latriam quippe noſtri, ubicumque ſanctarum ſcripturarum poſitum eſt, interpretati ſunt ſervitutem. Sed ea ſervitus, quæ debetur hominibus, ſecundum quam præcipit Apoſtolus, ſervos Dominis ſuis ſubditos eſſe debere, alio nomine græce nuncupari ſolet, Dulia. Latria vero ſecundum conſuetudinem, qua locuti ſunt, qui nobis divina eloquia tradiderunt, aut ſemper, aut frequentiſſime ea dicitur ſervitus, quæ pertinet ad colendum Deum. De illa autem ſervitute, Dulia nuncupata, inquit Apoſtolus: Filioli, obedite parentibus veſtris in Domino: Servi, obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto: non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſervientes, ſicut Domino, & non hominibus, ſcientes quoniam unuſquiſque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, ſive ſervus, ſive liber — Si tantummodo cultus ipſe dicatur, non ſoli Deo deberi videtur; dicimus enim colere ipſos homines, quos honorifica vel recordatione, vel præſentia frequentamus: nec ſolum ea, quibus nos religioſa humilitate ſubjicimus; ſed quædam etiam, quæ ſubjecta ſunt nobis, coli perhibentur. Hactenus Auguſtinus. Porro cultus exterior, interioris ſignum eſt; propterea Deo cultus rite exhibitus, acceptus eſt, ubi procedat e corde puro; unde ad oblata Caini munera non reſpexit Deus, quum invido animo terræ fruges obtulerit; acceptumque fuit Abelis de primogenitis gregis ſui ſacrificium, quod a corde innocente oblatum Deo fuerat. Moſes deſcribens in ſuis Annalibus ſuarum Gentium Patriarcharum cultum, ſub dio ſimplici extructa ara peractum fuiſſe, oſtendit; qui ſimplex ritus

ad

ad reliquas antiquiſſimas Gentes pertranſiit, de quo aptiori loco habendus eſt ſermo. Quoniam autem antiquiſſimam, ſimplicemque divini cultus rationem ſubſequens ſuperſtitio corruperat, Deus elegit populum, qui puritatem divini cultus ſervaret, & ſermonum Dei fidelis depoſitarius & cuſtos eſſet. Ne autem populus electus idololatriæ labe pollueretur, Deus præcepit Moſi, ut Iſraelitico populo novos ritus traderet, qui ex adverſo a ſuperſtitioſis Gentium ritibus diſcreparent; retento tamen aræ, ſacrificiorum, & oblationum more, quo antiquiſſimi Patriarchæ in peragendis ſacris utebantur; ſacrificia enim cum legis naturæ, tum ſcriptæ promiſſum humani generis Redemptorem ſignificabant; quo tamen conceſſo ceſſare debebant, novique ritus ſubſtituendi erant, qui jam conceſſum demonſtrarent.

Profecto veræ Religionis ſucceſſio apud Chriſtifideles a pluribus eruditiſſimis Viris apertiſſime demonſtrata eſt, & nuper celeberrimo opere a V. Cl. Daniele Huetio, qui recentiorum Judæorum commenta referat, eademque antiquorum Rabbinorum teſtimonio, & irrefragabili ratiocinio penitus elidit & evertit. Placet autem hoc loco ſtrictim hac de re verba facere, & nonnulla Ethnicorum monumenta addere, ex quibus quoque elucet, omnino completas eſſe Prophetias, quæ jam de promiſſo Meſſia edita fuerant, quæque ab ipſis recentioribus Judæis circumferuntur. Prophetia igitur, proprium ſolius Dei attributum, eſt narratio rerum futurarum, quæ nondum contigerant eo tempore quo Prophetia illa edita eſt, quæque ex naturalibus cauſſis prævideri non poſſunt; propterea ea Prophetia eſt verax, quæ prædixit res eventu deinde completas, quæque ex naturalibus cauſſis prævideri non poterant. In Veteri autem Teſtamento pluribus in locis promiſ-

ſus eſt Meſſias, divinitus mittendus ad hominum ſalutem; ille itaque eſt Meſſias, cui conveniunt omnes Veteris Teſtamenti Prophetiæ, quæ de futuro Meſſia loquuntur.

Exordiar autem a diſquiſitione naturæ promiſſi Meſſiæ. Porro Meſſias eſt Homo Deus: unus tamen non converſione Divinitatis in carnem, ſed aſſumtione humanitatis in Deum; Filius enim Dei, conſubſtantialis Patri, humanitatem aſſumſit; propterea ex unitate perſonæ, Filius Dei, & Homo unus eſt Chriſtus. Hinc S. Leo Papa (*a*) inquit: „ Quia in Chriſto Jeſu Filio Dei non „ ſolum ad divinam eſſentiam, ſed etiam ad humanam „ ſpectat naturam, quod dictum eſt per Iſaiam Propheta: Generationem ejus quis enarrabit? Utramque „ enim ſubſtantiam in unam conveniſſe perſonam. Et „ alibi (*b*) idem S. Doctor: Ut & intra intemerata viſcera, „ ædificante ſibi Sapientia domum, Verbum caro fieret, „ & forma Dei, ac forma ſervi in unam conveniente perſonam, creator temporum naſceretur in tempore. De hac utraque forma in una conveniente perſona Meſſiæ, haud obſcure vaticinatus eſt, capite nono, Iſaias: „ Parvulus, inquit, natus eſt, & Filius datus eſt nobis. Profecto in Filio nato forma ſervi exprimitur, & in Filio dato forma Dei; de Filio enim dato idem Iſaias ait: „ Generationem ejus quis enarrabit — Et factus eſt principatus „ ſuper humerum ejus, & vocabitur nomen ejus, admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis. Et Proverbiorum trigeſimo: „ Quod nomen „ ejus, & quod nomen Filii ejus, ſi noſti? De forma Dei in promiſſo Meſſia pſalmo centeſimo nono ſic legitur:

„ Dixit

(a) *Serm. 9. de Nat. Dom.* (b) *Epiſt. 13. ad Pulcher. Auguſtam.*

„ Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis: „ donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Et pſalmo nonageſimo ſexto de Meſſia ſcriptum eſt : „ Adorate eum omnes Angeli ejus : audivit & lætata eſt „ Sion. Item Nathanis vaticinatio, tamquam ſine dubio divinitatem promiſſi Meſſiæ præmonſtrans ab Apoſtolo, ad Hebræos capite primo uſurpatur: „ Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? „ Et rurſum : Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi „ in Filium ? Et pſalmo centeſimo ſexto ſic legitur: Miſit Verbum ſuum, & ſanavit eos. Philo autem Hebræus (a) in libro de ſomniis, & in libro de exſulibus teſtatur, conſenſione popularium ſuorum, Primogenitum Verbum Dei; hoc eſt Filium Dei, & Verbum Dei fore Meſſiam.

De forma ſervi, hoc eſt hominis, ſic capite quadrageſimo ſecundo apud Iſaiam : „ Ecce ſervus meus, ſuſcipiam eum, electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea. Ex Geneſi (b): Dixit Dominus ad Abraham: in te benedicentur univerſæ cognationes terræ — Dixitque Dominus : num celare potero Abraham, quæ geſſurus ſum, cum futurus ſit in gentem magnam ac robuſtiſſimam, & benedicendæ ſint in illo omnes nationes terræ. Meſſias item promiſſus de ſemine Iſaaci, & Jacobi: Apparuitque ei (Iſaaco) Dominus, & ait : Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ — Viditque Jacob Dominum innixum ſcalæ, dicentem ſibi : Benedicentur in te, & in ſemine tuo cunctæ tribus terræ. Meſſiam quoque de ſtirpe Jeſſe, & Davidis proditurum Meſſiam teſtantur Sacræ Scripturæ. Iſaias capite undecimo: in die illa radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populorum ipſum gentes deprecabun-

(a) *Propoſit. 9. cap. 28. apud Huetium.*
(b) *Gen. cap. 12. uſque 29.*

Digitized by Google

cabuntur. Jeremias capite trigeſimo tertio: In diebus illis & in tempore illo germinare faciam David germen juſtitiæ: faciet judicium & juſtitiam in terra. Pſalmo item octuageſimo octavo: Et ego primogenitum ponam illum in terra, excelſum præ regibus terræ. In æternum ſervabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi — Semel juravi in ſancto meo, ſi David mentiar: ſemen ejus in æternum manebit, & thronus ejus ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternum, & teſtis in cœlo fidelis. Igitur teſtimonio Sacrarum Scripturarum in uno, eodemque promiſſo Meſſia prædicta eſt vera Divinitas, qua Filius Dei, ante omnia ſæcula genitus, æqualis eſt Patri: ac vera humanitas, qua noviſſimis diebus Filius Dei unitus eſt homini; intus ſervans formam Dei, qua æqualis eſt Patri, offerens formam ſervi, qua minor eſt Patre.

Prædicta ſunt quoque ea, quæ futura erant circa tempus adventus Meſſiæ. Jacob enim (*a*) prædicens ait: „ Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore „ ejus, donec veniat qui mittendus eſt. Prædictionem temporis venturi Meſſiæ his ineſſe, priſcorum Hebræorum fuit, & conſtans eſt omnium Chriſtianorum ſententia. Ad claram hujus vaticinationis explanationem, nonnulla animadvertenda ſunt; & primum vocabulo hoc latino, ſceptrum, hebraice, ſcevet, aliquando exprimitur regia dignitas, ſive regnum, aliquando publica poteſtas, hoc eſt proprio jure, & patriis legibus utendi. Ex circumſtantiis autem facile erui poteſt, quonam ſenſu dicta ſceptri vox accipienda ſit. Redeundo enim ad Jacobi tempora, patria poteſtas erat quaſi regia; profecto Paterfamilias habebat jus vitæ, & necis; quæ quidem patria pote-

(a) *Geneſ. cap.* 49.

poteſtas quaſi regia, temporibus quoque Reipublicæ Romanæ vigebat, ut uberrime demonſtravimus capite tertio libri ſecundi. Igitur Jacob loquitur de ea poteſtate, qua & ipſe præditus erat, quæque a Judæ deſcendentibus non erat auferenda, donec veniret Meſſias. Deſcendendo autem ad tempora Hebraicæ Reipublicæ publica poteſtas in Synedrio elucebat, ſeptuaginta viris conflato, qui ex ſenibus totius Iſraeliticæ gentis deligebantur. Porro Synedrium (a) Dei juſſu a Moſe inſtitutum fuit; propterea conſeſſus iſte Seniorum, Magni conſilii domus appellabatur; in Synedrio enim Iſraeliticæ Reipublicæ Majeſtas, & forma emicabat, in quo erat jus condendarum legum, & poteſtas præſcribendi normam vivendi. Quamobrem, teſte (b) Huetio, Aben Ezra, & Rabbi David Kimchi, & Rabbi Selomoh vocabulum iſtud, ſceptrum, in oraculo Jacobi reddunt, Dominum, & Principem; & Rabbi Lipman in libro Nizachon, Dominatorem, non vero dixerunt regnum. Longe hinc, ſequitur Huetius, abit Rabbi Iſaac Abrabaniel, qui veterem quemdam magiſtrum ſecutus, tenue aliquod imperium, & exiguam Judæ juriſdictionem, hoc eſt facultatem ſuo jure utendi promitti vult a Jacobo, qua ad Meſſiæ uſque adventum fruatur. Hujus ſententiam, inquit Huetius, Rabbi Manaſſes in conciliatore confirmat. Propterea ſponte fluit conſecutio, ſceptrum non Regum præciſe notare poteſtatem, ſed Rectorum omnium Reipublicæ, ſive Magiſtratuum. Quum autem de ſceptri vocabulo ſatis ſuperque dictum ſit, ſupervacaneum cenſeo, oſtendere, antiquorum Regum poteſtatem haud fuiſſe abſolutam, ut inter ceteros libro primo animadvertit Halicarnaſſeus; in comitiis enim populi de ſumma rerum agebatur, quamquam ſibi conſtituiſſent Re-

ges,

(a) *Numer. cap.* 11. (b) *Propoſ.* 9. *cap.* 4.

Digitized by Google

ges, quorum præcipuum officium erat res bellicas adminiſtrare, populique decreta exſecutioni mandare; ut nunc quoque videre eſt in Poloniæ, Britanniæ, & Sveciæ Regnis.

Porro notum eſt, Iſraeliticæ genti præfuiſſe Judices uſque ad Saulem de tribu Beniamin, primum Hebræorum Regem, ad quem proxime ſucceſſit David, & Salomon de Tribu Juda. Conſtituto deinde Jeroboamo Rege ſuper Iſrael, ſola Tribus Juda ſecuta eſt domum David; Simoniticæ vero Tribus, & Beniamiticæ pars Judæ Tribui poſtea ſe adjunxit; inſuper ea Leviticarum pars, quæ cum Tribu Juda immixta erat, cum domo David permanſit, eo quia in cenſum neutiquam venire ſolebat. Quocirca Roboam & ſucceſſores ejus ſolum Reges Juda dicebantur, & hoc nomen retinuerunt etiam poſtquam a Theglaſpalaſare, & Salmanaſare in Aſſyriam deportati ſunt ii, qui Regibus Iſrael parebant. Ex decem Tribubus conflatum erat Iſraelis, ſive Samariæ Regnum; iratuſque eſt Dominus vehementer Iſraeli, & abſtulit eos a conſpectu ſuo. Propterea decem Iſraeliticis Tribubus in diſſitas oras expulſis, ac demum penitus diſſipatis, nec unquam poſtea in patriam reſtitutis, ſolum Judæorum Regnum ſtetit; & hieroſolymitani Synedrii Patres, Tribu Juda prognati delecti erant; & hoc Synedrium non defuit, donec venit Meſſias. Umbram quidem tantum Synedrii, idque precario in prioribus captivitatibus retinuerunt Judæi; attamen tunc quoque Judaicæ gentis auctoritas fuit, & permiſſum in captivitatibus propriis legibus, & juribus uti. Rabbi enim Manaſſes, referente Huetio loco ſupra citato, Principes Synedrii in captivitate quoque Babylonica commemorat; inſuper obſervat, Duces ipſos captivitatis de Tribu Juda ſemper fuiſſe delectos:

poſt-

poſtquam autem Hieroſolymam reverſi erant, proprio & ſummo jure, & legibus utebantur, imperiique majeſtatem, ac formam retinebant. Poſt ſolutam vero ultimam Babylonicam captivitatem ariſtocratiæ formam aſſumſerunt, in qua ſervata eſt poteſtas, dignitas, & honor Tribus Judæ; unde factum eſt ut Tribules Judæ ſumma rerum potirentur, Regnique nomen de ſe fecerint; tametſi Tribui Judæ complures ex aliis Tribubus immixti eſſent, Judæiſque Duces ex aliis Tribubus orti præfuerint; Tribum enim Juda in Synedrio primatum tenuiſſe certum eſt; quemadmodum Romani imperio regebant populos, quanquam plurimi exteris gentibus orti Imperatores ſceptrum tenerent. Propterea facta collatione cum aliis Iſraeliticæ gentis Tribubus, elucet præſtantia ac excellentia Judaicæ Tribus; idque Jacob prædixit.

Illud quoque ad hujus oraculi intellectum notari debet, ſcilicet ad locum ac terram quam inſeſſura erat Tribus Juda; quemadmodum enim promiſſa Zabuloni, Iſſachari, aliiſque a Jacobo data ad portionem Chananeæ terræ promiſſæ ipſis eventura ſpectant; ſic quod Judæ datum eſt promiſſum, ad ſedes poſteris ejus in terra ſancta olim tribuendas pertinere; ac ſi dixiſſet Jacobus, ad Meſſiæ uſque tempora Tribum Juda in portione promiſſæ terræ olim ipſi aſſignanda manſionem, ac reipublicæ formam habituram, quam retinuit uſque ad tempus adventus Meſſiæ; poſt enim ejus mortem in exſilium acti Judæi, diſperſique, in longinquas terras abducti, nec unquam poſtea in patriam reſtituti ſunt. Profecto in Jacobi prophetia non determinatur punctum aliquod temporis, quo cum affuerit meſſias, tum Tribus Juda momento eodem poteſtate excidat, & priſtinam regiminis formam amittat; ſed intelligendam eſſe aliquam congruentem temporis

ſucceſſionem, quæ ab initio everſionis uſque ad extremam cladem eventura erat. Civilis quippe Judaici regni forma aboleri cœpta eſt a Pompejo, & ab Herode paulo ante Chriſti ortum, & totalis everſio, poſt Chriſti mortem in clade Hieroſolymis a Tito illata, deſinit. Ultimum enim reipublicæ Judaicæ excidium cœpit, cum a Pompejo domiti Judæi ac libertate multati ſunt, ad quam calamitatem variis ſubinde a Judæis ſeditionibus factis, extremam gentis cladem, totiuſque reipublicæ everſionem conſecutam eſſe, capta per Titum Urbe, & ſolo æquata, Temploque ſunditus diruto, Judæique in longinquas terras, & in captivitatem acti abſque Principibus, & Ducibus ſuæ Gentis; cujus exſilii fere mille ſeptingenti anni jam tranſacti ſunt. Proximis itaque Meſſiæ temporibus cum Reipublicæ Judaicæ, tum Sacerdotii everſio initium habuit; Hircanus enim a Cæſare ſummus Judæorum Sacerdos & Princeps conſtitutus fuerat: ſubinde a Romano Senatu Herodes, natione Idumæus, creatus fuit Judæorum Rex, quo regnante natus eſt Jeſus Chriſtus Dominus noſter. Defuncto autem Herode, Judæi, ſolemni legatione ad Cæſarem miſſa, conati ſunt antiqua Judaicæ reipublicæ jura reſtaurare, ſed irrito conatu; nam ex adverſo Judæa a Cæſare in Tetrarchias diſſecta fuit; & Hieroſolyma ſub Romani Præſidis poteſtate conſtituta. Romanorum ſuperſtitionibus polluto Templo, & tot calamitatibus Judæi perturbati in varias ſeditiones abierunt; hinc extrema Judæorum clades ſub Tito conſecuta eſt, diſerte hæc omnia referente Flavio Hiſtoria de bello Judaico, & Tacito libro quinto Annalium.

Illis autem verbis: donec veniat, qui mittendus eſt, teſte Huetio loco ſupra citato, notari Meſſiam conſentiunt Chaldei Paraphraſtæ, & Thalmudiſtæ, aliique Ju-

Judæorum Magiſtri. Peremtorie vero benedictionem hanc Jacobi propheticam de Meſſia ad unam Tribum ſpectare indicat Moſes, ubi (a) ait: „ Omnes hi in „ Tribubus duodecim, hæc locutus eſt eis Pater ſuus, be- „ nedixitque ſingulis benedictionibus propriis. Porro ſtante Templo ſecundo, per Titum funditus diruto, Meſſiam eſſe venturum, priſci Hebræi crediderunt. Teſtis eſt, ſequitur Huetius, Cantici Canticorum Tharmugiſta, & Echa Rabbathi, & ſæpius jam memoratus liber Sanchedrin capite ultimo, apud Huetium propoſitione nona capite octavo, qui in hunc ſenſum traxiſſe Rabbi Akibam narrat celeberrimam vaticinationem Aggæi, in qua Deus ea ſpe Zorobabel, & Jeſum Joſodeci filium ſolatur. Profecto Templi ſecundi gloriam ab Aggæo prædictam mirifice illuſtrat Malachias, ubi capite tertio in- „ quit: Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit „ viam ante faciem meam: & ſtatim veniet ad Tem- „ plum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & An- „ gelus teſtamenti quem vos vultis.

De tempore adventus Meſſiæ Daniel, capite ſecundo verba faciens, ait: Et regnum quartum erit velut ferrum quomodo ferrum comminuit & domat omnia, ſic comminuet & conteret omnia hæc. Porro, quia vidiſti pedum & digitorum partem teſtæ figuli, & partem ferream; regnum diviſum erit, quod tamen de plantario ferri orietur, ſecundum quod vidiſti ferrum miſtum teſtæ ex luto: & digitos pedum ex parte ferreos, & ex partes fictiles; ex parte regnum erit ſolidum, & ex parte contritum. Quod autem vidiſti ferrum miſtum teſtæ ex luto, commiſcebuntur quidem humano ſemine; ſed non adhærebunt ſibi, ſicuti ferrum miſceri non poteſt teſtæ. In diebus autem regno-

Mm 2 rum

(a) *Geneſ. cap.* 49.

Digitized by Google

rum illorum ſuſcitabit Deus Cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur; comminuet autem & conſumet univerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum. Manifeſtum eſt his portendi bella Cæſaris & Pompeii, Auguſti & Antonii; Romana enim reſpublica bellis hiſce civilibus ſciſſa, ex parte contrita fuit, quæ ex victrici gente prodierat; propterea pedibus comparantur tempora hæc, quæ Meſſiæ ortum proxime præceſſerunt. Capite autem nono Danielis clariſſimum omnium, quotcumque ſacri Codices veteris teſtamenti ſuppeditant, vaticinium proponitur de tempore adventus Meſſiæ. „ Septuaginta hebdomades, inquit Daniel, abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & „ ſuper Urbem Sanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur „ viſio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. „ Scito ergo & animadverte: ab exitu ſermonis ut iterum ædificetur Jeruſalem uſque ad Chriſtum Ducem, „ hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ „ erunt, & rurſum ædificabitur platea & muri in anguſtia „ temporum. Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus; & non erit populus ejus, qui eum negaturus eſt. Animadvertendum eſt, apud Hebræos annum ſabbaticum fuiſſe ſpatium ſeptem annorum; ſabbatico enim anno utebantur, ad determinandos annos ſchemitah, ſive remiſſionis, tum & Jubilæos; hinc manifeſtum eſt, Angelum verba facientem ad hominem Hebræum, illam anni ſignificationem adhibuiſſe, qui inter Hebræos uſu communi erat receptus. Spatium autem hebdomadum ſeptuaginta quadringentorum nonaginta annorum eſt. Anni vero apud Hebræos ſolares ne fuerint, an lunares, incer-

incertum plane eſt; quum de forma priſci Hebræorum anni magna ſit inter chronologos controverſia, ut animadverſum a nobis fuit, ubi egimus de mundi ætate.

Multiplex quoque eſt opinionum diverſitas de prædictarum hebdomadum initio, & exitu. Porro alii in anno Artaxerſis Longimani ſeptimo, ſeptuaginta hebdomadum ponunt exordium, quas in Jeſu Chriſti morte concludunt: alii in anno Darii Nothi ſecundo ſeptuaginta hebdomadum exordium ſtatuunt, finem in anno Neronis duodecimo, quo anno Judæos inter & Romanos bellum tumeſcebat: unde ſi annos cum dimidio numeres, incides in excidium Hieroſolymitanum: alii ab anno vigeſimo Artaxerſis Longimani ducto ſeptuaginta hebdomadum initio, quo anno ſine controverſia de reſtauranda Urbe Hieroſolyma edictum latum eſt, reique conficiendæ curam Nehemias ſuſcepit, atque opus effectum dedit; propterea in quarto poſt Chriſti mortem exitum ipſarum conſtituunt. Ad hæc addit, loco ſupra citato, Huetius teſtimonium priſcorum Rabbinorum, qui haud quaquam ſunt inficiati, hoc Danielis oraculum ad Meſſiam pertinere; ut R. Barachias in Bereſith Raba, R. Moſes Ben Nechman in Danielem, ac R. Samuel teſtatur, cujus epiſtolam ad R. Iſaac exhibet Dionyſius Carthuſianus. Ubicumque autem ſeptuaginta hebdomadum ponas initium, plane eas elapſas eſſe manifeſtum eſt. Atqui exactis iis debuit naſci Meſſias, ungi Sanctus Sanctorum, & occidi. Porro Ethnici ipſi teſtes ſunt, quod tempore, quo natus eſt Jeſus Chriſtus, tunc perſuaſio inerat de proximo adventu Meſſiæ. Suetonius capite quarto inquit: „ Percrebuerat Oriente toto vetus & con„ ſtans opinio, eſſe in fatis ut eo tempore Judæa profecti „ rerum potirentur: id de Imperatore Romano quantum

„ even-

Digitized by Google

„ eventu poſtea patuit, prædictum Judæi ad ſe trahentes „ rebellarunt. Item Tacitus, Hiſtor. libro quinto, ſic „ ait: Pluribus perſuaſio inerat, antiquis Sacerdotum „ litteris contineri, eo ipſo tempore fore, ut valeſceret „ Oriens, profectique Judæa rerum potirentur; quæ am„ bages Veſpaſianum ac Titum prædixerant. Sed vulgus „ more humanæ cupidinis, ſibi tantam fatorum magnitu„ dinem interpretati, ſic concludit Tacitus, ne adverſis „ quidem ad vera mutabantur. Profecto error Judæorum „ non erat circa tempus adventus Meſſiæ, quod quidem illud erat aperte a Daniele prædictum, ſed futurum ſpiritale Meſſiæ regnum promiſſum, more humanæ cupidinis ad terrenum trahentes, in hoc ſolum vulgares illius ævi Judæi erraverunt, de quo paulo infra inſtituendus eſt ſermo.

Quum autem recentiores quoque Judæi negare non audeant, illud fuiſſe tempus, juxta prædictionem Danielis, adventus Meſſiæ, quo natus eſt Chriſtus Jeſus; propterea perverſos Judæorum mores in Thalmude non ſemel carpi, & in primo capite Talmudici libri Joma cauſſam moræ Meſſiæ conferri in ſtupra virginibus oblata Nahardææ, ubi celebris fuit Judæorum Academia; contra vero affirmare R. Judam, in libro Sanchedrin capite undecimo, quo tempore, ait, veniet Meſſias, infames fore impudicitia & corruptela doctorum Judæorum conventus. Adde, Judæos, tum cum Idolorum cultui dediti eſſent, & in omnem impietatem profuſi, levi brachio a Deo fuiſſe caſtigatos, paternamque Dei benignitatem identidem ſenſiſſe, laribus ſuis, unde ejecti fuerant reſtitutos, & hoſtium, a quibus oppreſſi fuerant, dominatu exemtos; nunc vero, cum nullius ſunt culpæ affines, uti quidem vult R. Selomoh apud Huetium, juſti-

tiam-

tiamque incorrupto tenore retinent, tot ſæculorum affligi calamitatibus, opprobriis, ſuppliciis, nulla melioris ſtatus oſtentata ſpe? Præterea quum divino oraculo tempus adventus Meſſiæ jam prædictum fuerat, omnino divinæ Providentiæ conſonum videtur, ut poſteriore irrefragabili oraculo divinitus mora prædicta fuiſſet: at ubi de hac mora vaticinium, niſi vanum ſomniantium Judæorum commentum? Immo ex adverſo plane impletæ ſunt prophetiæ omnes, quæ Meſſiæ adventum prædixerunt; & completa ſunt quoque ea omnia, quæ poſt obitum Meſſiæ futura erant; idcirco penitus commentitia videntur ea, quæ in Thalmudico libro de cauſſis moræ adventus Meſſiæ ſcripta ſunt. Cauſſa autem exſilii veſtri, nulla jam melioris ſtatus oſtentata ſpe, prædicta divinitus fuit, & exarata eſt in ſacris codicibus, quos circumfertis, ubi capite Danielis nono ſic legitur: „ Et poſt hebdomades „ ſexaginta duas occidetur Chriſtus: & non erit populus „ ejus, qui eum negaturus eſt. Et civitatem, & ſan- „ ctuarium diſſipabit populus cum Duce venturo: & fi- „ nis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. „ Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, „ & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium, „ & erit in templo abominatio deſolationis, & uſque ad „ conſummationem, & finem perſeverabit deſolatio. Judæi itaque, negantes veniſſe promiſſum Meſſiam, qui eſt Jeſus Chriſtus Filius Dei, ut mox plane demonſtrabitur, ex Danielis vaticinio non amplius in populo Dei recenſentur. Porro maximum & inexcuſabile peccatum Judæorum eſt, negare veniſſe Meſſiam, tot ante ſæcula prænuntiatum in ſcripturis ſanctis, quas divinitus traditas credunt, & quarum Hebræorum ſynagoga fidelis depoſitaria & cuſtos fuit. Prædictæ captivitatis, & deſolatio-

nis veritatem hujuſce pertinaciæ cauſſa comprobavit effectus; immo ſubinde manifeſtis quoque prodigiis hæc veritas comprobata fuit, quæ ab Huetio propoſitione nona capite octavo referuntur, ubi inquit, „ quod cum ad inſtaurandum templum ſeſe comparaſſent Judæi ſub Hadriano, & Conſtantino, ab his quidem fuerunt prohibiti; ſed id tertium Juliani Imperatoris nutu attentantes, vis divina prodigaliter compreſſit; nam incœptum opus motu primum terræ deturbatum eſt, deinde e fundamentis erumpentes flammæ Judæos rei auctores invaſere. Chriſtianorum ſcriptorum temporis illius, & proxime ſequentis ævi vix ullus rem preſſit ſilentio. Adiri præcipue velim, ſequitur Huetius, Chryſoſtomum, cum alibi paſſim, tum maxime ſermone tertio contra Judæos. Quodque omnem dubitationem tollit, Ammianus Marcellinus ſcriptor ethnicus, minime vanus, quique ſub Juliano ſtipendia meruit, portentum illud teſtificatione confirmavit ſua.

De exſpectato autem Meſſia, poſt Adami lapſum promiſſo, non obſcura veſtigia reperta ſunt; animalium enim mundorum ſacrificia, quæ apud omnes ethnicas nationes nunc quoque vigent, ſunt actus religionis ſive oblationes Deo factæ pro peccatorum expiatione. Quod autem hæc ſacrificia promiſſum Meſſiam repreſentarent, hoc ipſo capite demonſtrabitur; propterea poſt adventum Meſſiæ, qui ſe obtulit hoſtiam Deo placentem, in populo Dei animalium victimæ ſublatæ ſunt. Igitur in ipſis antiquiſſimis Gentium ſacrificiis inerat haud obſcura promiſſi Redemptoris expreſſio. De perſuaſione adventus Meſſiæ apud antiquos noſtri orbis ſupra diximus teſtimonio Suetonii, & Taciti; quæ quidem perſuaſio apud remotiſſimas Gentes reperta eſt, referente, Huetio, qui

loco

Digitized by Google

loco ſupra citato inquit : „ Profecto evolventi mihi excer-
„ pta quædam e libro ſecundo magni illius Sinenſium Phi-
„ loſophorum principis Confucii , quæ latine reddidit
„ Proſper Intorcetta Siculus e Societate Jeſu ; nuper vero
„ nobiſcum communicavit Vir Clariſſimus Thevenotius ,
„ Vir ſingularis humanitatis & præſtantis doctrinæ , ſum-
„ ma inceſſit admiratio , cum hæc legerem verba Confu-
„ cii Regem ad virtutem adhortantis : Legibus Cœli ac
„ terræ facta ejus conſentiunt , neque vereri debet , ut
„ cum Sanctus ille exſpectatus advenerit , idem tum vir-
„ tuti ejus , ac dum regnaret honos habeatur . Ad hæc
Confucii verba, propoſit. quarta capite ſeptimo , addit
Huetius „ Agni ſacrificium apud antiquos fuiſſe figuram
„ promiſſi Meſſiæ : & apud Peruvanos fieri quædam ſa-
„ crificia pacificorum ſacrificiis conſimilia. Item Jeremias
„ de venturo Meſſia dixit : Et ego quaſi Agnus manſue-
„ tus, qui portatur ad victimam: Similiter Iſaias de Meſ-
„ ſia : Sicut Ovis ad occiſionem ducetur , & quaſi Agnus
„ coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.

Meſſias , ſub figura agni exhibitus , Dominator
quoque univerſæ terræ prædictus fuit ; hinc capite decimo
ſexto Iſaias ait : „ Emitte Agnum tuum Domine Domi-
„ natorem terræ. Et David (a) : „ Dominabitur a mari
„ uſque ad mare , & a flumine uſque ad terminos orbis
„ terrarum. Virga directionis virga regni tui. Item capite
nono Iſaias: „ multiplicabitur ejus imperium, & pacis non
„ erit finis. Et capite undecimo: „ Et egredietur virga de
„ radice Jeſſe , & flos de radice ejus aſcendet , & re-
„ quieſcet ſuper eum ſpiritus Domini , ſpiritus ſapientiæ
„ & pietatis , & replebit eum ſpiritus timoris Domini .
„ Non ſecundum viſionem oculorum judicabit , neque

(a) *Pſal. 71. & pſal. 44.*

Digitized by Google

„ ſecundum auditum aurium arguet ; ſed judicabit in ju-
„ ſtitia , & arguet in æquitate pro manſuetis terræ , &
„ percutiet terram virga oris ſui , & ſpiritu labiorum ſuo-
„ rum interficiet impium. Capite trigeſimo tertio : „ Do-
„ minus enim Judex noſter , Dominus legifer noſter Do-
„ minus Rex noſter ipſe ſalvabit nos . Et capite qua-
drageſimo ſecundo : „ Dedi ſpiritum meum ſuper eum ,
„ judicium gentibus proferet . Capite autem ſecundo :
„ Et erit in noviſſimis diebus præparatus mons Domus
„ Domini in vertice montium , & elevabitur ſuper col-
„ les , & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt po-
„ puli multi , & dicent : Venite , & aſcendamus ad
„ montem Domini , & ad domum Dei Jacob , & do-
„ cebit nos vias ſuas , & ambulabimus in ſemitis ejus .
Pergit capite ſexageſimo primo : „ Spiritus Domini ſu-
„ per me , eo quod unxerit Dominus me , ad annun-
„ tiandum manſuetis miſit me , ut mederer contritis cor-
„ de , & prædicarem captivis indulgentiam , & clauſis
„ aperitionem. Addit capite ſecundo Barachias : „ Et ſta-
„ tuam illis teſtamentum alterum ſempiternum. Quæ qui-
dem de Hebræorum Regum imperio , aut terreno ſumi non poſſunt . Allata vaticinia Judæi de Meſſiæ regno intelligenda eſſe ultro fatentur ; non chananææ terræ claudendum anguſtiis ; ſed aliud imperium quaquaverſus per omnem terram patens nuntiari. In hoc autem plurimi antiquorum fœde erraverunt ; & recentiores Judæi errant opinantes , non ſpiritale , ſed temporale illis vaticiniis portendi. Jacobi quidem prophetia loquitur de terreno principatu , qui mere terrenus in tribu Juda futurus erat ; in promiſſo autem Meſſia , qui ex poſteris Judæ naſci debebat , & in ipſo benedicendæ erant cunctæ Tribus terræ, principatus transferendus erat in ſpiritalem & æternum ;

ita

ita ut ab eo auferri deinceps & extorqueri numquam poſſet ; nec alio pacto intelligi poſſunt prophetiæ, æternum Meſſiæ imperium prædicentes. Manifeſtius quoque capite quadrageſimo ſecundo de ſpiritali regno Meſſiæ vaticinatus eſt Iſaias, ubi ſic ſcriptum eſt : „ Ego Dominus „ vocavi te in juſtitia, & apprehendi manum, & ſervavi te, & dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, „ ut aperires oculos cœcorum, & educeres de concluſione „ vinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris. Et capite quadrageſimo nono : „ Et dedi te in fœdus populi, ut ſuſcitares terram, & poſſideres hæreditates ; ut „ diceres his qui vincti ſunt, exite ; & his qui in tenebris, revelamini. Et capite ſeptimo : „ Lætabitur deſerta & invia, & exſultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium. Germinans germinabit, & exſultabit lætabunda „ & laudans — Tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta „ erit lingua mutorum : quia ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & „ torrentes in ſolitudine. Et quæ erat arida, erit in ſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum. Et capite trigeſimo : „ Et erit lux Lunæ ſicut lux Solis, & erit lux Solis „ ſicut lux ſeptem dierum, in die qua alligaverit Dominus vulnus populi ſui, & percuſſuram plagæ ejus ſanaverit. Propterea capite quinquageſimo tertio de Meſſia addit : „ Vere languores noſtros ipſe portavit — Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus „ eſt propter ſcelera noſtra ; diſciplina pacis noſtræ ſuper „ eum, & livore ejus ſanati ſumus — In ſcientia ſua juſtificabit ipſe juſtus ſervus meus multos, & iniquitates „ eorum ipſe portabit. Cui adſtipulatur Jeremias in Threnis, ubi ait : „ Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis „ noſtris. Hominum quippe noxas, inquit (a) Huetius, latu-

(a) *Propoſit. 9. cap. 14.*

laturum Meſſiam Judæi nobiſcum ſentiunt. Teſtis R. Samuel in libro ſanctorum: teſtis & R. Abraham Scalom. Quocirca Meſſias Judæis dicitur, vir expiationis, ut habetur in Midrash Shir haſſchirim. Quod apte conſonum eſt cum Apocalypſi capite quinto, ubi ſic legitur: „ Quo„ niam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine „ tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione. Idcirco prædixit Daniel: „ occidetur Chriſtus. „ Sed & „ antiquiſſimi, inquit (a) Huetius Brachmanum orien„ talium libri, promiſſum Reparatorem, tamquam ani„ marum noſtrarum vindicem, & inferorum domitorem „ apertiſſime repreſentant.

Meſſias in ſacris ſcripturis Rex juſtitiæ & pacis, ac æternus Pontifex appellatur, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis; unctus, non oleo illo de arboribus expreſſo, ſed oleo lætitiæ; cum nimirum gratia & virtute ſpiritus ſancti natura ejus perfunditur: pſalmo enim centeſimo nono de Meſſia ſcriptum eſt: „ Juravit Domi„ nus, & non pænitebit eum, tu es ſacerdos in æternum „ ſecundum ordinem Melchiſedech. Hunc autem fuiſſe typum ac ſimulacrum veri & æterni Sacerdotii Meſſiæ fatentur quoque recentiores Judæi; atque id in pſalmo ſupra citato ſignificatum eſſe arbitrantur. At manifeſtum eſt per Sacerdotium ſpiritalem non terrenam poteſtatem deſignari; prænunciata enim erat Meſſiæ reſurrectio, & aſcenſio ad Cœlum. Pſalmo decimo quinto ſcriptum eſt: „ Quoniam non derelinques animam meam in inferno; „ nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem; & pſalmo vigeſimo tertio: „ Attollite portas principes veſtras, & „ elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ: & pſalmo quadrageſimo ſexto: „ Aſcendit Deus in jubi„ lo,

(a) *Propoſit.* 4. *cap.* 6.

Digitized by Google

„ lo, & Dominus in voce tubæ: pſalmo ſexageſimo ſexto: „ Iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus no- „ men illi: demum pſalmo centeſimo nono: „ Dixit Do- „ minus Domino meo ſede a dextris meis. Ad hoc idem capite ſeptimo alludens Daniel, inquit: „ Aſpiciebam ergo „ in viſione noctis, & ecce cum nubibus cœli, quaſi filius „ hominis veniebat, & uſque ad antiquum dierum per- „ venit, & in conſpectu ejus obtulerunt eum. Et dedit „ ei poteſtatem, & honorem, & regnum: & omnes po- „ puli, Tribus, & linguæ ipſi ſervient: poteſtas ejus pote- „ ſtas æterna quæ non auferetur: & regnum ejus quod „ non corrumpetur. Hinc capite nono Apoſtolus ad He- bræos, Hebræus & ipſe, ſic ait: „ Fratres, Chriſtus aſſi- „ ſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & per- „ fectius tabernaculum non manufactum, ideſt non hu- „ jus creationis: neque per ſanguinem hircorum, aut vi- „ tulorum, ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel „ in ſancta, æterna redemptione inventa.

Prænuntiatum quoque fuerat, abroganda eſſe vetera ſacrificia, atque in eorum locum ſucceſſura alia, quibus Redemptorem jam advenifſe oſtenderetur. De veterum ſacrificiorum reprobatione apud Malachiam capite primo ſic ſcriptum eſt: „ Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit „ Dominus exercituum: & munus non ſuſcipiam de ma- „ nu veſtra: ab ortu enim Solis uſque ad occaſum, ma- „ gnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco „ ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. De reprobatione prioris mandati Apoſtolus capite ſepti- mo, & decimo ad Hebræos ſic loquitur: Reprobatio fit prioris mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex. Umbram enim ha- bens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem re- rum

rum per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtiis, quas offerunt indeſinenter, nunquam poteſt accedentes perfectos facere: alioquin ceſſaſſent offerri; ideo quod nullam haberent ultra conſcientiam peccati cultores ſemel mundati; ſed in ipſis commemoratio peccatorum per ſingulos annos fit; impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum (Chriſtus Jeſus) dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi: Holocauſtomata & pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, ecce venio: in capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam Deus voluntatem tuam. Superius dicens: Quia hoſtias, & oblationes, & holocauſtomata pro peccato noluiſti; nec placita ſunt tibi, quæ ſecundum legem offeruntur: tunc dixi, ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam: aufert primum, ut ſequens ſtatuat. In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Jeſu Chriſti ſemel. Hactenus Apoſtolus. Hinc, S. Leo Papa (*a*) ait: veterum ſacrificiorum varietate ceſſante, omnes differentias hoſtiarum una corporis, & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti implet oblatio; qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in cœlis, & in terra, viſibilia & inviſibilia, ſive Troni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates: omnia, ut inquit (*b*) Apoſtolus, per ipſum, & in ipſo creata ſunt.

Profecto in primo Meſſiæ adventu, ſive poſt mortem, reſurrectionem, & aſcenſionem ſuam, excutiendæ erant Ethnicorum tenebræ, & benedicendæ erant in ipſo omnes Tribus terræ, & prædicatione propaganda erat apud omnes Gentes ſcientia ſalutis in remiſſionem peccatorum. Propterea per Apoſtolos, & Jeſu Chriſti diſcipulos, non po-

(a) *Serm. 8. de paſſion. Domini.* (b) *Ad Coloſſ. cap. 1.*

potentes, non divites, neque elegantia mundanæ ſapientiæ cultos, vocatæ ſunt Gentes ad agnitionem veritatis; & ex univerſo Orbe terraqueo populos ditioni Jeſu Chriſti ſubjecerunt; & hoc eſt illud ſpiritale imperium, nullis locorum ſpatiis contractum, tot ante ſæcula prædictum, apertiſſime jam elucet; propterea ab omnibus fidelibus Jeſus Chriſtus dictus eſt, Redemptor noſter, Legifer noſter, qui & omnium futurus eſt Judex. Gentium quidem converſio ad verum cultum evidentiſſimum Dei opus fuit; prædicatio enim Apoſtolorum lucerna ardens erat, ſolo Spiritus Sancti igne ſuccenſa, quæ mundo ignorantiæ nocte poſſeſſo, lumen ſalutis oſtendebat; & inter denſiſſimas idololatriæ tenebras lucis ſuæ radio juſtitiæ ſolem demonſtrabat. Sedulo autem animadvertens, quantum valeat apud populos antiquata patriæ religionis conſuetudo, & quantum poſſint terreni affectus, fateri cogetur, populos nulla humana vi a patriis inſtitutis poſſe divelli; propterea Gentium converſio ad verum Dei cultum, adverſantibus maxime ſæculi hujus Principibus, magiſtratibus, ac Ethnicorum Sacerdotibus, divinæ omnipotentiæ opus videtur, tot ſæcula ante a Deo ipſo prænuntiatum. Judæorum vero alii crediderunt Jeſum Chriſtum eſſe promiſſum Meſſiam; in ipſo enim cernebant impletas eſſe prophetias omnes, quæ de venturo Meſſia loquuntur: alii autem Meſſiam adveniſſe perfidioſe inficiantur. Horum obcæcatio prædicta fuit ab Iſaia capite primo: „ Cognovit, inquit, bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepe „ Domini ſui; Iſrael autem me non cognovit. Et capite ſexto ſic pergit: „ Et dixit Dominus, vade, & dic populo huic, audite audientes, & nolite intelligere; & vi- „ dete viſionem, & nolite cognoſcere. Excæca cor populi „ hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne

„ forte

„ forte videat oculis ſuis , & auribus ſuis audiat , & corde „ ſuo intelligat , & convertatur , & ſanem eum. Quam belle autem divinæ providentiæ inſerviat horum Judæorum obcœcatio , quæ juſta infidelitatis pœna eſt , mox videbitur. Porro divina providentia factum eſt , ut Judæi , Chriſtianæ religionis hoſtes , fateantur , ſcripturas ſanctas , & oracula Prophetarum , quæ ab Apoſtolis , & Chriſti Diſcipulis pervulgata fuerunt , eſſe genuina , & vera ; ſcriptaque eo tempore , quo dicta oracula dicuntur ſcripta : quod utique adverſus Ethnicos maximi ponderis argumentum fuit , & nunc quoque eſt ; videntes enim , quod adamuſſim ea , quæ de tempore adventus Meſſiæ , de ejuſdem actionibus , & morte prænunciata fuerant , in Jeſu Chriſto impleta erant , calumniabant oracula illa , dicentes , a Chrifidelibus conficta fuiſſe. Defenſionem noſtram hac de re Judæi , infenſi Chriſtiani nominis adverſarii , ſuſceperunt , teſtantes oracula illa edita , ſcriptaque fuiſſe tempore , quo ſcripta dicuntur , & concordare omnino cum ſuis antiquis exemplaribus.

Venerabilis fuit Joannes Baptiſta , & propter prodigia , quæ ejus nativitatem prænuntiarunt , & propter vitæ auſteritatem , ſanctitatemque ; ſuperna enim diſpenſatione directus erat , ut non ſolum ipſe prophetali gloria ſublimaretur ; ſed ut per eum omnia Prophetarum præconia , quæ de venturo Meſſia edita fuerant , clauderentur. Hic quippe noviſſimus Prophetarum meruit annuntiare præſentem , quem alii futurum præſcierunt. Jeſus autem Chriſtus , dum adhuc in carne mortali vitam ageret , eximia vitæ ſanctimonia Sanctus Sanctorum apparuit ; ſed ſaluberrima quoque doctrina , divina & naturalia jura reſtauravit : futura prædixit , quæ eventu completa ſunt : & edita ab ipſo fuere talia prodigia , quæ a Deo ſolo factibilia ſunt , inter

quæ

quæ numeratur defunctorum reſurrectio, quæ quidem palam exploratas naturæ vires excedit. Id non abs re fuerit huc referre Joſephi Hebræi teſtimonium, integritatis fama inter hiſtoricos celeberrimi, qui ſic (*a*) inquit: „ Fuit autem hoc tempore Jeſus, Vir ſapiens: ſi tamen Virum „ illum oportet dicere. Erat enim mirabilium operum effector, magiſter hominum qui vera libenter amplectuntur. Et plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam ex „ Gentibus ad ſe pertraxit. Huetius (*b*) addit „ Prophetam fuiſſe Jeſum, futuraque ab eo cognita & prædicta tradidit in Chronicis Phlegon, Hadriani Imperatoris libertus. Edita quoque ab ipſo prodigia confeſſi ſunt „ Hebræi proceres, Thalmudici conditores operis; nec „ teterrimi Chriſti adverſarii inficiati ſunt, Celſus, & Julianus; quorum ille, cum rem negare non poſſet, falſam rei cauſſam commentus eſt, incantamenta ſcilicet „ & præſtigia; hic rem non negat, ſed verbis elevare „ ſtudet. Profligatam a Jeſu, & coercitam vim Dæmonum queritur Porphyrius; ubi non mirum eſſe, ait, „ peſte Urbes vaſtari, unde Æſculapius, aliique Dii exceſſerint; quippe poſt admiſſum Jeſu cultum nihil „ Deos hominibus vulgo prodeſſe. Porro hæc poteſtas, ejiciendi Dæmonia, divina eſt, quæ nunc quoque a Chriſtifidelibus in nomine Jeſu Chriſti palam exercetur. Mirabilis illa etiam ſolis defectio, & ingens terræ motus, quæ moriente Jeſu Chriſto contigerunt, itidem narrantur a Phlegonte, libro Olympicorum Chronicorum decimo tertio, ubi ſic legitur: Quarto autem anno CCII. Olympiadis (is eſt ſcilicet Tiberii decimus octavus, qui annus Chriſto mortalis fuit) magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio ſolis facta. Dies hora

(a) *Lib. antiq.* 18. *cap.* 4. (b) *Propoſit.* 3. *cap.* 1.

Digitized by Google

ſexta ita in tenebroſam noctem verſus, ut ſtellæ in cœlo viſæ ſint, terræque motus in Bithynia Nicææ Urbis multas ædes ſubverterit. De hac Eclipſi plures Ethnici ſcripſerunt; ea potiſſimum ratione ducti, quod ſcilicet circa periodum plenilunii contigerit, quod quidem præter naturæ ordinem videtur. Accuratiſſima vero obſervatione dignum eſt, quod habet Sinenſis hiſtoria Hadriani Greſſonii, adnotaſſe Sinas in rerum ſuarum monumentis, ad id tempus, in quod annum ætatis Chriſti trigeſimum ſecundum nos Chriſtiani conferimus, circa menſem Aprilem, ſolare deliquium præter ordinem naturæ, & leges curriculis Aſtrorum præfixas contigiſſe: qua rei novitate Quamrutium Imperatorem vehementer fuiſſe commotum. Porro hæc admirabilis Eclipſis ab Ethnicis ſcriptoribus memorata, eadem videtur, quæ in Evangeliis moriente Chriſto Jeſu deſcripta eſt. Hactenus Huetius. Muhemmadani quoque fatentur, Jeſum Chriſtum eſſe Meſſiam in ſacris Hebræorum ſcripturis prænuntiatum, qui, dum inter mortales vitam ageret, mirabilia patraverit prodigia. In utroque autem populo, ſcilicet fideli & Ethnico viget firma perſuaſio, dari prophetias; & prodigia, de quibus capite primo libri ſecundi, & capite hoc habitus eſt ſermo, & erit in progreſſu hujus operis, ubi præcipue Dæmonis artes reſerabuntur, qui aliquando transfert ſe in Angelum lucis, ut homines ſecum trahat in perditionem. Quod autem ſpectat ad prophetias futurorum contingentium, quæ a ſolo Deo prævideri queunt, ſatis ſuperque ſupra diſſeruimus; & addere ſufficiat id, quod Ethnicorum nomine teſtatur Plinius, ubi ſic (a) inquit: „ Nullo non „ avido futura de ſe ſe ſciendi; atque ea e Cœlo veriſſime „ peti credente. Propterea liquido apparet impiorum impuden-

(a) *Lib.* 30. *cap.* 1.

pudentia negantium, dari prophetias, & prodigia, quorum effata conſenſione omnium populorum, & evidentia ipſa teſte reprobata videntur.

Vaticinia, quæ hactenus dicta ſunt, referuntur ad primum Meſſiæ adventum in carne mortali, ad ejus mortem, reſurrectionem, & aſcenſionem ad Cœlos, quæ omnia impleta ſunt in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Reliquum eſt, ut verba faciamus de ſecundo glorioſo ac terribili Jeſu Chriſti adventu, quando in fine ſæculorum futurus eſt omnium Judex, ut juſtorum, iniquorumque merita diſcernat; & pro noſtrorum qualitate factorum verus & juſtus Judex aut ſupplicia, aut præmia decernat. De hoc tremendo die, capite decimo tertio, ſic inquit Iſaias: „ Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ furoriſque ad ponendam terram in ſolitudinem, & peccatores ejus conterendos de ea: quoniam ſtellæ cœli, & ſplendor earum, non expandent lumen ſuum: obtenebratus eſt Sol in ortu ſuo, & Luna non ſplendebit in lumine ſuo. Et viſitabo ſuper orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum, & quieſcere faciam ſuperbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo --- Super hoc Cœlum turbabo, & movebitur terra de loco ſuo, propter indignationem Domini exercituum, & propter diem furoris ejus. Et capite ſexageſimo ſexto pergit Iſaias: „ Quia ecce Dominus in igne veniet: & quaſi turbo quadrigæ ejus, reddere in indignatione furorem ſuum in flamma ignis; quia in igne Dominus dijudicabit, & in gladio ſuo ad omnem carnem. Daniel capite ſeptimo: „ Et ecce cum nubibus Cœli quaſi Filius hominis veniebat. Ad hæc conſonum eſt Joelis vaticinium, capite enim ſecundo ſic ait: „ Canite tuba in Sion, ululate in monte ſancto meo, con-

„ turbentur omnes habitatores terræ, quia prope eſt dies „ tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis — Et dabo prodigia in cœlo, & in terra ſanguinem, & ignem, „ & vaporem fumi: Sol convertetur in tenebras, & Luna „ in ſanguinem, antequam veniat dies Domini magnus „ & horribilis. Sophonias capite tertio: „ Expecta me „ dicit Dominus in die reſurrectionis meæ in futurum, „ quia judicium meum, ut congregem gentes, & colligam regna, & effundam ſuper eos indignationem „ meam, omnem iram furoris mei; in igne enim zeli „ mei devorabitur omnis terra. Capite autem quadrageſimo nono Iſaias: „ Eos vero, qui judicaverunt te, ego judicabo, & filios tuos ego ſalvabo. Et pſalmo nonageſimo ſeptimo: „ Judicabit orbem terrarum in juſtitia, & „ populos in æquitate. Promiſſum igitur Meſſiæ regnum eſt, quod mentes regat, quod in æternum conſulat, quod omnium ſit Judex, quod credentes, ſperantes in Deum, Deumque amantes in regnum Cœlorum perducat, & malos male perdat. Profecto fœde errant Judæi, confundentes primum Meſſiæ adventum in carne mortali & paſſibili, qui ſecundum apertiſſima vaticinia tamquam agnus manſuetus ad occiſionem ducendus erat, cum ſecundo Meſſiæ adventu in fine ſæculorum glorioſo ac horribili, quando in voce Angelicæ tubæ ad extremum judicium omnes gentes congregabuntur. Profecto manifeſtum eſt, Dominum percuſſiſſe infidelitatem Judæorum cæcitate, ac furore mentis; videmus enim eos palpare in meridie, ſicut palpare ſolet cæcus, ut a Moſe (*a*) prædictum fuit. Porro omnes ſcripturæ & veteres & novæ præfiniunt Jeſum Chriſtum, quem colimus, eſſe verum Meſſiam, a Deo miſſum ad ſalutem gentium, per quem vocati ſumus

(*a*) *Deuter. cap.* 28.

mus in ejus ſocietatem, & divites facti ſumus in omni verbo & ſcientia & gratia; ita ut nobis nihil deſit ad æternam ſalutem adipiſcendam; propterea ſicut Jeſus Chriſtus natura Filius Dei eſt; ita & nos, non quidem natura, ſed affectu & amore Filii Dei nominemur & ſimus. Neque ullo crudelitatis genere deſtrui potuit ſacramento crucis Chriſti fundata religio; neque perſecutionibus minuitur Jeſu Chriſti Eccleſia, ſed augetur; ſemper enim Dominicus ager ſegete ditiori veſtitur, dum grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur. Hoc igitur eſt Chriſti regnum tot ante ſæcula prænuntiatum, quod in æternum non diſſipabitur; quum præſentem, & futuram æterni ſæculi vitam Meſſiæ imperium complectatur. Propterea velint, nolint impii, ſive infideles homines hanc poteſtatem recognoſcere; nihilo tamen minus omnium Dominus, Judex, ac vindex eſt Jeſus Chriſtus, qui juſtis præmia, malis ſupplicia decernet. Scriptum eſt enim (*a*) de Meſſia: „ Dixit Dominus Domino meo, ſede „ a dextris meis: donec ponam inimicos tuos, ſcabel„ lum pedum tuorum; virgam virtutis tuæ emittet Do„ minus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuo„ rum.

De

(a) *Pſal.* 109.

CAPUT II.

De antiquiſſima Gentium Religione.

ANtiquorum Patriarcharum religionem, ejuſque continuatam ſucceſſionem ſuperiore capite expoſui: nunc indagare aggredior antiquarum Gentium religionem, ac ritum, quo verum Deum colere conſueverunt. Capite ſecundo libri ſuperioris exhibuimus omnium Gentium perſuaſionem de uno ſummo Deo, Univerſi Conditore, ac Moderatore; præterea omnes nationes quotquot fuerunt, & ſunt, ut uberrime demonſtrabitur in progreſſu hujus operis, fatentur neceſſitatem, quam indeſinenter habent homines auxilii divini, ut bene ſit nobis. Porro ex hac perſuaſione ſponte oritur interior religio, quæ naturalis nuncupatur; quoniam ex datis principiis neceſſario conſequitur, Deum, a quo bona cuncta procedunt, colendum ac precandum eſſe; ex quo interior religio conſtituitur, quæ ad Deum refertur, & qua mediante inter Deum, & homines communitas intercedit, quæ ſpei, & caritatis noſtræ origo eſt. Deus autem hominem, quem creavit, docuit quoque rationem colendi ſui: nunc itaque indagare aggredior, quinam fuerint antiquorum Gentium ritus, quibus verum Deum coluerunt, ut facta collatione cum cultu antiquiſſimorum Patriarcharum, in Moſaicis Annalibus deſcripto, cultus ſimilitudo apud antiquiſſimas nationes deprehendatur. Vetuſtiſſimorum Patriarcharum cultus ſimplex erat, abſque ullo ſimulacro, ſive proprio, ſive analogico; ædificata enim ara ſub dio, in qua ſignificabatur peculiaris Dei præſentia, ſuper illam offerebant Deo frugum primitias, & victimas immolabant. Hæc ſacrificiorum,

ciorum, & oblationum ratio, divinitus tradita primis humani generis Patriarchis, ad omnes Gentes hereditario quodam jure pertranſiit; ſecedentes enim eorum filii, & nepotes in varias mundi partes ſecum ferebant Parentum traditiones, conſuetudines, & præcipue morem colendi Deum, de quo inſtituendus eſt ſermo.

Reliquias hujuſce antiquiſſimi Gentium cultus exhibet libro primo Halicarnaſſeus: „ Ab antiquis, inquit, „ rerum omnium primitias Deo oblatas fuiſſe; & Arca- „ des in amplo quodam ſpecu, arboribus cooperto, ubi „ ara poſita eſt, Divinitatem colere, ibique ſacra per- „ agere. Additque ad ſuam uſque ætatem, eum morem „ perduraſſe; nec mirum videri, ſi aliqua propter ni- „ miam antiquitatem fuiſſent omiſſa, aut interpolata. In diſſertatione Seldeni ſectione prima de Decimis ſic legitur: At interpretatio ei translationi aptiſſima, neque a verbis Moſis aliena, eſt, Hainem obtuliſſe animo invido; non ex opimis, neque ex primis fructibus ſuis, quod eum facere decebat. Sic certe faciebant Ethnici, aut ex jure ſuo Pontificio facere debebant in oblatione præmeſſi, hoc eſt primitivarum frugum ſuarum, aut Calparis, & vini inferii, quæ erat opima pars. Ad hæc, quæ refert Seldenus de primitivis frugibus, quas Ethnici Deo offerebant, addendum eſt, Gentes potiora quoque hoſtium victorum ſpolia Deo obtuliſſe, quo protegente hoſtes victi fuerant, ut & de Abrahamo inquit Moſes. Item de Romulo ſic (a) ait Livius: Inde exercitu vincitore reducto, ipſe cum factis ſuis vir magnificus, tum factorum oſtentator haud minus ſpolia Ducis hoſtium cæſi ſuſpenſa, fabricato ad id apte ferculo, gerens in Capitolium aſcendit; ibique ea cum ad Quercum paſtoribus ſacram depo-

(a) *Lib.* I. *Decad.* I.

depoſuiſſet, ſimul cum dono deſignavit Templo Jovis fines, cognomentum addidit Deo: Juppiter Feretri, inquit, hæc tibi Romulus Rex regia arma fero, Templumque iis regionibus, quas modo metatus ſum, dedico. Sedem opimis ſpoliis, quæ Regibus, Ducibuſque hoſtium cæſis, me auctore poſteri ferent. Hactenus Livius. Gentes quidem ſummum Deum Jovis nomine, aliterque compellare conſueverunt; ex hoc autem reprehendi non poſſunt, ut animadvertit (*a*) Auguſtinus.

Antiquiſſimi Perſarum, inquit (*b*) Picardus, in loco excelſo ſummo Deo victimas immolabant; hunc morem ſervaverunt Sabeorum vetuſtiſſimi. Madaſcarenſes noſtro quoque ævo in aprico loco Deo mactant victimas. Vetuſtiores etiam populi Aſiæ, quæ ad ſeptentrionem vergit, ſupra colles juxta arborem ſacro cultui dicatam ſacra faciebant. Cafrienſes populi, nunc quoque pagani, unum ſolum ſupremum Numen venerantur, cui Vaccas, oveſque immolant, & lac offerunt, noctiſque tempore ad Lunam ſuperſtitioſe converſi ſub dio peragunt ſacra. Antiquos item Americanos, idem Picardus tradit, conſueviſſe in propatulo apertoque loco, arboribus referto, ſimplici ritu eorum ſacra peragere; additque, nonnullas illius Novi Orbis nationes noſtro quoque ævo ſub dio victimas mactare ſuper aras vetuſtiſſimorum moribus accomodatas. De Sinenſibus, in vita Fochii, primi Sinenſium Imperatoris, refert, antiquiſſimos Sinenſium in Silvis ſupra montes ſupremo Cœli, terræque Spiritui ſacra feciſſe; tertiumdecimum vero illarum Gentium Imperatorem, Hoamati dictum, primum Templum ſummo Spiritui erexiſſe. Vetuſtiſſimi colendi Deum ritus exarati ſunt in Sinenſium libris, qui dum illarum Gentium ſupputationibus fides habeatur

(a) *Lib. 4. cap. 11. de C. D.* (b) *Tom. 1. & 2. de illarum gent. relig.*

Digitized by Google

beatur, Moſaicis Annalibus longe eſſent antiquiores. Hactenus excerpta ex opere Picardi. Conſtantinus (a) addit, ex Sinenſium hiſtoria haberi, Fochium primum eorum Imperatorem conſueviſſe ſolas ſeptem animalium ſpecies ſummo Spiritui immolare. Silveſtres Americani, referente (b) Laſitavio, non habent Templa; eorum autem Dei cultus non differt ab antiquiſſimo populorum noſtri hemiſpherii.

Origenes libro primo contra Celſum diſſerens, ſic inquit: „ Pythagoras vetuit imaginem Dei inſcribi; hancque fuiſſe Numæ Pompilii doctrinam, Deum ſcilicet „ non poſſe ſenſu percipi, ſed ſolum intelligi. Hæc eadem fuit aliorum antiquiſſimorum populorum ſententia, uſu quoque recepta. De antiquis Romanis Plutarchus in vita Numæ confirmat id, quod Origenes ſcripſit, ubi ſic ait: „ Nulla ficta apud eum, vel picta imago fuit; quippe hominum, aut animalium ſpecies Diis tribui vetuit. Alexander ab Alexandro (c) addit, antiquiſſimos Romanorum centum ſeptuaginta annos ſine Deorum imaginibus vixiſſe. In Perſide quoque, referente (d) Picardo, primum Templum ab Hiſtaſpe Rege ſine ſimulacris conſtructum fuit. Silvius Italicus libro tertio de antiquis Hiſpanis ait: „ Nulla effigies, ſimulacraque nota Deorum; „ majeſtate locum, & ſacro implevere timore. Strabo libro tertio & decimo ſeptimo teſtatur, antiquos Hiſpanos, & Æthiopes nulla in Templis ſimulacra habuiſſe. Tacitus capite quarto de moribus antiquorum Germanorum ſic ait: „ Ceterum nec cohibere parietibus Deos, neque in „ ullam humanioris ſpeciem aſſimilare ex magnitudine „ Cœleſtium arbitrantur: Lucos ac nemora conſecrant,

(a) *Sect. 6. § 37.* (b) *Tom. 1. pag. 112. & ſequent.*
(c) *Lib. 6. cap. 26. dier. gen.* (d) *Tom. 2. de antiq. Perſ. relig.*

Digitized by Google

„ Deorumque nominibus appellant ſecretum illud, quod „ ſola reverentia vident. Samienſis Regni incolæ, ut Salmonius (*a*) refert, nullam Statuam Deô erigunt; ajunt enim, ſe neſcire quonam modo imago Dei effingi poſſit. De antiquiſſima Ægyptiorum, & Syrorum religione verba faciens Huetius, ſic (*b*) inquit: „ Optimis illi quidem „ ad colendum Deum ritibus, a primis gentis ſuæ auctoribus a Noacho oriundis, olim fuerant inſtituti: quamobrem nulla in eorum Templis ſimulacra viſebantur; uti „ neque apud Syros, quemadmodum Lucianus affirmat. Simplicem Ægyptiorum antiquorum, & Syrorum Dei cultum, vetuſtiſſimorum Patriarcharum moribus accomodatum, de quo Luciani teſtimonio ſcribit Huetius, reliquæ quoque gentes ſervaverunt, ut a nobis expoſitum eſt, identidem edoctæ a ſuis majoribus, ab eodem Noacho oriundis; immo noſtro quoque ævo remotiſſimæ nationes iiſdem priorum Patriarcharum ritibus Deum colunt. Picardus (*c*) refert, populos Quillamancæ, Lovangiæ, Quiſungi, alioſque finitimos nullas habere in Templis Dei, ſive Deorum imagines; ſimplici ritu ſacra peragere, & unum ſolum ſummum Deum colere: pluribus autem ſuperſtitionibus obnoxios eſſe affirmat. Vetuſtiſſima Gentium Templa nulla quoque erant magnificentia ornata, ut ibi ſola Dei majeſtas veneraretur priorum ſimplici more, ut Lucanus (*d*) canit:

Non illic poſuerunt ditia Gentes
Templa; nec eois ſplendent donaria gemmis.
Pauper adhuc Deus eſt, nullis violata per ævum
Divitiis Delubra tenens: morumque priorum
Numen Romano Templum defendit ab auro.

Laſita-

(a) *Tom.* 3. *cap.* 7. (b) *Propoſit.* 4. *cap.* 6.
(c) *Tom.* 2. *de relig. Quill. &c.* (d) *Lib.* 9. *Pharſal.*

Digitized by Google

Laſitavius in exordio ſui operis animadvertit, viatores, & mercatores deficere in multis, dum judicium proferunt de religione, ac moribus diſſitarum nationum, quibuſcum aliquam conſuetudinem habuerunt: conjecturis enim, inquit, incertis, ſæpe vanis, interdum falſis utuntur; inter quas recenſet conjecturas illorum aſſerentium, Silveſtres Americanas nationes nullam habere religionem, neque ullam Divinitatis notionem: quod omnino falſum eſſe percepit ex diutina quinque annorum conſuetudine, quam cum illis gentibus habuit, dum Miſſionarii munere Laſitavius fungeretur; inveniſſe enim teſtatur apud illos Silveſtres populos non religionem modo naturalem; ſed & Dei cultum, haud diſſimilem ab antiquiſſimo noſtri hemiſpherii; additque (a) populos illos fateri, Deum fuiſſe religionis auctorem, & eſſe religionis objectum. Præterea Laſitavius teſtatur, oblationum, & ſacrificiorum morem fuiſſe repertum apud omnes gentes; ortumque habuiſſe in prima mundi ætate cum religione; & ſimplicem colendi ritum diu apud cunctas nationes permanſiſſe. Hujuſce veritatis inter ceteros Ethnicos ſcriptores teſtimonium Ovidii in medium profert, qui lib. 1. Faſt. ſic canit:

Thura nec Euphrates, nec miſerat India Coſtum,
Nec fuerant rubri cognita fila Croci,
Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus aduſta ſono.

„ Hac antiqua methodo, ſequitur Laſitavius, utuntur Sil-
„ veſtres Americani, qui Deo offerunt ſuorum agrorum
„ fruges; & ſuper aras ſimplices mactant animalia, quæ
„ capiunt venatione.

Sciebant quoque Gentes, cultum exteriorem ab in-

 teriore

(a) *Tom. 1. pag. 108. — pag. 177. & ſequent.*

teriore differre; & cultum exteriorem eſſe ſignum interioris, ita ut nec electæ victimæ, & a Deo juſſæ, probatiſque ritibus oblatæ, Deo gratæ eſſent, niſi iis offerentis pietas pretium adderet; agnoſcebant enim a Deo eſſe omnia, & rebus his non indigere: propterea fatebantur, Deum non conciliari ſacrificiis, aut oblationibus quæ ab improbis proficiſcuntur. Hinc ſtultum, immo impium putabant, ſi quis eam de Deo ſummo, ſive de Diis inferioribus opinionem hauriat, eos munerum ſacrificiorumque magnitudine ita deliniri, & velut obligari poſſe, ut avarorum Judicum inſtar, iis maxime faveant, qui munerum copia Deorum gratiam mereri poſſint, ſive condignam delictorum pœnam evitare. Propterea Hermes Triſmegiſtus (*a*) apud Pſannerum Aſclepio thure Deum precaturo ſuccenſens „ melius ominare, ait, o Aſclepi: hoc „ enim ſacrilegiis ſimile eſt, cum Deum roges, thus at- „ que cetera accendere — Nihil enim deeſt ei, qui ipſe „ eſt omnia, aut in quo ſunt omnia. Quippe ſimilem ad formam Seneca, libro quarto de beneficiis „ nec ille „ collato eget, nec nos ei quidquam conferre poſſumus. Menelaus quoque libro primo inquit: „ Jam quidem pro- „ pitiari Deum intemeratis ac mundis manibus. Conſideravit id Socrates „ qui, ut de illo, libro primo Xeno- „ phon tradit, quum de facultatibus exiguis tenuvia ſa- „ cra faceret, nihilo ſe putabat minus præſtare, quam ii, „ qui de magnis & copioſis opibus multas & amplas ho- „ ſtias cæderent. Narrat Socrates apud Platonem, Alicb. 11, tamquam a ſenioribus traditum, Athenienſes adverſus Lacedemonios bellum habentes, cum omnibus præliis inferiores, miſſis Legatis, Ammonem conſulerent, quam ob cauſſam Dii Lacedemoniis potius, quam Athenienſibus victo-

(a) *Cap. 15. de Sacrif.*

victoriam largirentur, cum ipſi tamen ſacrificia cum plura, tum decentiora, quam Græcorum reliqui offerrent; nihil aliud reſponſi loco retuliſſe; quam placere magis ſibi Lacedemoniorum acclamationes (preces nempe, ut ipſe Socrates explicat) ac reliquorum Græcorum ſacra omnia; ſimilemque in modum etiam Trojanos nihil ſacrificiis ſuis apud Deos profeciſſe, ex Homero referens; neque enim, inquit Socrates, ejuſmodi eſt Dei natura, ut ducatur muneribus, quemadmodum improbus fœnerator: ſed nos nimium deliramus, ſi quando nos Lacedemoniis propter munera acceptiores Deo eſſe ducimus. Etenim grave eſſet, ſi Deus ad donaria, & ſacrificia noſtra reſpiceret potius, quam ad animum, utrum juſtus ſanctuſque ſit, ad quem equidem Deum arbitror multo magis attendere, quam ad multi ſumtus pompas atque ſacra, quæ nihil prohibet, eum qui multa in Deum homineſque peccaverit, ſeu privatus ſit, ſive reſpublica, ſingulis annis perficere. Deus autem utpote a muneribus incorruptus, ſpernit hæc omnia, ut ipſe ejuſque Propheta prædixit. Hactenus Socrates. Hinc & Ovidius (*a*) cecinit:

Thuraque mente magis plena, quam lance dediſſem.

Hæc omnia plane conveniunt cum religione primæ mundi ætatis, a Moſe deſcripta: omnes quippe Gentes a ſuis primis auctoribus veram religionem, ritumque colendi Deum didicerunt; quæ poſterorum memoriæ tradita, propriis ſingularum nationum ſcripturis ac monumentis exarata, canticis expreſſa, moribuſque inſerta perpetuata apud omnes videntur; in progreſſu enim hujus operis uberrime demonſtrabitur, cuncta ea, quæ eſſentiam religionis conſtituunt, quæque prima fuerunt, & ad verum Deum referuntur, neque a vanis hominum commentis, neque a ſuper-

(*a*) *Lib. 4. Epigr. 9.*

Digitized by Google

ſuperſtitione, neque ab idololatria deleri potuiſſe; & eſſentialia veræ religionis apud omnes nationes omni ævo viguiſſe & vigere : quod enim a Deo eſt, in æternum permanet. Profecto ſupra hoc idem fundamentum ædificata videtur cum Moſaica, tum Chriſtiana religio; ſed & omnes Gentium corruptæ ab humanis inſtitutionibus religiones, de quibus in ſequentibus erit ſermo, ſupra id idem nituntur. Hoc unum igitur ex monumentis hactenus adductis colligere intelligo, ut ſuſcepti muneris ratio poſtulat, vetuſtiſſimarum Gentium cultum plane convenire cum illo ſimplici antiquiſſimorum Patriarcharum, a Moſe deſcripto.

Addendum cenſeo, ex eo quod Gentes appellent aliquas rationales creaturas Deorum nomine, Ethnicos dici non poſſe. Etenim de hac appellatione magnus Auguſtinus diſſerens, (*a*) inquit: De ipſo nomine, quo hujuſmodi immortalem beatamque creaturam Deos appellent, ideo inter nos, & ipſos nulla eſt diſſenſio, quia & in noſtris ſacris litteris legitur: Deus Deorum Dominus locutus eſt: & alibi confitemini Deo Deorum: & alibi: Rex magnus ſuper omnes Deos. Illud autem ubi ſcriptum eſt: terribilis eſt ſuper omnes Deos, cur dictum ſit, deinceps oſtenditur; quoniam enim omnes Dii Gentium Dæmonia: Dominus autem Cœlos fecit: ſuper omnes ergo Deos dixit, ſed Gentium, ideſt quos Gentes pro Diis habent, quæ ſunt Dæmonia: ideo terribilis, ſub quo terrore Domino dicebant: veniſti perdere nos. Illud vero, ubi dicitur, Deus Deorum, non poteſt intelligi Deus Dæmoniorum: & illud, Rex magnus ſuper omnes Deos, abſit, ut dicatur, Rex magnus ſuper omnia Dæmonia. Sed homines quoque in populo Dei eadem ſcri-

(a) *Lib.* 10. *cap.* 1. *de C. D.*

Digitized by Google

ſcriptura Deos appellat. Ego, inquit, Dii eſtis, & filii excelſi omnes. Poteſt itaque intelligi horum Deorum Deus, qui dictus eſt Deus Deorum, & ſuper hos Deos Rex magnus, qui dictus eſt Rex magnus ſuper omnes Deos. Verumtamen cum a nobis quæritur, ſi homines dicti ſint Dii, quod in populo Dei ſunt, quem per Angelos, vel per homines alloquitur Deus: quanto magis immortales eo nomine digni ſunt, qui ea fruuntur beatitate, ad quam Deum colendo cupiunt homines pervenire? Quid reſpondebimus, niſi nos fruſtra in ſcripturis ſanctis expreſſius homines nuncupatos Deos, quam illos immortales ac beatos, quibus nos æquales futuros in reſurrectione promittitur, ne ſcilicet propter illorum excellentiam, aliquem eorum nobis conſtituere Deum infidelis auderet infirmitas; quod in homine facile eſt evenire. Et evidentius dici debuerunt homines Dii in populo Dei, ut certi ac fidentes fierent, eſſe eum Deum ſuum, qui dictus eſt Deorum Deus: quia etſi appellantur Dii immortales illi, & beati, qui in cœlis ſunt, non tamen dicti ſunt Dii Deorum: ideſt Dii hominum in populo Dei conſtitutorum, quibus eſt dictum: Ego dixi, Dii eſtis, & filii excelſi omnes. Hactenus Auguſtinus. In eadem ſententia fuit eximius Eccleſiæ Doctor Hieronymus, qui ſic *(a)* inquit: „ Prudens lector attende, quod ex conſequenti„ bus, textuque ſermonis Apoſtoli, nequaquam homi„ nes, ſed Dii appellantur.

Dè

(a) *Lib. 3. cap. 16. Comment. in Matth.*

Digitized by Google

CAPUT III.

De origine, & progreſſu Idololatriæ.

SUpervacaneum fortaſſe quibuſdam videbitur de origine, & progreſſu Idololatriæ verba facere, quum hac de re integra celeberrimorum Virorum volumina in lucem edita ſint, inter quæ eruditiſſimum opus V. Cl. Gerardi Voſſii recenſetur. Conſilii itaque mei aperiam rationem, quæ me impulit, ad ſcribendum de rebus quoque ab aliis jam vulgatis, & uberrime probatis. Illa præcipua porro eſt, quod dum agitur de novo ſyſtemate condendo, ſuſceptum opus ſuis neceſſariis, ac integralibus partibus apte coagmentari debet; ita ut & partibus omnibus ſtet ſuis, ſed & complexione tota in ſe ſubſiſtat, undecumque illud ſpectes; idcirco partes omnes in punctum veluti unum deſinant, a quo ad ambitum æquales lineæ, quæ ſunt propoſiti ſyſtematis partes, ducanrur. Propterea de rebus ab aliis vulgatis ſtrictim agam, quod & in ſuperioribus capitibus præſtiti, eaque tantummodo in medium proferam, ex quibus liquido appareat, in ipſa expilata, ſive fœdata religione eadem celſiſſima principia contineri, quæ e diametro cuilibet impietati adverſantur; quod neque Voſſius, neque alii præſtiterunt; aliud enim agendo de vera religione, & idololatria ſcripſerunt, hoc eſt non eo reſpexerunt, ut impietatis ſyſtema everterent: „ Vera religio, inquit (*a*) Voſſius eſt actus, ſive officium ſervitutis erga Deum: Idololatria eſt, quoties „ actus ſoli Deo debitus, alteri defertur. Opus eſt tamen diſtinguere cultum proprium a ſymbolico: cultus „ pro-

(a) *Lib. 1. Cap. 5.*

„ proprius eſt, quando quod colitur proprie & in ſe Deus „ exiſtimatur: cultus ſymbolicus eſt, quando quid coli- „ tur, non quia credatur Deus, ſed quia Deum ſignifi- „ cet. Cultus proprius dividitur in ſimplicem, & mix- „ tum. Simplex eſt, ubi animus in unius cultum fer- „ tur, ſummi Entis: mixtus eſt, quando colentis ani- „ mus in plura diffunditur, v. g., in Creatorem, & „ creaturas ſpirituales, ſive medias, ſive imas. Deus optime ſciens, humanum animum ſenſibus ad cognoſcendum uti, hinc eidem difficillimum eſſe ſupra ſenſibilia ſe attollere; propterea ab initio conſtituit ſui cultum ſupra ſimplicem Aram, quæ nullam cum Dei natura analogiam haberet. Prævidebat enim futurum, ut ſigna analogica, ſive ſymbolica, quæ in divino cultu ſub ſenſus caderent, ipſa per ſe ab hominibus tandem colerentur. Quod periculum, ut quam maxime ab humana imbecillitate arceret, ſimplicem adhiberi voluit erga ſe cultum; nullo quippe in Dei cultu ſigno ſymbolico conſtituto, colentium animi ſponte ſe attollunt, animadvertentes, divinam naturam a reliquarum ſpecie eſſe diſſimillimam; & hoc ipſo cultores edocentur, nullo corporeo ſymbolo naturam divinam poſſe ſignificari; præterea deficiente ſumtuoſo apparatu reipſa percipiunt, pretium eſſe in animis pie & juſte colentibus. Ad has primigenias divinas inſtitutiones reſpiciens Moſes, ſic (*a*) cecinit: „ Dei perfecta ſunt „ opera, & omnes viæ ejus judicia.

Videndum modo eſt, unde divini cultus corruptio proceſſerit. „ Modicum fermentum, ut ab Apoſtolo (*b*) „ monemur, totam maſſam corrumpit. Exordia quidem omnium corruptionum parva & obſcura ſunt: profecto ſuperſtitio, ac demum idololatria paulatim, & quaſi gradibus

(a) *Cant. Deuter. cap.* 32. (b) *Ad Galat. cap.* 5.

dibus quibuſdam invecta videtur. Initia exilia fuere; additamenta enim, quæ ab initio aliena a vera religione haud putabantur, immo ad divinum cultum augendum inſtituta dicebantur, quod aure patula audit vulgus, temporis progreſſu ſpiſſam idololatriam invexerunt. Hoc pacto a rudibus populis novi ritus ſuſcepti fuere, idololatria ſua cœpit incrementa, & exinde cultus ſervitutis Deorum ortum habuit, ut manifeſte apparet ex miſeranda idololatriæ fecunditate, quæ magnam orbis partem occupavit; fluminis inſtar, quod auctis aquis, ruptiſque marginibus, ingentes campos longe lateque obruit. Quantum autem facile obrepat, atque in homines idololatria ſe inſinuet, oſtenditur exemplo quoque Iſraelitici populi ſæpe hac labe polluti. Cultus autem, humana inſtitutione ſub pietatis ſpecie invectus, dietim vires carpit; hinc fit, ut alii præſcriptione jam gaudere dicant: alii, ut pium naturalibus rationibus obtrudere contendant. Irrefragabili omnium temporum experientia ediſcimus, raro admodum homines in recta veritatis via vitam agere; præcipue hoc contigiſſe in Dei cultu, manifeſtum eſt. Vera etenim religio conſiſtit in veri Numinis cultu, ea mente, ac ratione, qua coli vult, ac debet. Vera itaque religio inter duo conſiſtit extrema, quæ ſunt atheiſmus, ſive impietas, & ſuperſtitio, ac idololatria, quæ ſibi invicem e diametro oppoſita ſunt.

Agendum primum eſt de cauſſis ſuperſtitionis, quæ indebitus Dei cultus a recentioribus dicitur. Varia quidem ſunt ſuperſtitionum genera ex variis adfectibus orta, ſcilicet vanis figmentis, motibus ridiculis, commentiſque, quæ per errorem divina eſſe putant, quamquam a Deo neutiquam conſtituta ſint; unde ſuperſtitio campum ampliſſimum, in quo vim ſuam exerat, invenit;

ut

Digitized by Google

ut in populo quoque Judaico ex Phariſeorum doctrina comprobatur. In hunc cenſum merito omnes illi veniunt, qui in ſolo Dei cultu externo ſpem omnem ſalutis collocant, de interno parum ſolliciti. Placet namque pleriſque mortalium iſta colendi Deum ratio; eo quod cum pravis, quibus indulgent cupiditatibus, eam conſiſtere poſſe, ſibi perſuadent. Subinde alii ulterius progrediuntur, & ſibimetipſis cultum quendam numinis externum fingunt, qui neque mandato divino nititur, neque probos reddit homines; quum autem hujuſcemodi ſpontanei cultus ſpeciem quandam pietatis præſeferant, haud raro incauti falluntur; propterea, nulla cordis munditie quæſita, in multiloquio, in voluntariis ritibus, ac variis cæremoniis ſeſe exerit eorum religio; & hoc pacto a recto tramite aberrant. Plures quidem ex animi levitate, ſtolidaque credulitate multa ſuſcipiunt, quæ indirecte veram religionem evertunt, negligendo interni cultus rationem. Profecto ritus cærimoniæque in Dei cultu obſervandæ ſunt, quum cultus externus ſine ritibus ac cærimoniis eſſe nequeat; non licet autem reſilire ab eo cultu externo, qui a Deo præceptus eſt, aut ſaltem Dei præcepto non adverſetur. Ex corrupta igitur ratione primordia hauſit quælibet ſuperſtitio, quæ animadvertenti facile ſe prodit; propterea præſtantiores quoque Ethnicorum Philoſophi ſuperſtitionem a religione ſepararunt; ſuperſtitioni enim vitii, religioni laudis nomen tribuerunt. Porro tantum abeſt, ut ſuperſtitio, ſive indebitus Dei cultus deleat celſiſſima capita, ex quibus ſponte fluit religio; quum ſuperſtitioſi ritus nihil aliud ſint, niſi vana hominum commenta inſerta veræ religioni, quam quidem maculant, non autem delent.

Picardus de cauſſis Idololatriæ (a) diſſerens, in ea

 eſt

(a) *Tom. I. de relig. Gentil.*

eſt ſententia, ut quibus modis ab Ethnicis Idololatria defenditur, iiſdem rationibus fuerit invecta. Non uno tamen eodemque tempore, neque ex iiſdem cauſſis, rationibuſque cœpiſſe apud gentes oſtendit, quod præcipue deducit ex variis gentium ritibus. Sacerdotum, & Parentum ignorantiæ originem Idololatriæ tribuit, qui nunc quoque, Idololatriæ labe polluti, ſenſibilia objecta ad colendum Deum populis proponunt; inſtillantque in ſubditorum animos ea, quæ ipſi quoque prave ſentiunt. Quum autem Idololatria proprie ſit, quoties actus ſoli Deo debitus, alteri defertur; de hoc cultu inſtituendus eſt ſermo. Ex contextu hujus operis luculenter apparet, Ethnicos Deorum vocabulo intelligere Spiritus Dei ſummi adminiſtros, quos Deorum immortalium nomine appellant, propterea quod corporeis vinculis nunquam fuerint illigati, qui ſunt in populo Dei Angeli Sancti nuncupati: aliquando Ethnici Deorum nomine intelligunt Defunctorum animas, ab ipſis deificatas, quas putant ad Cœlum aſcendiſſe, eſſe ſummi Numinis amicas, & mortalium curam gerere; Diique animales vocantur.

Inter contaminandæ religionis cauſſas avaritia quoque fuit „ quam, ut inquit (a) Apoſtolus, quidam ap- „ petentes erraverunt a fide. Docent enim, ut alibi (b) „ idem Apoſtolus, quæ non oportet, turpis lucri gratia. De quibuſdam Hebræorum Doctoribus D. Hieronymus ſic (c) loquitur: Præceperat Dominus, vel imbecillitates, vel ætates, vel penurias Parentum conſiderans, ut filii honorarent, etiam in vitæ neceſſariis miniſtrandis, Parentes ſuos. Hanc providentiſſimam Dei legem volentes Scribæ, & Phariſæi ſubvertere, docuerunt peſſimos filios, ut ſi quis.

(a) *Ad Coloſſ. cap.* 3. (b) *Ad Titum cap.* 1.
(c) *Lib.* 1. *comment. in Matth. cap.* 15.

Digitized by Google

ſi quis ea, quæ Parentibus offerenda ſunt, Deo vovere voluerit, qui verus eſt Pater, oblatio Domini præponatur Parentum muneribus: certe ipſi Parentes, quæ Deo conſecrata cernebant, ne ſacrilegii crimen incurrerent, egeſtate conficiebantut: atque ita fiebat, ut oblatio liberorum ſub occaſione Templi, & Dei, in Sacerdotum lucra cederent. Hactenus Hieronymus. Redemptor ipſe Hebræorum avaritiam redarguit, ubi (*a*) inquit: „ Scriptum eſt: Domus mea domus orationis vocabitur, „ vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. De Ethnicorum Sacerdotum avaritia in medium proferre poſſem plurima monumenta, ex quibus vera religio fœdata appareat; & idololatricos cultus invectos fuiſſe avaritiæ cauſſa palam videtur. Brevitatis ſtudio nonnulla duntaxat referam. „ Tacta de Cœlo, ſcribit (*b*) Livius, Ædes Ju- „ nonis Reginæ, prodigiumque id ad Matronas pertine- „ re Aruſpices cum reſpondiſſent, donoque Divam pla- „ candam eſſe, Ædilium curulium edicto in Capitolium „ convocatæ, quibus in Urbe Roma, intraque decimum „ lapidem ab Urbe domicilia eſſent, ipſæ inter ſe quin- „ que & viginti delegerunt, ad quas ex dotibus ſtipem „ conferrent; inde donum pelvis aurea facta, lataque in „ Aventinum, pure & caſte a Matronis ſacrificatum. Memorabile illud eſt, quod de Afrorum more (*c*) ſcribit Cavazius ocularis teſtis, quodque ſtrictim referam: Antiſtites, qui inter eas ethnicas gentes ſacris præſunt, præter unum ſummum Deum, alios quoque minores divinis honoribus colunt; propterea quod, ut docent, alii corporum infirmitatibus medeantur: alii fecunditatem agris tribuant: alii proſperos eventus, futuraſve calamitates præmon-

(a) *Matt. cap. 21.* (b) *Lib. 7. Decad. 3.*
(c) *Lib. 1. num. 169. uſque 174.*

Digitized by Google

monſtrent : alii denique ab imminentibus periculis tueantur ; ſubſidiaque valida in neceſſitatibus præſtent. Profecto ex hac avarorum Sacerdotum doctrina, apud omnes fere Ethnicos pervulgata, ingentia lucra eorum Sacerdotes captare ſolent : ubi enim de ſublevandis humanis neceſſitatibus agitur, quiſque ad largiendum proclivis eſt. Poſitis igitur a Sacerdote oblatis muneribus ante Deorum ſimulacra, a quibus beneficia petuntur ; tum Sacerdos, indicta ſolemnis ſacrificii die, priuſquam ad littandum accedat, enixe rogatur, ut ei qui dona obtulit, propitios Deos faciat : noviſque muneribus Sacerdos cumulatus, tandem magna miniſtrorum comitante caterva, Templum ingreſſus, vota ſupplicantis exponit, oblata dona recenſet, oratque pro ejus incolumitate, qui illa largitus eſt : quibus peractis, reliqua miniſtrorum turba, barbaro concentu canente, indecoriſque ſaltationibus ſe jactante, homines atque bruta mactantur. Potatur ab adſtantibus victimarum ſanguis, voratur caro : oſſa vero diligenter a Sacerdotibus collecta, populis diſtribuuntur, non ſine Sacerdotum emolumento, qui illa ad recuperandam, tuendamque ſanitatem, aliaque beneficia obtinenda, utilia eſſe decantant. Quod ſi pluvia ab hiſce Diis petita ſit, primas cadentis aquæ guttas, accurate a Sacerdotibus collectas, magno vendunt pretio, tanquam aptiſſima adverſus calamitates ærumnaſque præſidia. Plura alia de dolis, fallaciiſque, quibus rudes populi capiuntur, addere poſſem, ſed hæc ſint ſatis ad oſtendendam ignorantiam, ac avaritiam Ethnicorum Sacerdotum, qui ſuis additamentis, vaniſque commentis veram religionem turpiſſime fœdarunt.

Ab antiqua quoque Sacerdotum Theologia, quæ apud nonnullos populos inſorduerat, corrupta fuit Religio.

Plu-

Plutarchus de Iſide & Oſiride ſic inquit: Vetuſtiſſima a ſacrarum profeſſoribus rerum, & legislatoribus derivata eſt opinio, auctore incognito, fide firma & indubitabili, non in ſermonibus ea tantum, & in rumoribus, ſed & in miſteriis, ac ſacrificiis tam barbaris, quam græcanis exſtans: neque caſu fieri, & a fortuna pendere Univerſum, mente, ratione, gubernatore deſtitutum: neque unicam eſſe rationem, quæ contineat, ideſt dirigat, tanquam clavum, aut fræna moderans: ſed quum permulta bonis juxta maliſque ſint confuſa, immo natura hæc ſincerum, ut verbo dicam, proferat non eſſe unum aliquem promum, qui e duobus doliis res nobis, veluti aliquem liquorem, cauponis in morem diſtribuat, atque miſceat. Ergo a duobus principiis contrariis, adverſiſque duabus facultatibus, quarum altera retrorſum avertatur, atque reflectat, cum vitam eſſe mixtam, tum Mundum ipſum (eum ſaltem, qui ad terram eſt, & Lunæ ſubjacet) inæquabiliter ferri, variiſque, & omnis generis motibus agitari. Si enim nihil abſque cauſſa ſit, & mali cauſſam bonum non præbet, neceſſe eſt in natura, ut boni, ita etiam mali ortum peculiarem, ſuumque principium exſtare. Atque hæc quidem ſententia pleriſque, & iiſdem ſapientibus probatur: exiſtimant enim alii, duos eſſe Deos quaſi contrariis deditos artibus, ut bona alter, alter mala opera conficiat: alii eum qui eſt melior, Deum, qui deterior, Dæmonem dicunt. Eadem opinio fuit Perſarum, qui illam accepere a Zoroaſtre, qui boni principium vocavit Oromaſdem: mali Arimanium: bonum enim ſive Deum, ſive Creatorem Hormidaſten Perſæ appellant: Arimanes autem peſſimo illi, ac pernicioſo eſt nomen: Hormidaſten e luce puriſſima natum eſſe: Arimanium e caligine, perpetuoque hos inter ſe bellum

Digitized by Google

bellum gerere: Hormidaſten eſſe ſublimiorem Mishra, hoc eſt ſole; quanto eodem Sole inferior eſt Pluto, ſive Arimanius. Oromaſden quidem feciſſe ſtellas, & bonos Deos, inque ovo poſuiſſe: per ovum enim Mundus myſtice intelligitur, cui antiquiſſimi ovalem figuram tribuerant: in his Sanchoniaton, vetuſtiſſimus rerum phœnicarum ſcriptor, refert, ovum Mundi eſſe ſymbolum, & Arimanium ovum illud perforaſſe, atque ita bona permiſcuiſſe malis, & mala bonis, maloſque Genios condidiſſe; hinc coortas eſſe inimicitias inter Oromaſdem, & Arimanium, atque alterum alterius opus demoliri: ſed factum fore, cum Oromaſdes Arimanium vincat, immo prorſus aboleat, homines tum demum pacifice, beateque victuros. Hactenus Plutarchus. Quæ fabuloſa, inquit (a) Voſſius, ex parte eſſe nemo non videt; interim non obſcuræ hic apparent reliquiæ doctrinæ Noachicæ, tum de Deo habitante lucem inaceſſam, Mundique opifice, tum de Satana aeris, ac caliginis Principe, mali omnis fonte & auctore: quæ æternis tenebris addicto, homines beatam cum Deo vitam degent. Ægyptiis plures erant Dii: præcipuus interim honos duobus erat principiis ac cauſſis Univerſi: uni omnis boni, alteri omnis mali; unde rerum corruptio. At ex eorum ſententia, in hac rerum ab utroque mixturam, prævalet facultas melioris Numinis: attamen non intantum, ut deterioris opus aboleat prorſus: quippe & vis iſta deterioris principii penitiſſimis inhæret corporibus, ſaltem illis ſub Luna conſtitutis. Principium omnis boni ab Ægyptiis dicitur Oſiris: principium deterius vocatur Thypho: melioris principii, quod Oſiridem dixere, in anima imago eſt ratio, ſive mens: Thyphonis vero ſimulacrum eſt pars animæ affe-

(a) *Lib. 1. cap. 5.*

affectibus æſtuans. In corpore humano Oſiridis imago eſt facultas bonum præſtans temperamentum: Thyphonis autem facultas morbos, & mutationes arceſſens. In Cœlo, & elementis Oſiridem repreſentat quidquid ordinatum & æquabile: Thyphonem quidquid inordinatum, & inæquabile. Horum omnium non locupletem magis teſtem laudare poſſum, quam Plutarchum. Eodem magiſtro cognovimus, quomodo illa de duobus principiis opinio ad Græcos Philoſophos ſit derivata. Satis ex his liquet, quam antiqua ſit, & unde profluxerit doctrina de duobus naturæ principiis, bono Deo, maloque Genio; quorum ille ſit cauſſa omnis boni, & coli debeat, ut faciat bene: hic autem ſit omnis mali auctor, & coli debeat, ne malus male faxit. Quum tamen ſpiritus ille nequam nationes quoque a nobis longiſſime diſſitas peſtifero aflatu infecerit, de his idem Voſſius ait: Calecutenſes Dæmonem agnoſcunt, & colunt, quem falſo credunt Dei Vicarium in Mundi adminiſtratione. Item Japponii Dæmonem colunt. Mexicani pro bonis temporalibus Dæmoni ſupplicant, ſaltem ne noceat. Tapajonum gens vagabunda, & fera in America duplex fatetur Numen, bonum, malumque, hoc eſt Dæmonem, quem colunt, & invocant. De cultu autem a gentibus præſtito Angelis bonis, maliſve, Heroibuſque vita functis, ſic idem Voſſius: De hoc Spirituum cultu ſic cenſeo, ante animas humanas Angelos ſanctos divino honore affectos: ante Angelos bonos, Principem malorum, quem Satanam dicimus, non ſolum tamen, ſed una cum Deo, boni omnis fonte. Poſtquam enim Satan præ invidia primos Parentes de ſtatu innocentiæ ejecit, terram ſciens propter eos fuiſſe maledictam, nec Deum propterea amorem omnem generis humani depoſuiſſe; quippe qui variis modis ad

Digitized by Google

pænitentiam provocet, & invitet; ille mille fraudum artifex, circumit univerſos; in nihil æque intentus, quam ut illos tum a recto avocet cultu, tum graviſſimis malis, Deo ita permittente, affligat; & poſt judicium ultimum ſocios habeat pœnarum, quas ipſe eſt ſubiturus. Salutarem adeo doctrinam nunquam deſtitit Noachus prædicare liberis, & nepotibus ſuis, ea ſpe, ut ipſi per manus iſtam traducerent ex ſe naſcituris: ſed quæ Patriarcha tantus præbuerat dextra, hæc paulatim poſteri ſiniſtra acceperunt. Noachidæ igitur exinde duo ſunt commenti principia pari, vel ſuppari poteſtate: boni unum, alterum mali: atque eo deventum eſt, ut quemadmodum colerent principium boni, quod bona inferret; ita venerarentur principium mali, ne mala inferret. Ad traditionem corruptam etiam corrupta ratio acceſſit: ſic enim collegerunt, eum qui in ſe eſſet optimus, & omnis boni fons unicus, non eſſe miſeris mortalibus mali ullius principium & cauſſam: at vero in mundo hoc multa eſſe homini mala, & noxia, tum in mutis animalibus, & plantis, tum etiam in ceteris: uti famem, peſtilentiam, tempeſtates, ceteraque id genus: quare quum non debeamus Deum comminiſci, qui dextra panem, ac potum ſalubrem, ſiniſtra venenatum eidem præbeat cibum, potumque; omnino præter principium omnis boni, etiam ſtatui oportere omnis mali principium; ac proinde illi facienda ſacra, ut bonum conſequamur; huic vero ad malum averuncandum. De Diis gentium, ſequitur Voſſius, quos inter Deos publica adſcivit auctoritas, quoſque dixere Spiritus cuſtodes, quos Deus vel obſervatores homini appoſuit, vel tutelæ præfecit loci; hinc promeriti crederentur, ut ſacra iis, votaque publice fierent. Ex Atheneo habetur: primas oblationes ab aliquibus gentibus inſtitutas, illiſque Spiritibus

bus oblatas fuiſſe, vinum, mel, caſeum, farinam, & olei pauxillum: ab aliis vero, album triticum, hordeum, piſum, eruum, cicer, lens, faba, zea, avena, caricæ, mel, oleum, vinum, lac, quin etiam illota ovis lana. Porro ex Angelicæ naturæ excellentia, & beneficiis ab his ſanctis ſpiritibus humano generi præſtitis, factum eſt, ut ſanctis Angelis gentes exhiberent divinum honorem. De Heroibus vita functis ſic (a) idem Voſſius: Heroas ut Dei adminiſtros, pariterque amicos, orantes pro hominibus, bonaque iis a Deo ſummo impetrent, ac procurent. Hinc promeriti crederentur, ut ſacra iis, votaque publice fierent. Hæc ſunt potiora, quæ Voſſius de origine Idololatriæ congeſſit.

Picardus (b) autem primam Idololatriæ originem inquirens, eam deducit e ſymbolis illis, quæ ab antiquis exhibita fuere ea duntaxat mente, ut naturæ divinæ attributa apertius exprimerentur. Suam ſententiam confirmare ſtudet Perſarum, Sabeorum, aliarumque diſſitarum nationum hiſtoriis, quæ ſtrictim referam. Antiquiſſimi, inquit Perſarum Solem, aut ignem, ad indicandam divinæ naturæ puritatem, activitatem, præſtantiamque, aptiſſimum crediderunt; hinc ſtatuerunt Solem, & ignem pro ſymbolo divinæ naturæ; cœperuntque eorum ſacra peragere, procumbentes coram igne, & verſus Solem: eodem autem tempore declarabant, ſe non adorare neque ignem, neque Solem, quos pro ſymbolis divinæ naturæ conſtituerant. Tractu temporis in eam ſententiam abierunt, Deum ſcilicet in his creaturis habitare, beatorumque animas in Sole collocari: demum putaverunt, Solem eſſe Divinitatis partem; propterea ſymbola ipſa gradatim evaſerunt eorum cultus objectum. Hæc hiſtoria, ſequitur Picardus, vera apparet ab exhortatione, quam ad noſtram

(a) *Lib.* 1. *Cap.* 41. (b) *Tom.* 2. *de relig. antiq. Perſ.* &c.

uſque ætatem Gaures, antiquiſſimi Zoroaſtris ſectatores, populo exhibent. Inquiunt hi, ignem dono a Deo Zoroaſtri eorum legislatori datum, cui dixit Deus, ignem eſſe partem ſuæ virtutis, ſuæque excelſæ Naturæ; propterea coli debere tanquam divinum, & ſanctum: inſuper addunt Solem, & Lunam eſſe teſtes Divinitatis. Ab hiſce commentis ortum habuit ignis ſacer a Sacerdotibus, & Veſtalibus in Templis ſervatus. Hæc autem craſſior ſuccedentium temporum corruptio fuit; ſiquidem antequam in Græciam, Xerſe Duce, Perſæ irrupſiſſent, ab antiqua vera religione, quam a majoribus acceperant, nondum receſſerant; hinc Perſæ idololatricum cultum, in Græciam jam invectum, abominio habentes, Græcorum Templa funditus a Perſis everſa, confractaque Idola fuerunt; ab hiſtoricis Græcis propterea Perſæ impii appellati, quamquam zelo veræ religionis, quam tunc Perſæ profitebantur, græcanica Delubra everſa fuerint. Adſunt nunc quoque monumenta vetuſtiſſimorum Perſarum cultus in lapidibus ex ruinis antiquæ Perſepolis erutis, in quibus inſculptæ cernuntur hominum imagines coram igne, & verſus ſolem proſtratæ. Sabeorum antiquiſſimi opinati ſunt, Aſtra eſſe animata: opinio hæc demum in ſententiam tranſiit; hinc aliqua veneratio pro Aſtris habita eſt; ſubinde cœpit ſuperſtitioſus Aſtrorum cultus, qui in manifeſtam Idololatriam tandem verſus eſt. Inquiebant enim, Aſtra ab intelligentiis eſſe animata; intelligentias autem eſſe medias inter ſummum Deum hominesque; idcirco invocandas, & colendas. Sinenſes quoque, Deum ſignificare volentes Univerſi Creatorem, finxerunt Statuam cum ampliſſimo ventre exſculptam. Ægyptii ut idem indicarent, finxerunt ſtatuam ex ore Ovum emittentem. Japponenſes ſtatuam exhibent, ſceptrum manu te-

nu te-

Digitized by Google

nu tenentem, in cujus ſummo ſculpta eſt Solis effigies, ad ſignificandum omnia a Deo gubernari, & dilucide cognoſci. Præterea Japponenſes ante ſpeculum, quod in Templis appendunt, Deum ſummum colunt, dicentes, ſicut in ſpeculo rerum objectarum imagines repræſentantur, ita in Deo humanas inſpici actiones; hac de cauſſa fit, ut ante ſpeculum ſe proſtrent, culparum veniam petant, demiſſe orent, atque ſacrificia, & holocauſta ſummo Deo offerant. Alii vero ejuſdem regionis, ante ſpeculum proſtrati ſilentes ſua peragunt ſacra dicentes, Deum vocibus non indigere, quibus mentis pietas, & humanæ neceſſitates declarentur. Orientales populi circulo Dei æternitatem exprimunt. A Græcis ſtatuam quandam vultu tetrico poſitam fuiſſe emittentem ſagittas ad denotandam divini Numinis in improbos vindictam. Demum concludit Picardus Symbolicum cultum apud gentes variis modis pollutum fuiſſe; & apud Sinenſes, & Japponenſes veram religionem fœdari cœpiſſe milleſimo circiter anno ante Redemptoris adventum. Et in Perſide corruptam fuiſſe religionem in ſolemni dedicatione illius Imperii, erigendo Veneri magnificum Templum, & huic Deæ Sacerdotes inſtituendo, ut idem Picardus refert. Romani quoque repræſentare volentes Divinam vindictam, teſte (a) Plinio„ finxerunt Jovem fulmina jaculantem. Quæ ſymbola, ut jam monuimus, Divinitatem utcumque ſignificantia, gliſcente in dies errorum labe, in ſuperſtitioſos cultus abierunt. Hanc gentium ſuperſtitionem, ex ſymbolis ortam, reprehendit libro de Iſide & Oſiride Plutarchus, ubi ſic legitur: At enim probandi ſunt, non qui iſthæc, ſed qui per hæc Numen venerantur, iſtæque recte habentur pro ſpeculis clarioribus, & a natura ſuppeditatis, tamquam inſtru-

(a) *Lib. 2. cap. 20.*

ſtrumenta, & artificia Dei univerſa ornantis. Itaque in his rebus nihilo deterius Divinæ naturæ concipitur imago, quam in æneis aut lapidibus operibus — In præſentia autem Deum, quaſi in pulcherrimo omnium ſomniorum ſomnio imaginantes, excitemus animos noſtros, hortemurque, ut altius ſe efferant, & Dei ſubſtantiam ſublimiorem naturalibus contemplemur, neque tamen non hanc ejus imaginem colamus & veneremur, quæ (quantum omnino res ſenſibilis de ea, quam ſola mens cernit, & caduca de perenni præſtare poteſt) fecunda eſt, indicia nobis quædam & ſimulacra effulgentia utcunque ſuggerendo bonitatem, & felicitatem Numinis iſtius repræſentantia. Hactenus Plutarchi ſententia, ex qua manifeſte colligitur, Ethnicos Philoſophos agnoviſſe vulgarem gentium ſuperſtitionem, quam ut alii vitarent, in impietatem inciderunt, eodem Plutarcho referente.

De cultu autem immortalium Deorum, hoc eſt Sanctorum Angelorum, eadem fuit & vulgi, & Ethnicorum Philoſophorum ſententia, quam naturalibus rationibus defendere conati ſunt, quibus quoque idem cultus inſtitutus fuerat; inquiebant enim, & propter excelſam eorum naturam, & propter beneficia ab iis humano generi collata divino honore dignos eſſe. Hinc Cicero (a) inquit: „ Cultus autem Deorum eſt optimus, idemque „ caſtiſſimus, atque Sanctiſſimus, pleniſſimuſque pietatis, „ ut eos ſemper pura, integra, incorrupta & mente & „ voce veneremur — qui autem omnia, quæ ad cultum „ Deorum pertinent, diligenter retractarent, & tamquam „ relegerent, ſunt dicti religioſi ex relegendo, ut ele„ gentes ex eligendo, tamquam a diligendo diligentes, „ ex intelligendo intelligentes. Negabit quidem ſanæ mentis

(a) *Lib. 2. de N. D.*

Digitized by Google

tis nemo, bonos Angelos, Sanctoſque Viros debita reverentia, honore, laudeque eſſe proſequendos. Vera religio, & recta ratio duntaxat damnat nimium cultum, eum ſcilicet, qui ſoli Deo debetur. Expoſitis a nobis iis, quæ de interiore, atque exteriore cultu, ſoli Deo debito, ſacrarum ſcripturarum monumenta docent, commemoratoque erga Deum ſervitutis cultu, qui a Mundi primordiis continuata in populo Dei ſuſſeſſione ad hæc uſque tempora tenuit. Profecto debita veneratione, & ſocietatis cultu proſequendi ſunt Sancti Angeli, hominesque, quos vitæ ſanctitas Angelis conſociavit; vera autem religio, & recta ratio damnat hac de re Ethnicorum exceſſum, ut facta collatione liquido apparebit. Merito, inquit (a) Auguſtinus, Angeli in cœleſtibus ſedibus conſtituti, immortales, & beati, qui Creatoris ſui participatione congaudent: cujus æternitate firmi: cujus veritate certi: cujus munere ſancti ſunt; quoniam nos mortales, & miſeros, ut immortales, beatique ſimus, miſericorditer nos diligunt, nolunt nos ſibi ſacrificare, ſed ei, cujus & ipſi nobiſcum ſacrificium ſe eſſe noverunt: cum ipſis enim ſumus una civitas Dei: cujus pars in nobis peregrinatur, pars in illis opitulatur. De illa quippe ſuperna civitate, ubi Dei voluntas intelligibilis atque incommutabilis lex eſt: de illa ſuperna quodammodo curia (geritur namque ibi cura de nobis) ad nos miniſtrata per Angelos ſancta illa Scriptura deſcendit, ubi legitur: Sacrificans Diis eradicabitur, niſi Domino ſoli. Huic ſcripturæ, huic legi, talibus præceptis tanta ſunt atteſtata miracula, ut ſatis appareat, cui nos ſacrificare velint immortales ac beati, qui hoc nobis volunt eſſe quod ſibi. Hactenus Auguſtinus.

Re-

(a) *Lib. 10. cap. 7. de C. D.*

Reliquum eſt, ut de origine, cultus Deorum in progreſſu inquiramus. Lucanus (*a*) apud Huetium de Dea Syriæ inquit: „ Ægyptios omnium primos Templa „ Diis ac Lucos poſuiſſe, eoſque hujuſce cultus auctores exſtitiſſe. Græci autem Philoſophi hortulos ſuos irrigaverunt ex Phœnicum, Ægyptiorum, & Chaldeorum Theologia, e quibus fontibus philoſophandi rationem hauſerunt, uti libro primo contra Apionem Joſephus de Thalete teſtatur, & Laertius in Thaletem. Idem Plutarchus de Iſide & Oſiride, & Diodorus libro primo, & quinto narrant de aliis Græcis, qui in Ægyptum philoſophandi cauſſa ſe conferebant; inde fluxit apud Græcos Phœnicum, Ægyptiorum, & Chaldeorum cum arcana illorum Sacerdotum Theologia Deorum cultus. Alii vero e Græcis Aſſyrios, & Perſarum magos audierunt, quorum doctrina & diſciplina prius ditati, ſacris etiam, & Deorum myſteriis initiati fuerunt. Illarum hinc nationum Græci amplexati ſunt ſacra, & in græcanicos ritus tranſlata; quæ demum a Pythagora in Italiam delata, ab Italis apud alias nationes propagata fuerunt. Deorum autem ſacra, quæ inſtituta fuerunt, religioſæ ſervitutis manifeſte apparent; Templa enim Gentes, & Aras Diis dicabant; Sacerdotes ſuos cuique Deorum præficiebant, & ſacrificia eiſdem, oblationes, ac vota offerebant: & hoc loco referre ſufficiat hujuſce cultus inſtitutionem, quæ primum Romæ facta eſt. Livius (*b*) inquit: „ Romæ „ Numa Rex Sacerdotes ſuos primus cuique Deorum præ„ fecit. Servius autem Tullius, teſte Halicarnaſſeo libro quarto: „ Diis erexit Templa, & Fana, eiſdemque in„ ſtituit annualia ſacrificia. Opinio quoque de Aſtris ab intelligentis animatiis apud omnes fere nationes propagata fuit;

(a) *Propoſ.* 4. *cap.* 7. (b) *Lib.* 1. *Decad.* 1.

Digitized by Google

fuit; hinc Aſtrorum cultus originem duxit: propterea de antiquis Gallis Cæſar libro ſexto ſic ait: „ Deorum „ numero eos ducunt, quos cernunt, & quorum opibus „ aperte juvantur, Solem, & Vulcanum, & Lunam. Spencerus autem (*a*) addit: „ Cultus cœleſtis exercitus cum „ omnibus aliis Idololatris communis fuit.

Reliquum eſt, ut originem cultus animarum defunctorum inquiramus. De hac origine ſic (*b*) Tullius inquit: „ Ex ſolatiis vero, & memoriis tum facta ſunt ſa„ cra, quando additus eſt dies feſtus, populoque perſuaſum „ animam defuncti ſacris intereſſe. Quæ perſuaſio nunc quoque viget apud idololatras Sinenſes, ut capite quarto libri ſecundi monuimus. Hujus cultus originem a Phœnicibus ortam Voſſius autumat. Phœnices, (*c*) inquit, coluere Saturnum, Rheam, Junonem, quos homines fuiſſe ipſi fatebantur. Hinc & Sanchoniaton, Saturnum fuiſſe hominem, Rheam mulierem, Saturni conjugem tradit — Poſtea vero cum beneficia quædam priores ipſi hominibus contuliſſent, vita demum perfunctos, dignos a Phœnicibus eſſe habitos, ut vocarentur Dii, quique & Aris, & Sacrificiis, & annuo epulo colerentur. Sanchoniatonis opus Philo Byblius lingua e Phœnicia tranſtulit græce; indeque ea, quæ de Phœnicum ille Theologia retulerat. Barbarorum antiquiſſimi Phœnices in primis, & Ægyptii, a quibus homines ceteri morem hunc accepere, maximorum Deorum loco habuerunt qui res ad vitam neceſſarias inveniſſent, ac beneficium quoppiam in genus contuliſſent humanum. Hos igitur, qui bene fecerant, & multorum bonorum habebantur auctores, adoraverunt ut Deos. Hactenus Voſſius. Profecto nonnulli, inter quos

 Stoici

(a) *Lib. 2. cap. 1.* (b) *Lib. 3. de N. D.*
(c) *Lib. 1. cap. 22.*

Digitized by Google

Stoici numerantur, non diſtinguentes virtutem quæ eſt in Deo, ab ea quæ eſt a Deo, fœde erraverunt miſcentes ſummi Numinis cultum cum cultu cuilibet creaturæ, in qua cernebant aliquam eminentem virtutem; quamquam enim quælibet virtus ſit a Deo, non poteſt coli eodem cultu, quo colitur Deus, qui eſt fons & origo quidem omnis boni, quod in ſingulis creaturis elucet; re ipſa tamen virtus quæ eſt in Deo diſtinguitur a virtute, quæ eſt a Deo. Propterea Seneca, Stoicorum ſive aſſecla, ſive Patronus ſic (*a*) inquit: „ Quoties voles, tibi licet „ aliter hunc Auctorem rerum noſtrarum compellare. Tot „ appellationes poſſunt eſſe quot munera: hunc & Liberum Patrem, & Herculem noſtri putant. Si hunc Naturam vocas, Fatum, Fortunam, omnia ejuſdem Dei „ nomina ſunt varie utentis ſua poteſtate. De multiplici autem dumtaxat Summi Dei appellatione non reprehendit Ethnicos Auguſtinus, ſed (*b*) ait: „ Si paganorum „ doctores unum, eundemque Jovem eſſe defendunt, „ quid perderent, ſi unum Deum colerent prudentiore „ compendio?

Antiquiſſimus ritus offerendi Deo fructuum primitias, & armentorum primogenitos, tractu temporis fere apud omnes Gentes pollutus eſt, ſubſtituendo homines, aptiores creditos ad placandam Numinis iram, ut libro primo refert Halicarnaſſeus. Additque „ quod facta fuit „ in Italia magna cædes Pelaſgiorum, ſciſcitatumque ab „ Oraculo Cotilæ de cauſſa hujus cædis, reſpondit, id „ eveniſſe, eo quia non obtuliſſent Geniis omnium fru„ ctuum decimas. Hinc maligni Spiritus fraude factum eſt, ut fructuum oblationes, quæ ſoli Deo in mundi primordiis fiebant, ad Deos Gentium, qui ſunt Dæmonia, tran-

(a) *Lib. 4. cap. 7. de benef.* (b) *Lib. 4. cap. 11. de C.D.*

transferrentur. De hiſce Gentium oblationibus teſtis eſt Ovidius, qui ſic (*a*) canit:

Primitias Cereri farra reſecta dabant.

Expoſuimus capite ſuperiore antiquiſſimas Gentes nullas habuiſſe pro objecto divini cultus imagines, exponenda modo eſt origo ſimulacrorum, quæ ab initio pro Templorum ornamento poſita fuerunt. Crediderunt Gentes ſublimiorem Divinæ Majeſtatis ideam imprimi Templorum magnificentia; hinc immutata fuit vetuſtiſſimi ſimplicitas cultus, de quo uberrime diſſeruimus; & hoc loco addere ſufficiat Prudentii teſtimonium, ubi ſic (*b*) inquit:

Sed quia Romanis loquimur de cultibus, ipſum
Sanguinis Hectorei populum probo tempore longo
Non multos coluiſſe Deos, rariſque Sacellis
Contentum paucas poſuiſſe in collibus Aras.
Innumeros poſt deinde Deos.

Quod autem ab initio ſimulacra in Templis poſita ſint decoris cauſſa teſtis eſt (*c*) Livius: „ Magnificentiæ „ vero, inquit, in Deos, vel Jovis Olimpii Templum „ Athenis, unum in terris inchoatum pro magnitudine „ Dei, poteſt eſſe teſtis; ſed & Delon Maris inſignibus, ſtatuarumque copia exornatum —— Idem Livius: „ Jovis Capitolini Antiochiæ magnificum Templum non „ laqueatum auro tantum, ſed parietibus totis lamina in- „ auratum. Alias quoque ſimulacrorum origines exhibet (*d*) Plinius. Romæ, inquit, ſimulacrum ex ære factum Cereris primum reperio ex peculio Sp. Caſſii, quem regnum affectantem Pater ipſius interemerat. Tranſiit & a Diis ad hominum ſtatuas, atque imagines multis modis: antiqui pingebant eas bitumine, quo magis, mirum eſt, pla-

(a) *Lib.* 2. *Faſt.* (b) *Lib.* 2. *adverſ. Simmac.*
(c) *Lib.* 1. *Decad.* 5. (d) *Lib.* 34. *cap.* 4.

Digitized by Google

placuiſſe auro integro. Hoc neſcio, an Romanorum fuerit inventum. Certe etiam Romæ non habet vetuſtatem. Alibi (*a*) idem Plinius: Suorum Clipeos in ſacro vel publico privatim dicare primus inſtituit, ut reperio, App. Claudius, qui Conſul cum Servilio fuit anno Urbis CCLIX; poſuit enim in Bellonæ Æde majores ſuos, placuitque in excelſo ſpectari, & titulos honorum legi. Decora res utique ſi liberorum turbæ parvulis imaginibus, ceu nidum aliquem ſobolis pariter oſtendant. Quales Clipeos nemo non gaudens favenſque aſpicit. Poſt eum M. Æmilius collega in conſulatu Q. Luctatii non in Baſilica modo Æmilia, verum & domi ſuæ poſuit. Hactenus Plinius. De Simulacrorum inſtitutione Arnobius in quinto ſic ait: „ Neque enim credendum eſt, ſine ſuis originibus hæc „ eſſe fruſtra, atque inania fieri, nec habere conjunctas „ primis inſtitutoribus cauſſas. Has autem cauſſas adfert Minucius Felix in Octavio. „ Dum Reges, inquit, ſuos „ colunt religioſe, dum defunctos eos deſiderant in imagi- „ nibus videre, dum geſtiunt eorum memorias in Statuis „ detinere, ſacra facta ſunt, quæ fuerunt aſſumta ſolatia. „ Etiam judicatum facere hoc ad virtutem in viventibus „ magis excitandam. Præterea homines Deos ſuos ex ſui „ vultus ſimilitudine figurare gaudent. Ex hactenus dictis Ethnicorum teſtimonio aperte demonſtratum videtur, religionis corruptionem originem duxiſſe a vanis quibuſdam additamentis, humaniſque commentis, quibus abdicatis, retentiſque iis, quæ utrique populo, hoc eſt Dei, & Gentium communia ſunt, vera religio elucet, iiſdem principiis apud omnes nixa. Quæ quidem principia in craſſioribus quoque idololatriæ tenebris viguiſſe & vigere infra uberrime demonſtrabitur.

De

(a) *Cap. 6.*

Digitized by Google

CAPUT IV.

De cultu Heroibus vita functis, interdum etiam viventibus a Gentibus præſtito, in quo deterior idololatriæ facies exhibetur: attamen in biſce denſioribus idololatriæ tenebris ſumma capita religionem conſtituentia aperte elucent.

DEmonſtravimus, capite quarto libri ſecundi, firmam omnium Gentium perſuaſionem de animorum humanorum immortalitate, de futuro judicio, de præmiis, pœniſve in altera vita. Profecto ex hac perſuaſione defunctorum Heroum cultus originem duxit; hinc innumerabiles Gentium Dii prodiere. „ Quid, inquit (*a*) Tullius, qui aut fortes, aut claros, aut potentes Viros tradunt poſt mortem ad Deos perveniſſe, eoſque ipſos, „ quos nos colere, precari, venerarique ſoleamus. Et alibi (*b*) idem Tullius: colunto & illos, quos in Cœlum „ merita vocarint. Hinc Dii patrii a Gentibus dicti ſunt Heroes illi, qui aut in hac vita Urbibus præerant, aut illarum conditores fuerunt; illarumque poſt mortem Patroni appellati ſunt, diviniſque honoribus culti, præcipue illi, a quibus majora beneficia unaquæque gens acceperat; hinc Appollo, & Minerva Athenis, Liber Beotiis, Carthagini Juno, Venus Cypro, Mars, & Quirinus Romanis, aliique plurimi apud alias Gentes divinis honoribus culti fuerunt, & apud Ethnicos populos noſtro quoque ævo culti ſunt, quos homines fuiſſe ultro fatentur. Aliæ autem defunctorum animæ, inquit (*c*) Voſſius,

(a) *Lib. 1. de N. D.* (b) *Lib. 2. de Leg.* (c) *Lib. 1. cap. 5. 11. & 12.*

ſius, privata colebantur auctoritate, aliæ publica, ut quæ regia, vel optimatum, aut populi auctoritate in Deos relatæ forent. Priori modo venerabantur Lares, de quibus ſic Appulejus de Deo Socratis: Hunc vetere latina lingua reperio Lemurem dictitatum; ex hiſce ergo Lemuribus, qui poſterorum ſuorum curam ſortitus, pacato & quieto Numine domum poſſidet, Lar dicitur familiaris. Qui vero propter adverſa vitæ merita, nullis bonis ſedibus incerta vagatione, ceu quodam exſilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, ceterorum noxium malis, id genus plerique Larvas perhibent. Cum vero incertum eſt, quæ cuique eorum ſortitio evenerit, utrum Lar ſit, an Larva, nomine Manem Deum nuncupant: & honoris gratia Dei vocabulum additum eſt. Dicti ſunt Lares illi, quia domus, ſive familiæ ſint Præſides. Sacris quibuſdam opus fuiſſe, ut animæ fierent Dii, indicant Servii iſta: Labeo in libris, qui appellantur de Diis, quibus origo animalis eſt, ait eſſe quædam ſacra, quibus animæ humanæ vertantur in Deos, qui appellantur animales, quod de animis fiant. Hi autem ſunt Dii Penates, & Viales non alii, quam Lares: viarum, ſive Viales Dii vocati; Urbi denique præſidere exiſtimabantur, ut ex Propertio colligitur, & latius etiam extenſa eorum poteſtas, & dictum, eos Hannibalem fugaſſe ab Urbe. Immo Feſtus, ſive Paullus ſcribit, hoſtiliis Laribus immolatum, quod ab his hoſtes arceri putarent. Ab amicis, quos publica non conſecravit auctoritas, tranſit ad eos, quos princeps poteſtas Cœlo locavit, ſive quia præclaro invento profuiſſent generi humano, ſive quia gentis, vel Urbis forent conditores, ſive quod bello rem præclare geſſiſſent. Quæ ratio, ut inquit Tullius, maxime tractata eſt ab Euhemero, quem noſter & interpretatus, & ſecu-

ſecutus præter ceteros, Ennius. Ab Euhemero autem & mortes, & ſepulturæ demonſtrantur Deorum. In columna Duilliana continentur Deorum nomina, & preces, rituſque, quibus invocarentur — Primus quem Indigitis nomen ſortitum invenimus, eſt Æneas, cui Sacellum exſtructum cum ejuſmodi inſcriptione: Patri Deo Indigiti, qui Numici amnis undas temperat. Fuere tamen Latinis & alii Indigites, iique Ænea antiquiores, quales ſi unum exceperis Quirinum, ſunt omnes illi a Tullio memorati in ſecundo de Legibus, his verbis: Colunto & illos, Herculem, Liberum, Eſculapium, Caſtorem, Pollucem, Quirinum. Primus Evander Aram maximam Herculi ſtatuit prope Forum Boarium, teſte Dionyſio libro primo antiquitatum. Decimas quandoque etiam hic Herculi vovebant, de quibus Diodorus Siculus. Hæc omnia excerpta ſunt ex celeberrimo Voſſii opere.

Quum autem antiquiſſimus Herculis cultus, lateque per orbem propagatus videatur, oportunum tradere cenſeo, qua ratione a Gentibus eidem ſacra fuerint inſtituta, ut ex Herculis ſacris appareat ratio ethnicæ Heroum conſecrationis in Deos. Herculem, inquit (a) Livius, in ea loca Geryone interempto boves mira ſpecie abegiſſe memorant, ac prope Tyberim fluvium, qua præ ſe armentum agens nando trajecerat, loco herbido, ut quiete & pabulo reficeret boves, & ipſum feſſum via procubuiſſe. Ibi cum eum cibo vinoque gravatum ſopor oppreſſiſſet, paſtor accola ejus loci nomine Cacus, ferox viribus, captus pulchritudine bovum; cum avertere eam prædam vellet: quia ſi agendo armentum in ſpeluncam compuliſſet, ipſa veſtigia quærentem Dominum eum deductura erant; averſos boves, eximium quemque pulchritudine, caudis,

(a) *Lib. 1. Decad. 1.*

caudis in ſpeluncam traxit. Hercules ad primam auroram excitus, cum gregem perluſtraſſet oculis, & partem abeſſe numero ſenſiſſet, pergit ad proximam ſpeluncam, ſi forte eo veſtigia ferrent, quæ ubi omnia foras verſa vidit, nec in partem aliam ferre, confuſus atque incertus animi ex loco infeſto agere porro armentum cœpit. Inde cum actæ boves quædam ad deſiderium (ut fit) relictarum mugiſſent, reddita incluſarum ex ſpelunca bovum vox Herculem convertit; quem cum vadentem ad ſpeluncam Cacus vi prohibere conatus eſſet: ictus clava, fidem paſtorum nequicquam invocans, morte occubuit. Evander tum ea profugus ex Peloponeſo, auctoritate magis quam imperio regebat loca: venerabilis Vir miraculo litterarum rei novæ inter rudes artium homines, venerabilior divinitate credita Carmentæ Matris, quam fatiloquam ante Sibillæ in Italiam adventum miratæ hæ gentes fuerant. Is tum Evander concurſu Paſtorum trepidantium circa advenam manifeſtæ reum cædis excitus, poſtquam facimus facinoriſque cauſam audivit: habitum formamque Viri aliquantum ampliorem auguſtioremque humana intuens, rogitat, qui Vir eſſet; ubi nomen patremque ac patriam accepit: Jove nate Hercules ſalve, inquit, te mihi mater veridica interpres Deûm auctûrum cœleſtium numerum cecinit, tibique Aram hic dicatum iri. Ad hæc Livii verba Halicarnaſſeus libro primo addit: „ Herculem non ſolum inter Cœlicolas fuiſſe adſcriptum „ ſed & a diſſitis quoque populis adverſus Latrones, & „ Tyrannos in Patronum electum, eidemque Templa, „ Sacerdotes, & ſacra conſtituta fuerunt. „ Quid quod, „ inquit (*a*) Cicero, omnis Græcia multos habet ex ho„ minibus Deos. Nonne, verba ſunt (*b*) Auguſtini, adteſtati

(a) *Lib. 3. de N. D.* (b) *Lib. 6. cap. 7.*

teſtati ſunt Euhemero, qui omnes tales Deos non fabuloſa garrulitate, ſed hiſtorica diligentia homines fuiſſe, mortaleſque conſcripſit? Epulones etiam Deos paraſitas Jovis ad ejus menſam qui conſtituerunt, quid aliud quam mimica ſacra eſſe voluerunt? non enim & maligni ſpiritus ſuo negotio defuerunt, ut has noxias opiniones humanarum mentium ludificatione firmarent. Alibi (*a*) idem S. Doctor: ita ut pagani non adtendant in omnibus eorum litteris, aut non inveniri, aut vix inveniri Deos, qui non homines fuerint, mortuiſque divini honores delati ſint. Omitto quod Varro dicit, omnes ab eis mortuos exiſtimari Manes Deos, & probat per ea ſacra, quæ omnibus fere mortuis exhibentur, ubi & ludos commemorat funebres, tanquam hoc ſit maximum divinitatis indicium, quod non ſolent ludi niſi Numinibus celebrari. Hactenus Auguſtinus.

Non intra noſtri Orbis tantum fines ſtetit dicta conſuetudo, quæ ad omnes idololatras tranſiit. Profecto animalium Deorum repleta fuit univerſa tellus: „ Invaleſcen„ te enim iniqua conſuetudine, ut in ſanctis ſcripturis (*b*) „ legitur, hic error tanquam lex cuſtoditus eſt. Omnes quippe Ethnici divinos honores inſtituerunt Viris, ſingulari eximiaque virtute ſupra ceteros eminentibus, eo quia poſt mortem eorum animæ Cœlicolis conſociarentur, quas putant apud Deum ſummum mortalium deprecatores eſſe, eorumque curam gerere; propterea ii, qui recte vixere, tanquam tutelares Dii ſacrificiis, votiſque coluntur, ac precibus exorantur, ſubſidiaque ab iis, & recta conſilia ſibi dari precantur. Tachardus libro ſexto de Theologia Ethnicorum Regni Samienſis luculenter diſſerit; ea autem quæ ad propoſitam rem ſpectant, ſtrictim referam: Sacerdo-

(a) *Lib. 8. cap. 26. de C. D.* (b) *Lib. Sapient. cap. 14.*

cerdotes Samienſis regionis populos docent, homines ſemper debere has res habere præſentes, Deum ſummum, illius leges, & beneficia a Deo humano generi collata: animas juſtorum immutari in Deos cœleſtes, adminiculo perfectæ, & abſolutæ virtutis, in cujus tamen exercitio finis exprimi debeatur, ut in altera vita Dii fiant; hinc iiſdem divini honores præſtandi ſint. Picardus tomo ſecundo de religione orientalium Regnorum addit, quod plurimi ex illis Ethnicis populis nullis auſteritatibus parcant, quo propitios ſibi Deos reddant, & Cœlicolis poſt mortem conſociari queant. Gonzalus de Mendozza (*a*) ſcribit: Sinenſes eorum animas defunctorum præcipue colere, atque invocare, quæ probam vitam duxerint; præ ceteris autem quendam maximo honore dignum putant, cujus nomen erat Sichian. Salmonius (*b*) addit: ſervari a Bonziis monumenta vitæ eorum, quos ad Cœlicolas tranſiiſſe credunt. Cavatius libro primo eadem exhibet de paganis Africanis. De Japponenſibus, aliiſque Aſiæ populis; item de Americanis diſerte Picardus, aliique ſcripſere; non tamen eundem cultum Heroibus defunctis præſtari teſtantur: excelſior quippe perhibetur iis, quos, ut ajunt, virtus præſtantior in Cœlum evexerat, optimeque de humano genere meriti in Deorum cœtum aſciti, ſublimiores gloriæ gradus obtinuerint.

Fortaſſe aliquis arguet me de inutili diligentia, quum jam apud omnes pervulgata ſit notio de plurimorum apud Ethnicos populos Deorum cultu, & hac de re dubium ſit nullum. Non multo quidem ſermone opus fuiſſet, ſi de Gentium Diis exacta apud omnes videretur notio. Quoniam autem comperi, plures eruditos ſcriptores, & celebres hujus ævi Philoſophos de paganorum Sacerdotum Theo-

(a) *Lib. 2. cap. 1. & 7.* (b) *Tom. 1. cap. 7. & 8.*

Theologia, Ethnicorumque Philoſophorum doctrina, & Gentium religione eſſe omnino ignaros; quo fit, ut judicia proferant a veritate penitus aliena, & mentes eorum in abſona & devia abeant; propterea facta eſt neceſſitas copioſius dicendi de Gentium religione, quæ nititur iiſdem celſiſſimis principiis, uti & vera religio; unde deſumitur ſuſcepti muneris ratio. Capite enim primo libri ſecundi uberrime demonſtravimus, Homines a Deo fuiſſe edoctos; idque eſſe apud omnes Gentes pervulgatum: & capite ſequenti, omnes populos confiteri unum ſummum Deum Univerſi Conditorem, moderatoremque: perſuaſioncm de Spiritibus bonis, maliſve: de animorum humanorum immortalitate: de præmiis, pœniſve in vita futura apud omnes nationes vigere oſtendimus. Ethnicorum autem Sacerdotes, & Philoſophi naturalibus rationibus defendere conantur, non ſummo Deo duntaxat facienda eſſe ſacra, ſed Spiritibus quoque, qui a corporeis vinculis immunes ſemper fuerunt; & iis etiam cœlicolis conſociatis, qui aliquando fuerunt corporibus illigati, & appellantur Dii animales, ſive Heroes. Satiſque religioni conſultum eſſe putant, diſtinguendo inter cultum ſupremi Numinis illumque Spirituum, & Heroum; & venerando ſummum Numen ut fontem & principium omnis boni; Spiritus autem cœleſtes, ut ejus adminiſtros: Heroas ut Dei amicos, orantes pro hominibus: malos vero Spiritus, ne noceant, colendos eſſe dicunt; hinc bonis, maliſve Spiritibus, Heroibuſque erexerunt Templa, dicaverunt Aras, iſtituerunt Sacerdotes, & annualia Sacrificia.

Ut autem aliqui ex hominibus poſt mortem fierent Dii, eoſque publica poteſtas inter Cœlicolas locaret, ſingularibus quibuſdam cærimoniis opus erat. Non iiſdem

Digitized by Google

tamen ritibus omnes pagani utebantur in referendis inter Deos iis Viris, quos virtus tali honore, ut putabant, effecerat dignos. Verum quum variarum Gentium cærimoniæ in conſecrandis Heroibus defunctis, quod attinet ad ſubſtantiam, non differant, ſupervacaneum & moleſtum eſſet, enucleate eas omnes perſequi; propterea de hiſce cærimoniis antiquorum Romanorum morem tradere ſufficiat. Heroum defunctorum conſecratio, a Græcis Apotheoſis dicta, ita a Romanis fieri conſuevit, ut nihil prætermiſſum fuerit, quod ad ejus celebritatem pertinere videretur. Sic itaque ab Herodiano (*a*) elegantiſſime deſcribitur: Mos eſt, inquit, Romanis conſecrare Imperatores, qui ſuperſtitibus filiis, vel ſucceſſoribus moriuntur: quique eo ſunt honore affecti, relati dicuntur inter Deos. Eſt autem tota Urbe quaſi luctus quidam feſtæ celebritati præmiſſus: Quippe functum vita corpus, ritu hominum ſumtuoſo funere ſepeliunt: ſed ceream imaginem defuncto quamſimillimam fingunt, eamque in regiæ veſtibulo proponunt ſupra eburneum lectum maximum, atque ſublimem, veſtibus inſtratum aureis: & quidem imago illa ad ægroti ſpeciem pallida recumbit. Circa lectum vero utrimque magnam partem diei ſedent: a læva quidem Senatus omnis, veſtibus atris amictus: a dextra vero Matronæ, quas Virorum, aut Parentum dignitas honeſtat; harumque nulla vel aurum geſtans, vel ornata monilibus conſpicitur; ſed veſtibus albis exilibus indutæ, mærentium ſpeciem præbent. Hæc ita per ſeptem dies continuos faciunt, Medicis ad lectum quotidie accedentibus, inſpectumque velut ægrum deterius ſe habere ſubinde pronuntiantibus. Dein ubi jam viſus eſt obiiſſe diem, lectum humeris attollunt Equeſtris, ſenatoriique ordinis nobiliſſimi

(*a*) *Lib.* 4. *cap.* 2.

Digitized by Google

mi juvenes, perque viam ſacram in vetus Forum deferunt, ubi Magiſtratus Romani deponere imperium conſueverant: Utrinque autem gradus quidam ſunt ad ſcalarum ſimilitudinem exſtructi, in quibus altera ex parte puerorum chorus eſt e nobiliſſimis, atque Patriciis, altera Feminarum illuſtrium, hymnos in defunctum, peanaſque canentium, verendo ac lamentabili carmine modulatos. Quibus peractis, tollunt iterum lectum, atque extra Urbem perferunt in Martium Campum: ubi quam latiſſime campus patet, ſuggeſtus quidam ſpecie quadrangula lateribus æquis aſſurgit, nulla præterquam lignorum ingentium materia compactus in tabernaculi formam. Id quidem interius totum eſt aridis fomitibus oppletum; extra autem intextis auro ſtragulis, atque eboreis ſignis, variiſque picturis exornatum: infra vero alterum minuſculum quidem poſitum eſt, ſed forma, & ornatu perſimile, portis, januiſque patentibus: Tertium item, & quartum ſemper ſuperiore contractius, ac deinceps alia, donec ad extremum, quod eſt omnium breviſſimum, perveniatur. Igitur lecto in ſecundum tabernaculum ſublato, aromata, & ſuffimenta omnis generis, fructus, herbaſque, ſuccoſque omnes odoratos conquirunt, atque acervatim effundunt: Quippe neque gens eſt, neque civitas, neque qui honore ullo, aut dignitate præcellat, quin certatim pro ſe quiſque ſuprema illa munera Principis honori deferant. Ubi vero ingens aromatum acervus aggeſtus eſt, ac locus omnis expletus; tum circa ædificium illud adequitant, univerſis equeſtris ordinis quadam lege, ac recurſu, motuque pyrrichio, numeroque in orbem decurrentibus. Currus item circumaguntur, inſeſſi purpuratibus rectoribus, qui perſonas ferunt Ducum omnium Romanorum, principumque illuſtrium. Quæ ubi celebrata ſunt,

facem

facem capit Imperii ſucceſſor, eamque tabernaculo admovet. Tum ceteri omnes undique ignem ſubjiciunt: cunctaque illico fomitibus aridis, odoramentiſque referta igni valido corripiuntur. Mox ab extremo minimoque tabernaculo, tanquam e faſtigio quodam, ſimul cum ſubjecto igne Aquila dimittitur, quæ in Cœlum creditur ipſam Principis animam deferre: ac jam ex illo una cum ceteris Numinibus Imperator colitur: Hactenus Herodianus.

Verum quidam quoque viventes Principes ſacra ſibi decerni paſſi ſunt. Id de Julio Cæſare Suetonius in ejus vita teſtatur, cui Templa, Aras, Simulacra juxta Deos poſita fuiſſe tradit. Tiberio etiam, matrique ejus Liviæ viventibus, Aſiæ Urbes Templum decrevere: quamquam Hiſpanis petentibus, ut Aſiæ exemplo Delubrum eidem exſtrueretur, conſtanter adverſatus eſt, mortalem ſe dictitans: perſtititque, talem ſui cultum, referente (*a*) Tacito, aſpernari. Ex iis autem, qui in hac mortali vita degentes Dei nomen ſibi arrogare auſi ſunt, & ut Dii coli voluerunt, fuerunt, Antiochus Syriæ Rex, qui cognomento Deus dici voluit, & inter Romanos Cajus Caligola, qui ſe ſacris ritibus adorandum exhibuit, ut in eorum vita Suetonius narrat. Argivorum quoque civitas, ut refert (*b*) Livius, per quoſdam Principes Philocli prodita eſt, tentatis prius animis plebis: mos erat comitiorum die primo, velut ominis cauſſa Prætores pronunciare Jovem, Appollinem, & Herculem; additum legi erat, ut iis Filippus Rex adjiceretur. Religioſum cultum nunc quoque præſtant incolæ Manicongi ſuis viventibus Regibus, teſte Cavazio, ubi de illo Regno verba facit. Picardus (*c*) refert, a populis Regni Monomopatenſis ſuos viven-

(a) *Annal.* 4. (b) *Lib.* 2. *Decad.* 4.
(c) *Tom.* 2. *de reliq. Monomop.*

Digitized by Google

viventes Principes religioſe coli : dicunt enim, Reges, & Principes ſummi Dei imagines eſſe; propterea quia ceteris mortalibus præſtantiores, ſanctioreſque ſunt, & a Deo ſummo electi, ut reliquos mortales regant; hinc quum Dei Vicarii ſint in mundi regimine, merito illis divinos præſtari honores, preceſque ad eos dirigi, tanquam mediatores inter Deum, hemineſque. Plutarchus vero, libello de Iſide & Oſiride, eorum arrogantiam carpit, qui faſtu elati, ſimul ſuperbia, & inſcitia animis inflatis, per laſciviam Deorum cognomina acceperunt, ac Templa ſibi poni voluerunt : quorum gloria brevi floruit tempore : nam præter vanitatem, & arrogantiam, injuſtitiæ culpam ſuſtinentes, ſibi dedecus peperere : evanuitque eorum memoria, tenuis ceu fumus in auras; avulſique a Templis, & Aris nihil præter monumenta, & ſepulcra habuerunt. Hactenus egregie Plutarchus. Hoc autem ipſo populorum perſuaſio elucet, ſcilicet, ſupremas Poteſtates pro mortalium regimine a Deo fuiſſe inſtitutas. Error vero nonnullorum putantium, Principes divinis honoribus eſſe colendos, ſapientioribus quoque Ethnicis deridiculo fuit. Illud autem ex ipſa corrupta ratione apertiſſime eruitur, quod ii ipſi, qui dicunt Principibus facienda eſſe ſacra, eo quia Miniſtri Dei ſint, fateri debeant, præcipuo honore Deum ipſum eſſe colendum; hæc enim conſecutio ſponte fluit. Sublatis igitur variis, & inanibus hominum commentis, ſervatoque quod populo Dei, & Ethnico commune eſt, liquido apparet, ſoli ſummo Deo ſervitutis cultu facienda eſſe ſacra; & obtemperandum poteſtatibus ſublimioribus a Deo inſtitutis, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam; quæ enim ſunt, a Deo ab initio ordinata fuerunt. Profecto ea, quæ apud omnes permanent, a Deo ipſo conſtituta fuiſſe, hoc ipſo

ipſo oſtenditur; quoniam ea, quæ a Deo ſunt, æterna ſunt: commenta autem hominum delet dies.

Ex cultu autem, quem Gentes Heroibus defunctis præſtare conſueverunt, nequaquam deleta fuiſſe celſiſſima principia manifeſtum eſt; quum immo in ipſa fœdata religione apertiſſime pateant capita ſumma, ſubſtantiam religionis conſtituentia, ſupra quæ nituntur corruptæ rationis commenta, ac humanæ inſtitutiones. Si enim non per ſe ipſos, ſed ei, a quo facti ſunt cohærendo, beatos eſſe dicunt: hoc dicunt, quod nos quoque dicimus; communis enim cum populo Dei perſuaſio eſt, eos, qui pie & juſte vixerunt, poſt mortem cum Cœlicolis conſociari. „ Hominem ipſum, inquit (*a*) Auguſtinus, etiam rectum „ cum eodem libero arbitrio (ſicut fecit & Angelos) terrenum quidem animal, ſed Cœlo dignum, ſi ſuo cohæret Auctori: miſeria ſimiliter, ſi eum desereret, ſecutura, qualis naturæ hujuſmodi conveniret. Diſcrimen autem omne, quod inter nos & Ethnicos intercedit, animadvertenti ſe prodit. Profecto ex pietate, & juſtitia conſtituuntur hominum officia, quæ ad morales virtutes diriguntur; actiones autem omnes ad aliquem finem referuntur, quum ad ſe ipſas referri non poſſint; non enim officiis & actionibus, ſed finibus virtutes a vitiis diſcernuntur; propterea ii, qui eorum actiones ad verum finem non dirigunt, videri quidem poſſunt juſti apud homines, non autem apud Deum, qui eſt ſcrutator cordium; ſed intuetur quoque, utrum in omnibus juſtus ſit; ut inquit Socrates (*b*) apud Platonem „ Deum reſpicere ad animum, utrum juſtus ſanctuſque ſit. Idcirco Deus non ſolum intuetur actiones per ſe ſpectatas, ſed qua mente, quiſque agat. Quum autem a Gentibus in Deos relati fue-

(*a*) *Lib.* 22. *cap.* 1. *de C. D.* (b) *Alcib.* II.

Digitized by Google

fuerint, teſte (*a*) Tullio, aut fortes, aut clari, aut potentes Viri, qui fuerunt hujus ſæculi Heroes, erraverunt populi putantes, tales Viros poſt mortem ad Deos perveniſſe; vera etenim juſtitia, ut dicebam, aliam præſefert notionem.

Fœdius autem Gentes erraverunt Cœlicolis divinos honores inſtituendo, ſcilicet Templa, & Aras Diis dicando, Sacerdotes, & ſacrificia cuique Deorum præficiendo. Profecto immortales ac beati illi Spiritus, & Sanctorum animæ Cœlicolis conſociatæ nolunt nos ſibi ſacrificare, ſed ei, cujus & ipſi nobiſcum ſacrificium eſſe noverunt; propterea in ſacris ſcripturis legitur: Sacrificans Diis eradicabitur. Neque ab idololatriæ labe eripuit Gentes, alium ſervitutis cultum Diis præſtando, alium, eumque potiorem, ſummo Deo; cultus enim religioſæ ſervitutis latriæ nuncupatus ſoli Deo debetur; hinc ſcriptum eſt: Deum adorabis, & illi ſoli ſervies. Ex conſuetudine, quam cum Gentibus habuit Paulus Apoſtolus, occaſionem ſumſit redarguendi Ethnicorum commenta, quibus fœde corrupta fuerat religio; unde mirifice noſtrum argumentum illuſtratur. Revelatur enim, (*b*) inquit, ira Dei de Cœlo ſuper omnem impietatem, & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent, quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis; Deus enim illis manifeſtavit. Inviſibilia enim ipſius a creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles. Quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Hactenus Apoſtolus.

(a) *Lib. 1. de N. D.* (b) *Ad Rom. cap. 1.*

Angelis quidem Dei in cœleſtibus ſedibus conſtitutis immortalibus, ac beatis, animabuſque Sanctorum, qui Creatoris ſui participatione congaudent, venerationis, & honoris cultus debetur; quoniam nos mortales, & miſeros, ut immortales beatique ſimus, miſericorditer nos diligunt, orant pro nobis, curamque gerunt de nobis. Propterea Auguſtinus (*a*) inquit: „ Si tantummodo cultus ipſe dicatur, non ſoli Deo deberi videtur; dicimus „ enim colere ipſos homines, quos honorifica vel recordatione, vel præſentia frequentamus. De Sanctis (*b*) „ ſcriptum eſt: Laudate Dominum in Sanctis ejus. Et (*c*) alibi: „ Sapientiam ipſorum narrent populi, & laudem „ ipſorum nuntiet Eccleſia. Chryſoſtomus verba faciens de mente, quam habuit Eccleſia inſtituendo Sanctorum ſolemnitates, ſic (*d*) inquit: Qui Sanctorum merita religioſa caritate miratur, quique juſtorum glorias frequenti laude colloquitur, eorum mores Sanctos atque juſtitiam imitetur; quoniam quem delectat Sancti alicujus meritum, delectare debet par circa cultum Dei obſequium. Quare aut imitari debet, ſi laudat, aut laudare non debet, ſi imitari detrectat: ut qui alium laudat, laudabilem ſe reddat. Nam ſi propterea juſtos fideleſque diligimus, quod in ipſis juſtitiam fidemque ſuſpicimus: poſſumus nos quoque eſſe quod ſunt, ſi faciamus ipſi quod faciunt. Porro juſtorum vita ceteris norma vivendi eſt; velut quemdam nobis innocentiæ tramitem virtute eorum reſeratum imitantibus veſtigiis perſequamur. Ad hæc Chryſoſtomi verba conſona ſunt illa Auguſtini, ubi ſic (*e*) ait: Nos non eiſdem Martyribus Templa, Sacerdotia, ſacra, & ſacrificia conſtituimus: quoniam non ipſi, ſed Deus

(a) *Lib.10.cap.1.de C.D.* (b) *Pſal.150.* (c) *Eccl.cap.44.*
(d) *Tom.3. ſerm. de Martyr.* (e) *Lib. 8. cap.27. de C.D.*

Digitized by Google

Deus eorum nobis eſt Deus. Honoramus ſane memorias eorum, tamquam Sanctorum hominum Dei, qui uſque ad mortem corporum ſuorum pro veritate certarunt, ut innoteſceret vera religio, falſis fictiſque convictis. Quis autem audivit aliquando fidelium ſtantem Sacerdotem ad Altare, etiam ſuper ſanctum corpus Martyris, ad Dei honorem cultumque conſtructum dicere in precibus: Offero tibi ſacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane, quum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines & Martyres fecit, & ſanctis ſuis Angelis honore ſociavit; ut ea celebritate & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum, atque palmarum, eodem invocato in auxilium ex illorum memoriæ renovatione adhortaremur? Quæcumque igitur adhibentur obſequia religioſorum in Martyrum locis, ornamenta ſunt memoriarum, non ſacra, vel ſacrificia tamquam Deorum mortuorum. Et alibi (*a*) idem Sanctus Doctor: Firmiter tenendum eſt, ut non arbitremur, aliquid nos conferre Martyribus, quia eorum dies ſolemniſſimos celebramus: Illi noſtris feſtivitatibus non egent, quia cum Angelis in Cœlis gaudent; congaudent autem nobis, non ſi honoramus eos, ſed ſi imitemur eos: quamquam & quod honoramus nobis prodeſt, non illis: ſed honorare & non imitari, nihil aliud eſt, quam mendaciter adulari. Hactenus Auguſtini doctrina, & verba: eademque ſunt Sanctæ Romanæ Catholicæ Eccleſiæ dogmata.

Quoniam vero multos video Sanctæ Romanæ Eccleſiæ adverſarios, qui maledictis, ſermonibuſque palam jactatis, illam calumniantur, tamquam ſuperſtitionis, & idololatriæ labe pollutam, præterire hoc loco non poſſum,

(a) *Serm.* 325.

Digitized by Google

quin hac de re verba faciam, ut omnino falſa adverſariorum effata oſtendantur, & abſque ulla macula cum Romanæ Eccleſiæ dogmata, tum ejuſdem Eccleſiæ diſciplina, quam quilibet ejuſdem Eccleſiæ filius ſequi tenetur, quæque viget apud omnes Eccleſias Romanæ ſubordinatas, quarum omnium eſt Mater, cui omnia mea dicta, & ſcripta demiſſe ſubjicio. Paucis tamen me expediam, quum dogmata veræ religionis, a me uberrime exhibita, eadem ſint, quæ Sancta Romana Catholica Eccleſia profitetur & docet; eaque ipſa ego quoque, in ſinu ejuſdem Eccleſiæ natus & educatus didici, quæque a nemine inficiari poſſe, firmiſſime credo, quum ſcripturis ſanctis omnino conſona videantur ut ab eruditiſſimis Viris uberrime jam demonſtratum eſt. Reliquum igitur eſt, ut oſtendatur, ejuſdem Eccleſiæ diſciplinam nullo pacto dogmatibus veræ religionis adverſari, immo eadem dogmata aſſidue iiſdem ritibus commemorari. Adverſariorum autem momenta adverſus Romanam Eccleſiam jactata non debent avertere alio; ſed eorum ſuſcepti muneris ratio poſtulat, ut ſermo habeatur duntaxat de diſciplina, quam Romana Eccleſia præcipit, a cunctis Chriſtifidelibus eſſe obſervandam, quæque viget apud omnes Eccleſias Romanæ ſubordinatas. Profecto Romanæ Eccleſiæ diſciplina expreſſa eſt in Ritualibus publici juris factis; propterea, ut ejuſdem Eccleſiæ diſciplina abſque macula ulla appareat, ſatis ſuperque erit hiſtorica narratione Romanæ Eccleſiæ ritus exhibere, qui ſervantur in precibus, ſacrorum myſteriis, ſacramentorum adminiſtratione, Templorum, Altarium, & Sacerdotum conſecratione: de hac diſciplina ipſam publicam lucem teſtem vocabo.

Capite tertio hujus libri enumeravimus varia genera ſuperſtitionum, & in hoc convenimus cum Proteſtantibus,

ut

ut videre eſt apud Buddeum, ubi agit de ſuperſtitione, quæ ſeſe exerit arbitrariis ritibus, & quum reſilimus ab eo cultu externo, qui Deo debetur, & exercemus cultum, qui puritati religionis quoquo modo adverſatur; appellaturque indebitus cultus. Idololatria autem eſt, ex definitione (a) Voſſii, (qui & ipſe inter eruditiſſimos Proteſtantes recenſetur) quoties actus ſoli Deo debitus alteri defertur. Idem autem Voſſius non omnem, ſed nimium Sanctorum cultum damnat; ut rectæ quoque rationi penitus conſonum videtur. Hiſce præmiſſis, ad rem propius accedendo, exordiar a Divino officio, ubi in Dominicis, feriiſque de tempore ſic canit invitatorio Sacerdos: Dominum qui fecit nos, venite adoremus: & recurrentibus ſolemnitatibus Sanctorum hac voce ſic invitat: Regem Angelorum, ſive Sanctorum venite adoremus. In hymnis quoque, & canticis annuntiatur Jeſus Redemptor omnium, & quæcumque preces, quæ ad Deum porriguntur, invocato quoque Beatiſſimæ Virginis Mariæ ſive Angelorum, vel Sanctorum ſuffragio, ſic clauduntur: Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Hic eſt quotidianus Divini officii recitandi uſus juxta communem ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. In Miſſa etiam non eſt licitum Sacerdotibus a præſcripta formula reſilire; Sacerdos enim antequam ad Altare accedat, alta voce inquit: Introibo ad Altare Dei, ad Deum, qui lætificat juventutem meam; & hoc idem proteſtatur recurrente quacumque Sanctorum ſolemnitate, quorum quidem in orationibus petit auxilium apud Deum, ſemper autem claudendo ſermonem, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. In eorum celebritate Deo gratias agimus de illorum victoriis, & ad imitanda Sanctorum veſtigia ex illorum me-

(a) *Lib. 1. cap. 5.*

memoria adhortamur. Deinde Sacerdos offert Deo Patri panem, & vinum, quibus oblatis, inquit: Veni Sanctificator omnipotens æterne Deus, & benedic hoc Sacrificium tuo ſancto nomini præparatum; ut nobis Corpus, & Sanguis fiat dilectiſſimi Filii tui Domini Jeſu Chriſti; deinde Sacerdos profert verba conſecrationis, quibus prolatis, offert Deo Patri: Hoſtiam puram, Hoſtiam Sanctam, Hoſtiam immaculatam: Panem Sanctum vitæ æternæ, & Calicem ſalutis perpetuæ. Quæcumque igitur adhibentur obſequia religioſæ ſervitutis in officio Divino, & Miſſa ad Deum ſolum referuntur; idemque obſervatur in Sacramentorum adminiſtratione, ceteriſque omnibus religionis myſteriis. Profecto dum Sacerdos Deo offert Incenſum ait: Incenſum iſtud a te benedictum, aſcendat ad te, Domine, & deſcendat ſuper nos miſericordia tua: & in benedictione ignis ſic orat Sacerdos: Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicentibus nobis hunc ignem in nomine tuo, & unigeniti Filii tui Dei, ac Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti, cooperari digneris, & adiuva nos contra ignita tela inimici, & illuſtra gratia cœleſti: de hoc igne accenditur una Candela ante ſolemnitatem Paſchalem, & canit Acolythus: Lumen Chriſti; deinde aſſumto ab hac candela lumine, accenduntur, Cereus, Candelabra, & Templi Lampades canendo, Chriſti lumine mentis tenebras diſſipari, qui gratia ſua in fidelibus reparat id, quod in Adamo cecidit. Sacerdotes quoque ſoli Deo conſecrantur. Honorat quidem Romana Eccleſia Sanctorum memorias, exemplo primitivæ Eccleſiæ, erigendo Templa Deo, nomine, aut Beatiſſimæ Virginis Mariæ, ſive Angelorum beatorum, vel Sanctorum; dedicatio autem ſoli Deo fit. In Conſecratione quoque cujuslibet Altaris ſoli Deo dedicatio

catio fit ; ſcriptum eſt enim in iiſdem Ritualibus , quod Altare chriſmate delibutum , Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui Altare , Hoſtia , & Sacerdos noſter eſt figuram exprimit : hæc omnia negabit nemo, qui in primitivæ Eccleſiæ, & hujus ævi diſciplina plane non ſit peregrinus & hoſpes. Verum etiam in myſteriis, ritibus, ac cærimoniis cujuſcumque generis Eccleſia Romana exhibet Jeſum Chriſtum omnium Redemptorem, & ſolum Salvatorem; hinc dilucide apparet cum dogmata, tum ritus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ eſſe abſque ulla ſuperſtitionis , ſive idololatriæ labe polluta.

Supereſt, ut verba faciamus de Reliquiis ſanctorum, & ſacris imaginibus. Vigeſima quinta ſeſſione Oecumenici Concilii Tridentini ſcriptum eſt: „ Imagines porro Chriſti, Deiparæ Virginis & aliorum Sanctorum, in Templis præſertim habendas, & retinendas, eiſque debitum honorem & venerationem impertiendam ; non quod credatur ineſſe aliqua in iis divinitas , vel virtus , propter quam ſint colendæ , vel quod ab eis ſit aliquid petendum , vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda ; veluti olim fiebat a Gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant ; ſed quoniam honos , qui eis exhibetur , refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant : ita ut per imagines , quas oſculamur , & coram quibus caput aperimus , & procumbimus , Chriſtum adoremus , & Sanctos , quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum , præſertim vero ſecundæ Nicenæ Synodi decretis contra imaginum oppugnatores eſt ſancitum. Præterea docet ſancta Synodus , per hiſtorias myſteriorum noſtræ reparationis, picturis, vel aliis ſimilitudinibus expreſſas, erudiri & confirmari populum in articulis fidei commemorandis, & aſſidue recolendis:

„ tum

„ tum vero ex omnibus ſacris imaginibus magnum fru-
„ ctum percipi; non ſolum quia admonetur populus be-
„ neficiorum, & munerum, quæ a Chriſto ſibi collata
„ ſunt; ſed etiam quia Dei per ſanctos miracula, & ſalu-
„ taria exempla oculis fidelium ſubjiciuntur: ut pro iis
„ Deo gratias agant. Profecto quis neſcit, in qualibet natione admodum exiguum litteratorum eſſe numerum; idque præſtare rudibus populis picturas, quod præſtant litteræ litteratis. Inſtructio quidem exacta præcedere debet, ne in errorem labatur populus; quod docendi munus ſancta Synodus mandat omnibus Epiſcopis, ceteriſque curam ſuſtinentibus, ut ediſcant populi legitimum imaginum uſum. Sanctorum quoque Martyrum, & aliorum cum Chriſto viventium ſancta corpora, quæ viva membra fuerunt Chriſti, & templum Spiritus Sancti, ab ipſo ad æternam vitam ſuſcitanda, & glorificanda, eadem ſancta Synodus mandat, a fidelibus veneranda eſſe. Cultus autem latriæ, ſive religioſæ ſervitutis ad Deum ſolum a Catholica Romana Eccleſia refertur; & jugiter acclamatio fit: a Deo bona cuncta procedere per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui ſolus eſt plena imago Dei Patris. Moſes quidem vetuit fieri ſculptile ad adorandum; ne more Gentium Iſraeliticus populus idola coleret, quod & vetat ut ſupra ſancta Synodus: juſſu autem Dei Moſes poſuit Cherubim ſuper Arcam, quæ a Salomone repoſita fuit in Templo; ſic enim (*a*) ſcriptum eſt:
„ Et intulerunt Arcam fœderis in Oraculum Templi in
„ Sanctum Sanctorum ſubter alas Cherubim; ſiquidem
„ Cherubim expandebant alas ſuper locum Arcæ, & pro-
„ tegebant Arcam, & vectes ejus deſuper. Quis autem auderet dicere, Iſraeliticum populum nullam cœleſtium

Spi-

(a) *Lib. 3. Reg. cap. 7.*

Digitized by Google

Spirituum venerationem habuiſſe? Profecto honorandi & venerandi ſunt ii, quos Deus Deorum, vel amicorum nomine honeſtat. Judæi nunc quoque & Angelos Sanctos, & Moſem, ceteroſque inſignes Patriarchas, & Dei Prophetas ſcriptis, ſermonibuſque venerantur & honorant. Lex Dei vetat, ne alicui tribuatur honos, qui ei ſoli debetur; propterea ſcriptum eſt: Sacrificans Diis eradicabitur. Quis autem arguet Sanctam Romanam Eccleſiam de hac prævaricatione? Ejuſdem Eccleſiæ dogmata, diſciplina, rituſque integerrima ſunt, & abſque macula. De ceteris autem ritibus a quibuſdam Regularibus invectis, quos tamquam laudabiles utileſque ſummi Pontifices probavere, non eſt mei muneris verba facere, quum ad univerſalem Eccleſiam haud referantur, neque Chriſtifidelibus præcipiantur; ſubinde eſt in cujuslibet poteſtate ab iiſdem reſilire; non autem licet, eoſdem ritus tamquam ſuperſtitioſos calumniare. Non loquor de arbitrariis nonnullorum orandi formulis; non de iis, qui ſcholaſticas opiniones ab Eccleſiæ dogmatibus haud ſecernunt; nihil de Oratorum exceſſibus, vaniſque commentis, quum ea omnia, hiſque ſimilia ad Sanctam Romanam Eccleſiam nullatenus referri queant. Orandi formula ab Eccleſia Romana præſcripta omnino conſona videtur doctrinæ Redemptoris, qui, ut legitur capite ſexto Matthæi, ſic docuit: „ Orantes autem nolite multum loqui ſicut Ethnici, putant enim quod in multiloquio ſuo exaudiantur. Nolite „ ergo aſſimilari eis. Eo reſpiciens S. Ambroſius (a) inquit. Non ſolos Dominus audit loquentes, qui audiebat Moſem tacentem. Plus audit tacitas cogitationes „ ſuorum, quam voces omnium. Item S. Auguſtinus, ſerm. primo de B. Tobia, ſic ait: „ audit Deus homi-

X x „ nis

(a) *Lib. 1. Offic. cap. 41.*

„ nis linguam, ſi mundam habet conſcientiam: cum ſen-
„ ſibus loquitur, ſi ſit ſolus noſter gemitus, ſufficit auri-
„ bus imber oculorum: fletus citius audit quam voces.
Neque culpanda eſt Sancta Mater Eccleſia, quæ vera docet, eadem inculcat, recteque agenda præſcribit, ſi aliqui ejuſdem immaculatæ Matris filii a recto itinere aberrant, quamquam quotidie clamet, & ad omnes repetat id, quod in citata Concilii Seſſione ſcriptum eſt:
„ Omnis porro ſuperſtitio in Sanctorum invocatione, Re-
„ liquiarum veneratione, & Imaginum ſacro uſu tollatur;
„ omnis turpis quæſtus eliminetur.

Diſciplina referendi in Canonem Sanctorum eminentis virtutis & eximiæ pietatis Viros, prodigiiſque claros ubique adeo pervetuſta, & primitivæ Eccleſiæ videtur, ut acta Cœlitum permeanti antiquiſſima & crebra exempla occurrant. Plures quoque clariſſimi Viri ſcripſerunt de prodigiis a Deo patratis occaſione translationum Sanctorum Corporum. Profecto non vacat ſingula exſcribere, nonnulla autem irrefragabilia monumenta hujuſce rei in medium proferre decrevi, ut hoc loco veritas eluceſcat. Inter vetera Sanctorum Epiſcoporum Brixienſium opera, in unum collecta juſſu Eminentiſſimi, ac vigilantiſſimi Cardinalis Quirini, habetur ſermo Venerabilis Ramperti de translatione B. Philaſtrii, ubi numero ſecundo ſic legitur: cum igitur ut a nobis prædictum eſt, plurimis utriuſque ſexus inſtructi phalangibus, prius ſanctificato Clero, ſacriſque veſtibus induto; effoſſo clandeſtino antro, quod ferme centum luſtris beatiſſimum habens occuluit corpus; attoniti ſuper revelatione, Sanctiſſimum, cariſſimumque theſaurum, in Sacerdotum humeros reverenter detuliſſemus; ad domum Sanctæ ac ſemper Virginis Mariæ ſumma cum devotione pervenimus.

Clero

Clero vero necdum ad ejus venerabilem aram pertingente, jam primis de populo ſacras valvas aulæ tenentibus, ſacerdotibus quoque qui obſequium vehiculi circa feretrum ſuccidui famulantes præbebant, infra templi limina ſeptimo ferme greſſu fortuito ſubſiſtentibus; eo præcipue voto quo veniens devotus populus tranſiret ſub feretrum; poſtmodum nec de loco quo ſteterant vadere queuntibus, territa plebe, & ingeminate Domine Miſerere clamitante, incredibilis ineffabiliſque ſonitus cœlitus increpuit. Cujus ſonitus tot teſtes ſumus, quotquot tunc illic fuimus. Quo momento, fragore ſonitus exterrita quædam mulier habens aridam dexteram, & ita rigidam & deorſum defluxam, ut foret invalida contingere os, aut pectus ſuum illico extendens eam, ſignum Crucis Chriſti fronte notavit ſub nomine Trinitatis ſummæ; ipſi gratias agens qui eſt benedictus in ſæcula, qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis. O quam mirabiliter geſſit, introeunte Sancti ſui Corpore in Eccleſiam benedictus Deus? Etenim hic ſeptimus Epiſcopus Brixienſem Eccleſiam Chriſto tunc prædicando congregans, ſanctum dogma cuſtodivit; & areſcentem dexteram Fidei Catholicæ Eccleſiæ, pullulante ſiniſtra Arianæ perfidiæ ubique, quantum potuit reformare mirifice ſtuduit. Hactenus Rampertus. In tranſlatione quoque B. Stephani Protomartyris S. Auguſtinus ſic (a) ait: „ Ad aquas Tibilitanas Epiſcopo afferente Præjecto „ reliquias Martyris glorioſiſſimi Stephani, ad ejus me„ moriam veniebat magnæ multitudinis concurſus & oc„ curſus. Ibi cæca mulier ut ad Epiſcopum portantem „ duceretur oravit: flores quos ferebat dedit; recepit, ocu„ lis admovit, protinus vidit. Stupentibus qui aderant, „ præibat exſultans, viam carpens, & viæ ducem ulterius „ non

(a) *Lib. 22. cap. 8. de C. D.*

„ non requirens — Memorati memoriam Martyris, quæ „ poſita eſt in caſtello Siniteníi, quod Hipponenſi Coloniæ vicinum eſt, ejuſdem loci Lucillus Epiſcopus, „ populo præcedente atque ſequente portabat. Fiſtula, cujus moleſtia jamdiu laboraverat, & familiariſſimi ſui „ medici, qui eam ſecaret, opperiebatur manus, illius „ piæ ſarcinæ vectatione repente ſanata eſt: nam deinceps „ eam in ſuo corpore non invenit. Re de qua agimus præclarum monumentum exhibent Sacræ Scripturæ, ubi ſic (*a*) legitur: „ Mortuus eſt ergo Eliſeus, & ſepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipſo anno. Quidam autem ſepelientes hominem „ viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in ſepulcro „ Eliſei, quod cum tetigiſſet oſſa Eliſei, revixit homo, „ & ſtetit ſuper pedes ſuos. Dum autem agitur de revelationibus, & prodigiis admodum caute ſe gerit S. Romana Eccleſia. Præclarum documentum exhibet ampliſſimus Cardinalis Cajetanus ad Leonem X. P. M. ſcribens, qui ſic (*b*) ait: „ Novæ autem revelationes contra tot Sanctos, & antiquos doctores Angelum Satanæ in Angelum lucis transformatum, aut phantaſias, vel etiam figmenta ſapientibus ingerere videntur. Hæ ſiquidem cum „ vocatis miraculis, quæ in hac cauſa afferuntur pro mulierculis, non pro ſacra ſunt ſynodo: unde nec cenſeo „ digna de quibus verba fiant.

Hiſce itaque omnibus exacte perpenſis, factaque collatione cum Ethnicorum religione, quilibet probe inſtitutus, partium ſtudio vacuus, ſingulari virtute praeditus, & ad pendendas cauſſas integerrime factus, cogetur fateri, immaculatam eſſe Catholicæ Romanæ Eccleſiæ religionem, ac diſciplinam; virus enim, quod Diabolus arte

(a) *Lib. 4. Reg. cap. 13.* (b) *Opuſc. de Concept. B. V. cap. 5.*

Digitized by Google

arte ſua in Gentes transfuderat, ſemperque in eodem propoſito perſeverans, hac pura religione, hiſce myſteriis nunc curatur; & ſola fide in Jeſum Chriſtum rejiciuntur, fuganturque Dæmones, quorum artes ad decipiendum mox reſerabuntur.

CAPUT V.

Deteguntur Dæmonis artes, quibus ad corrumpendam Religionem, depravandoſque Hominum mores uſus eſt.

VAferrimus, teterrimuſque humani generis hoſtis, ad corrumpendam religionis integritatem, depravandoſque mores ſemper intentus, modica primum in pietatis ſpeciem ſuggerit, mortifero tamen infecta veneno, ut improvidorum animos trahat. Variis artibus callidus ille & veternoſus fraudum artifex homines allicit; omnes vero ex ea, qua quiſque imbecillior eſt, parte aggreditur; quæque ad decipiendum faciliorem ſibi aditum muniat. Artem, qua primos erga Parentes malus ille Spiritus uſus eſt, ſic graphice deſcribit (a) Auguſtinus: Dæmon, tamquam inſtrumento abutens fallacia, ſermocinatus eſt feminæ; a parte ſcilicet inferiore illius humanæ copulæ incipiens, ut gradatim perveniret ad totum: non exiſtimans Virum facile credulum, nec errando poſſe decipi, ſed dum alieno cedit errori; ſicut enim Aaron erranti populo ad idolum fabricandum non conſenſit inductus, ſed ceſſit obſtrictus: nec Salomonem credibile eſt, errore putaſſe, Idolis eſſe ſerviendum, ſed blanditiis femineis ad illa

(a) *Lib. 14. cap. 11. de C. D.*

illa ſacrilegia fuiſſe compulſum : ita credendum eſt, illum Virum ſuæ feminæ, conjugem conjugi, ad Dei legem traſgrediendam, non tamquam vera loquenti crediDiſſe ſeductum, ſed ſociali neceſſitudini paruiſſe; non enim fruſtra dixit Apoſtolus: ſed & Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta eſt; niſi quia illa, quod ſerpens locutus eſt, tamquam verum eſſet, accepit; ille autem ab unico noluit conſortio dirimi, nec in communione peccati. Quid ergo pluribus? Etſi credendo non ſunt ambo decepti, peccando autem ambo ſunt capti, & Diaboli laqueis implicati. Hactenus Auguſtinus.

Superiore libro habitus eſt ſermo de Dæmone, ſive malo Spiritu apud omnes Gentes noto, qui cogendi poteſtatem non habet, ſed perſuadendi verſutiam; Diabolus enim mille fraudum artifex variis modis circumit univerſos, ut eos avocet a recto cultu, eorumque mores depravet. Superbus ſpiritus ſciens propter primorum Parentum peccatum, quos ipſe ad peccandum induxerat, terram a Deo fuiſſe maledictam, a maligno propoſito nunquam receſſit. Quum autem hæc traditio apud omnes Gentes pervulgata eſſet, ut capite tertio libri ſecundi luculenter probavimus; & tractu temporis eadem traditio apud aliquas nationes fabuloſis commentis corrupta fuiſſet; populi illi duo commenti ſunt principia, pari, vel ſuppari poteſtate; hinc ſtatuerunt illæ Gentes, Deo bono facienda eſſe ſacra, ut bonum conſequamur; & malo, ad malum averuncandum. Aliæ vero Gentes, tametſi unum ſolum principium admitterent, malo quoque Spiritui facienda eſſe ſacra putaverunt, ne mala inferret. Ex naturæ quoque Angelicæ excellentia, & beneficiis ab his Sanctis Spiritibus humano generi præſtitis, factum eſt, ut Sanctis Angelis Gentes ſtatuerint honorem divinum. Veneratio

quidem

quidem & honor eiſdem debetur; hinc Dæmon gradatim ſub ſpecie pietatis induxit Gentes, ut augerent Sanctorum Spirituum cultum, donec ad idololatriam perventum fuit; idemque demum factum eſt in cultu Heroum. Falſo autem crediderunt Gentes, ſatis ſummi Numinis dignitati conſultum fuiſſe, mactando diverſas, ac potiores victimas ſummo Deo. Plutarchus libro de Iſide & Oſiride verba faciens de Magorum Theologia, ſic inquit: Zoroaſtres docuit, votivas, & pro gratiis agendis oblatas victimas meliori Deo immolandas: tenebrarum autem Deo, averuncandi mali cauſſa, inſtitutas & tetricas; herbam enim quandam Omomi appellatam in mortario tundentes, Ditem invocant, & tenebras: tum admixto Lupi jugulati ſanguine, efferunt, & abjiciunt in locum, quo ſolis radii non pertingunt. Alios Gentium ritus idem Plutarchus in quæſtionibus Romanis refert, ubi ſic legitur: Nulli Cœlitum canis immolabatur, ſed Hecatæ terreſtri in trivio cœnæ loco miſſus, piacularis ſacri, avertendi mala expiandique gratia facti partes obibat. Lacedemones porro Marti Deo cædibus deditiſſimo catulos inſecabant. Apud Bæotos publicum eſt ſacrificium, quo cane in duas diſciſſo partes, per earum medium tranſibant. Ipſi Romani Lupercalibus menſe Februario Cane litant. Idem Plutarchus in moralibus de ſuperſtitione ſic ait: Sed ſcientes, prudenteſque Parentes ſuos ipſi liberos ſacrificabant, & quibus nulla erat proles, ii a pauperibus infantes tanquam agnos, aut pullos avium ad eam rem emebant: adſtabatque mater ſine luctu aut gemitu, quem ſi ederet, aut fleret, pretio mulctabatur, & infans nihilominus mactabatur. Hactenus Plutarchus. Homines quoque mactabantur in eorum ſacris a Carthaginenſibus, & ab antiquis Italis, ut refert libro primo Halicarnaſſeus.

Digitized by Google

Hæc crudelis abominatio reperta fuit apud Mexicanos, ut videre eſt in ſecunda relatione Ferdinandi Corteſii ad Carolum V. Imperatorem. Eadem injuſta potius ſupplicia, quam ſacrificia, ſervantur noſtro quoque ævo in aliquibus Regnis Orientalibus, Afriſque, referentibus P. Vincentio Maria Senenſi, & Cavazio teſtibus ocularibus. Gentibus quippe facile perſuaſum fuit, Dæmonem, ſive Deum malum libamine humanarum carnium delectari, quæ abominatio crudeli fecunditate in omnibus fere Gentibus propagata fuit: quibus in ſacrificiis, ut (*a*) inquit Voſſius, quandoque etiam (dictu horrendum) infans materno exſectus utero mactabatur. Diis autem Cœleſtibus primum oblatæ fuerunt terræ fruges; demum Gentes cœperunt Hoſtiis, & ſacrificiis Diis litare; mos vero non erat, unicuique Deorum eadem Hoſtia, & in una eademque Cella ſacra facere, ut de Romanis (*b*) refert Livius. Quæ conſuetudo, teſte Cardinali Lucino capite decimonono noſtro quoque ævo a Brachmanibus orientalibus ſervatur, qui aliis hoſtis ſacrificant ſummo Deo, aliis Cœlicolis, aliis Diis infernalibus.

Profecto ab oraculorum reſponſis, de quibus capite primo libri ſecundi factus eſt ſermo, diabolica voce confictis, mirum quantum miſeri mortales decepti ſint, apparet ex proſpectu, quem exhibuimus de Gentium religione; ex his enim reſponſis ſtatuebant ea, quæ fugienda, quæve amplectenda forent; hinc fœdata eſt religio, morumque diſciplina. De hiſce oraculorum reſponſis adverſus Hermetem Triſmegiſtum differens Auguſtinus, ſic (*c*) inquit: Ille Ægyptius alios Deos eſſe dicit a ſummo Deo factos, alios ab hominibus: hoc qui audit, ſicut a me

(a) *Lib.* 1. *cap.* 8. (b) *Lib.* 7. *Decad.* 3.
(c) *Lib.* 7. *cap.* 23. *de C. D.*

Digitized by Google

me poſitum eſt, putat dici de ſimulacris, quia opera ſunt manuum hominum: at ille viſibilia & contrectabilia ſimulacra, velut corpora Deorum eſſe aſſerit; ineſſe autem his quoſdam Spiritus invitatos, qui valeant aliquid, ſive ad nocendum, ſive ad deſideria eorum nonnulla complenda, a quibus eis divini honores, & cultus obſequia deferuntur. Hos ergo Spiritus inviſibiles per artem quamdam viſibilibus rebus corporalis materiæ copulare, ut ſint quaſi animata corpora, illis Spiritibus dicata & ſubdita ſimulacra, hoc eſſe dicit Deos facere, eamque magnam & mirabilem Deos faciendi accepiſſe homines poteſtatem. Hujus Ægyptii verba, ſicut in noſtram linguam interpretata ſunt, ponam: Et quoniam de cognatione; inquit Hermes, & conſortio hominum Deorumque nobis indicitur ſermo, poteſtatem hominis, o Aſclepi, vimque cognoſce. Dominus & Pater, vel, quod eſt ſummum, Deus ut effector eſt Deorum Cœleſtium, ita homo fictor eſt Deorum, qui in Templis ſunt humana proximitate contenti --- Ita humanitas ſemper memor naturæ & originis ſuæ in illa divinitatis imitatione perſeverat; ut ſicut Pater ac Dominus, ut ſui ſimiles eſſent, Deos fecit æternos, ita humanitas Deos ſuos ex ſui vultus ſimilitudine figuraret. Hic cum Aſclepius, ad quem maxime loquebatur, ei reſpondiſſet atque dixiſſet, ſtatuas dicis, o Triſmegiſte? Tum ille, ſtatuas, inquit, o Aſclepi, vides ne quatenus tu ipſe diffidas? Statuas animatas ſenſu & ſpiritu plenas, tantaque facientes & talia; Statuas futurorum præſcias, eaque ſorte, vate, ſomniis, multiſque aliis rebus prædicentes, imbecillitates hominibus facientes, eaſque curantes, triſtitiam lætitiamque pro meritis. Dæmon quippe, ſequitur (a) Auguſtinus, ſimulacro arte

(a) *Lib. 7. cap. 5. lib. 12. cap. 26. de C. D.*

Digitized by Google

impia colligatus ab homine, factus eſt Deus, ſed tali homini, non omni homini. Qualis eſt ergo iſte Deus, quem non faceret homo niſi errans, & incredulus & averſus a vero Deo? Porro ſi Dæmones qui coluntur in Templis, per artem neſcio quam imaginibus inditi, hoc eſt viſibilibus ſimulacris, ab iis hominibus, qui hac arte fecerunt Deos, cum aberrarent averſique eſſent a cultu & religione Divina, non ſunt internuncii nec interpretes inter homines & Deos, & propter ſuos peſſimos ac turpiſſimos mores, & quod homines, quamvis errantes & increduli & averſi a cultu & religione Divina, tamen ſine dubio meliores ſunt iis, quos Deos ipſi arte fecerunt; reſtat ut quod poſſunt, tamquam Dæmones poſſint, vel quaſi beneficia præſtando magis nocentes, quia magis decipientes; vel aperte maleficiendo. Nec tamen quodlibet horum, niſi quando & quantum permittuntur alta & ſecreta Dei Providentia: non autem tamquam medii inter homines & Deos per amicitiam Deorum multum apud homines valeant. Hi enim Diis bonis, quos ſanctos Angelos nos vocamus rationaleſque creaturas, ſanctæ cœleſtis habitationis, ſive ſedes, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates, amici eſſe non poſſunt, a quibus longe abſunt animi affectione, quam longe abſunt a virtutibus vitia, & a bonitate malitia. Sed ipſorum, ſequitur Auguſtinus, potius interpretationes phyſicas audiamus, quibus turpitudinem miſerrimi erroris, velut altioris doctrinæ ſpecie, Ethnicorum Philoſophi colorare conantur. Primum eas interpretationes ſic Varro commendat, ut dicat antiquos ſimulacra Deorum & inſignia ornatuſque finxiſſe, quæ cum oculis animadvertiſſent hi, adeſſent doctrinæ myſteria, poſſent animam mundi, ac partes ejus, id eſt Deos veros animo videre.

Digitized by Google

videre. Ita ſane Plato minores & a ſummo Deo factos Deos, effectores eſſe voluit animalium ceterorum, ut immortalem partem ab ipſo ſumerent, ipſi vero mortalem adtexerent. Proinde animarum noſtrarum eos creatores eſſe noluit, ſed corporum. Hactenus Auguſtinus. De natura autem Dæmonum Apulejus verba faciens, inquit (a):
„ Eos eiſdem quibus homines animi perturbationibus agitari,
„ irritari injuriis, obſequiis doniſque placari, gaudere honoribus, diverſis ſacrorum ritibus oblectari, & in eis, ſi
„ quid neglectum fuerit, commoveri. Inter cetera etiam
„ dicit, ad eos pertinere divinationes Augurum, Aruſpicum, Vatum, atque ſomniorum: ab his quoque eſſe miracula Magorum. Demum eos definiens ait: Dæmones eſſe genere animalia, animo paſſiva, corpore aeria, tempore æterna. Simulabant aliquando Dæmones, ſe eſſe iratos, & ſacrario exceſſiſſe; placati vero oblationibus, & ſacrificiis redirent. De hoc Dæmonum ludificamento V. Cl. Anſaldus erudito opere de Evocatione inter cetera hæc tradit: „ Silvius Italicus libro octavo Belli Punici,
„ inquit: Placavimus iras Cœlicolarum, redeunt Divi. Macrobius libro tertio Satur. cap. primo exhibet evocationum formulam in obſidionibus Urbium; Dux enim, qui adverſus aliquam Civitatem poſuerat caſtra, ſic precabatur hoſtium Deos: „ Si Deus, ſi Dea eſt, cui populus,
„ Civitaſque eſt in tutela, teque maxime ille, qui Urbis hujus, populique tutelam recepiſti, precor venerorque, veniamque a vobis peto; ut vos populum Civitatemque deſeratis; loca, templa, ſacra, Urbemque
„ eorum relinquatis, abque his abeatis; eique populo,
„ Civitatique metum, formidinem, oblivionem injiciatis:
„ proditique Romam ad me, meoſque veniatis, noſtraque

 „ vobis

(a) *Apud Pfannerum cap. 6.*

Digitized by Google

„ vobis loca, templa, ſacra, Urbs acceptior, probatiorque
„ ſit: mihi quoque, populoque Romano, militibuſque
„ meis præpoſiti ſitis, ut ſciamus intelligamuſque: ſi ita
„ feceritis, voveo vobis templa ludoſque facturum. Si-
„ milia Dæmonum ludificamenta refert Svetonius in vita
„ Domitiani, ubi ſic legitur: Domitianus ſomniavit, Mi-
„ nervam, quam ſuperſtitioſe colebat, excedere ſacrario,
„ negantemque, ſe tueri ultra eum poſſe, quod exarma-
„ ta eſſet a Jove.

Quod autem ſuperſtitioſæ, & idololatricæ inſtitutiones Dæmonum fraude invectæ fuerint, e quibus gradatim omnino fœdata videtur religio, facto publico, & irrefragabili comprobatur. Romæ Numa Rex, inquit (*a*) Livius, Sacerdotes ſuos primus cuique Deorum præfecit — Numam, ut ſuas ſacras inſtitutiones Divina auctoritate operiret, conſueviſſe in Lucum quendam, cujus medium ex opaco ſpecu fons perenni rigabat aqua, ſine arbitris, velut ad conſpectum Deæ ſe inferre: Camæniſque eum locum ſacraviſſe, quod earum ibi conſilia cum conjuge ſua Egeria eſſent — Verum ſexto poſt mortem Numæ ſæculo, in agro L. Petilii ſcribæ ſub Janiculo, dum cultores agri altius moliuntur terram, duæ lapideæ arcæ octonos ferme pedes longæ, quaternos latæ inventæ ſunt, operculis plumbo devinctis. Litteris latinis græciſque utraque arca inſcripta erat. In altera Numam Pompilium Pomponis filium Regem Romanorum ſepultum eſſe: in altera libros Numæ Pompilii ineſſe. Eas arcas cum ex amicorum ſententia Dominus aperuiſſet, quæ titulum ſepulti Regis habuerat, inanis inventa eſt, ſine ullo veſtigio corporis humani, aut ullius rei, per tabem tot annorum ſpatio omnibus abſumtis. In altera duo faſces candelis involuti, ſepte-

(a) *Lib. 1. Decad. 1. & lib. 10. Decad. 4.*

Digitized by Google

ſeptenos habuiſſe libros, non integros modo, ſed recentiſſima ſpecie. Septem latini de jure pontificio erant: ſeptem græci de diſciplina ſapientiæ, quæ illius ætatis eſſe potuit. Primo ab amicis, qui in re præſentes fuerunt libri lecti: mox pluribus legentibus cum vulgarentur, Q. Petilius Prætor urbanus ſtudioſus legendi eos libros a L. Petilio ſumſit. Et erat familiaris uſus, quod ſcribam cum Quæſtor Q. Petilius in Decuriam legerat. Lectis rerum ſummis, cum animadvertiſſet pleraque diſſolvendarum religionum eſſe, L. Petilio dixit, ſeſe eos libros in ignem conjecturum eſſe. Libros eos legi ſervarique non oportere Senatus quoque cenſuit. Libri in comitio, igne a victimariis facto, in conſpectu populi cremati ſunt. Hactenus verba ipſa Livii. Varro autem, præclarus inter Ethnicos ſcriptor, exhibet hujus judicii cauſſas, quas Senatus occultandas eſſe cenſuit. Sed contra invenimus, inquit (*a*) Auguſtinus ſicut ipſe Varro vir doctiſſimus prodidit, de Numæ Pompilii libris redditas ſacrorum cauſſas nullo modo potuiſſe tolerari, nec dignas habitas, quæ non ſolum lectæ innoteſcerent religioſis, ſed ſaltem ſcriptæ reconderentur in tenebris. Nam ſicut apud eumdem Varronem legitur in libro de cultu Deorum, Terentius quidam cum haberet ad Janiculum fundum, & bubulcus ejus juxta ſepulcrum Numæ Pompilii trajiciens aratrum eruiſſet ex terra libros ejus, ubi ſacrorum inſtitutorum ſcriptæ erant cauſſæ, in Urbem pertulit ad Prætorem. At ille cum inſpexiſſet principia, rem totam detulit ad Senatum. Ubi cum primores quaſdam cauſſas legiſſent, cur quidque in ſacris fuiſſet inſtitutum, Numæ mortuo aſſenſus eſt, eoſque libros tamquam religioſi Patres conſcripti, Prætor ut combureret cenſuerunt. Nam & ipſe Numa, ad quem nullus

(a) *Lib. 7. cap. 34. & 35. de C. D.*

Digitized by Google

nullus Dei Propheta, nullus ſanctus Angelus mittebatur, hydromantiam facere compulſus eſt, ut in aqua videret imagines Deorum, vel potius ludificationes Dæmonum, a quibus audiret, quid in ſacris conſtituere atque obſervare deberet. Quod genus divinationis idem Varro a Perſis dicit allatum, quo & ipſum Numam, & poſtea Pythagoram Philoſophum uſum fuiſſe commemorat: ubi adhibito ſanguine etiam inferos perhibet ſciſcitari. His tamen artibus didicit ſacra illa Pompilius, quorum ſacrorum facta prodidit, cauſſas obruit; ita timuit & ipſe quod didicit: quarum cauſſarum proditos libros Senatus incendit. Sed occulta Dei veri providentia factum eſt, ut & Pompilio amico ſuo illis conciliari artibus, quibus hydromantia fieri potuit, cuncta illa confiteri permitterentur; & tamen ut moriturus incenderet ea potius, quam obrueret, admonere non permitteretur: qui ne innoteſcerent, nec aratro, quo ſunt eruta, obſiſtere potuerunt, nec ſtilo Varronis, quo ea quæ de hac re geſta ſunt, in noſtram notitiam pervenerunt. Hactenus Auguſtinus. Varro ſcribit artem magicam a Perſis in Italiam fuiſſe allatam. Idem confirmari videtur a Plinio, ubi de arte magica ſic (*a*) inquit: „ Fraudulentiſſima artium plurimum in toto terrarum orbe plurimiſque ſæculis valuit: ſine dubio illic orta in Perſide a Zoroaſtre, ut inter auctores convenit.

Alii crediderunt, quod Dii boni libentius Dæmonibus, quam hominibus miſceantur, & Dæmones medios inter Deos & homines agere, ut ab hominibus offerant deſiderata, & a Diis referant impetrata. Primum ab eis quæro, inquit (*b*) Auguſtinus, quibus Diis iſtum cultum exhibendum arbitrentur, utrum bonis, an malis; an bonis & ma-

(a) *Lib. 8. cap. 13.* (b) *Lib. 10. cap. 19. de C. D.*

& malis. Sed habemus ſententiam Platonis dicentis, omnes Deos bonos eſſe, nec eſſe omnino ullum Deorum malum. Conſequens eſt igitur, ut bonis exhibenda intelligantur: tunc enim Diis exhibentur, quoniam nec Dii erunt, ſi boni non erunt. Hoc ſi ita eſt (nam de Diis quid aliud decet credere?) illa profecto vacuatur opinio, qua nonnulli putant, Deos malos ſacris placandos eſſe, ne lædant, bonos autem ut adjuvent invocandos – Ideo quippe hos Philoſophos potiſſimum elegi, quoniam de uno Deo, qui fecit cœlum & terram, quanto melius cenſerunt, tanto ceterisglorioſiores & illuſtriores habentur; ſed hi omnes, & ceteri ejuſmodi, & ipſe Plato Diis plurimis eſſe ſacra facienda putaverunt. Qui autem putant, hæc viſibilia ſacrificia Diis aliis congruere: illi vero (hoc eſt Deo ſummo) tamquam inviſibili inviſibilia, & majori majora, meliorique meliora, qualia ſunt puræ mentis & bonæ voluntatis officia; profecto neſciunt, hæc ita eſſe ſigna illorum, ſicuti verba ſonantia ſigna ſunt rerum. Quocirca ſicut orantes atque laudantes ad eum dirigimus ſignificantes voces, cui res ipſas in corde quas ſignificamus offerimus: ita ſacrificantes non alteri viſibile ſacrificium offerendum eſſe noverimus, quam illi cujus in cordibus noſtris inviſibile ſacrificium eſſe debemus. Tunc nobis favent, nobiſque congaudent, atque ad hoc ipſum nos pro viribus adjuvant Angeli, quique virtuteſque ſuperiores & ipſa bonitate ac pietate potentiores. Si autem illis hæc exhibere voluerimus, non libenter accipiunt, & cum ad homines ita mittuntur, ut eorum præſentia ſentiatur, apertiſſime vetant. Sunt exempla in litteris ſanctis. Putaverunt quidem deferendum Angelis honorem, vel adorando, vel ſacrificando, qui debetur Deo, & eorum ſunt admonitione prohibiti, juſſique hoc deferre, cui uni fas

eſſe

eſſe noverunt. Imitati ſunt Angelos ſanctos etiam ſancti homines Dei: nam Paulus, & Barnabas in Lycaonia facto quodam miraculo ſanitatis, putati ſunt Dii, eiſque Lycaonii immolare victimas voluerunt, quod a ſe humili pietate removentes, eis in quem crederent annuntiaverunt Deum. Nec ob aliud fallaces illi ſuperbe ſibi hoc exigunt, niſi quia vero Deo deberi ſciunt. Sed quia, alibi (a) idem S. Doctor, nobis non ea qua homines familiaritate miſcentur (quod etiam ipſum ad ærumnas pertinet vitæ) & aliquando Satanas, ſicut legimus, transfigurat ſe velut Angelus lucis, ad tentandos eos quos ita vel erudiri opus eſt, vel decipi juſtum eſt; magna Dei miſericordia eſt, ne quiſquam cum bonos Angelos amicos ſe habere putat, habeat malos Dæmones amicos fictos, eoſque tanto nocentiores, quanto aſtutiores ac fallaciores patiantur inimicos. Et cui magna iſta Dei miſericordia neceſſaria eſt, niſi magnæ humanæ miſeriæ, quæ ignorantia tanta premitur, ut facile iſtorum ſimulatione fallatur? Et illos quidem Philoſophos in impia civitate, qui Deos ſibi amicos eſſe dixerunt, in Dæmones malignos incidiſſe certiſſimum eſt, quibus tota ipſa civitas ſubditur, æternum cum eis habitura ſupplicium. Ex eorum quippe ſacris, ſic concludit Auguſtinus, vel potius ſacrilegiis, quibus eos colendos, & ex ludis immundiſſimis, ubi eorum crimina celebrantur, quibus eos placandos putaverunt, eiſdem ipſis auctoribus & exactoribus talium, tantorumque dedecorum, ſatis ab eis qui colantur apertum eſt. Dæmon quoque in vile ludibrium vertit antiquorum Ægyptiorum ſapientiam, eis ſuadendo, quod Dii ipſi iram Typhonis, hoc eſt, Principis Dæmoniorum timerent, teſte Plutarcho libro de Iſide & Oſiride, in quo hæc ſcripta ſunt: „ Nam quod traditur

„ Deos

(a) *Lib. 19. cap. 9. de C. D.*

„ Deos Typhonis metu in iſta animalia tranſiiſſe latendi „ cauſſa, & corporibus Ibium, Canum, Accipitrum ſe „ occultaviſſe. Hinc apud Ægyptios animalium cultum „ originem duxiſſe fertur.

Patefacta Dæmonis fraude, qua ad corrumpendam religionem, polluendumque Dei cultum uſus eſt, ſupereſt, ut de ejus malitia diſquiramus, qua moralis vitæ diſciplinam evertere, homineſque in propudioſa quæque impellere conatus eſt. Religione corrupta uſus eſt Dæmon, ut mores fœdaret ritibus immundis; neque defuerunt prodigia, Deo ſic permittente, quibus impuri ritus confirmarentur. Hoc loco addere ſufficiat quod de Dæmonum prodigiis refert Auguſtinus: „ Fuiſſe ait (*a*) vel eſſe „ quoddam Veneris Fanum, atque ibi candelabrum, & „ in eo lucernam ſub dio ſic ardentem, ut eam nulla „ tempeſtas, nullus imber extingueret. Maxime autem „ (hoc eſt Dæmones) poſſident corda mortalium, qua „ potiſſimum poſſeſſione gloriantur, cum ſe transfigurent „ in Angelos lucis. Sunt ergo facta eorum plurima, quæ „ quanto magis mirabilia confitemur, tanto cautius vi„ tare debemus. Sed ad hoc unde nunc agimus, nobis „ etiam ipſa proficiunt. Si enim hæc immundi Spiritus „ poſſunt, quanto potentiores ſunt ſancti Angeli, quan„ to potentior eſt his omnibus Deus, qui tantorum mira„ culorum effectores etiam ipſos Angelos fecit. Inter cetera quæ morum integritatem contaminarunt, Bacchanalia fuere, in quibus viri feminis turpiter mixti, in omni immunditiæ genere volutabantur. Impudentiſſima hæc Bacchi feſta a Gentibus non uno celebrabantur modo, ubique autem ſpurciſſime. Ab Athenienſibus originem duxiſſe ferunt in Liberi Patris honorem inſtituta, tantaque

 licen-

(a) *Lib. 21. cap. 6. de C. D.*

Digitized by Google

licentia peracta, ut Nympharum & Heroum habitu, bacchantes prodirent in Forum, & ad ſonum tibiæ cum laſciva geſticulatione, compoſitis modis pſallerent, vinumque cum bellariis, libaque ex melle, magna bibendi licentia circumferrent. Turpius autem ab Ægyptiis Bacchanalia celebrata fuiſſe Herodotus libro ſecundo ſcribit. „ Plurimo ſiquidem potu ingurgitati, ſtatuas cubitales per „ pagos circumferebant, portenta mentula, magnitudine „ viſenda, præeunte tibia, & Choro cum Mercurii ſta„ tua, veretro porrecto: quas ſtatuas feminæ, & magno „ natu mares, velut pompam triumphalem, præ ſe age„ bant, tam fœdo ſpectaculo. At ſupra quam dici poteſt horendum eſt, quod de Bacchanalibus in Urbe Roma anno DLXIV. Poſtumio Albino, & Q. Martio Philippo Coſſ. Livius (a) narrat. Initia, inquit, erant, quæ primo paucis tradita ſunt: deinde vulgari cœpta per viros, mulierеſque: additæ voluptates religioni vini, & epularum; quo plurimum animi illicerentur: cum vinum animos, & nox, & miſti feminis mares, ætatis teneræ majoribus, diſcrimen omne pudoris extinxiſſent; corruptelæ primum omnis generis fieri cœptæ, cum ad id quiſque, quo natura pronioris libidinis eſſet, paratam voluptatem haberet. Nec unum genus noxæ: ſtupra promiſcua ingenuorum feminarumque erant. Sed falſi teſtes, falſa ſigna, teſtimoniaque, & indicia ex eadem officina exibant: venena indidem, inteſtinæque cædes; ita ut ne corpora quidem interdum ad ſepulturam exſtarent: multa dolo, pleraque per vim audebantur: occulebat vim, quod præ ululatibus, tympanorumque, & cymbalorum ſtrepitu nulla vox quiritantium inter ſtupra, & cædes exaudiri poterat. Atque hujus mali labes a Græculo quodam in Etruriam

(a) *Lib. 9. Decad. 4.*

riam primum illata, deinde ex Etruria Romam velut contagione morbi penetravit: aliquando celata, indicio denique patefacta, ingenti terrore Urbem affecit, cum publico nomine, ne quid eæ conjurationes, cœtuſque nocturni fraudis occultæ, aut periculi importarent: tum privatim, ne quis affinis ei noxæ eſſet. Itaque ne malum, quod Romam, totamque Italiam infecerat, longius ſerperet, quæſtionibus habitis, graviſſimo Senatus conſulto coercitum fuit, multorum ſuppliciis vindicatum, maximiſque pœnis inhibitum, ne Bacchanalia Romæ, neve in Italia fierent; quum in contubernio ſordidiſſimorum paterentur, eſſentque maximorum ſcelerum cauſſa, & ſeminarium. Hactenus Livius.

Dæmones, qui erroribus humanis gaudent, de ſe dici volunt flagitia, quæ non admiſerunt, quæque illi fallaciſſimi Spiritus de Numinibus fingi libenter accipiunt, ut ad ſceleſtia ac turpia perpetranda, velut ab ipſo cœlo traduci in terras ſatis idonea videatur auctoritas. Exhibuimus, Dæmones interpoſuiſſe mille nocendi fallendique artes, ut homines ad ſe colendos inducerent; deinde inſtituerunt ſacra, quæ eſſent vitiorum incitamenta, ut cuncta hominum officia depravarentur. Ab Ethnicorum Sacerdotibus, & Philoſophis bona quædam præcepta de moribus dabantur; in Templis autem ante Delubra enormia ſcelera nefarii Spiritus malitia fieri docuit, quæ cum palam aperteque ſive prodita, ſive conficta repreſentarentur ipſis Dæmonibus expoſcentibus certis & ſtatis ſolemnitatibus, ut ad omnium oculos eluceſcerent, & ut imitanda proponerentur, & niſi fierent iraſcentibus; hinc apparet, quod iidem ipſi Dæmones, qui ſe hujuſcemodi voluptatibus immundos eſſe Spiritus confitentur, qui ſuis flagitiis & facinoribus, ſive indicatis, ſive ſimulatis eorumque ſibi

celebratione petita ab impudentibus, auctores ſe vitæ ſceleſtæ immundæque teſtantur. Perhibentur tamen, in adytis ſecretiſque penetralibus dari quædam bona de moribus præcepta; hoc ipſo autem callidior advertenda eſt, & convincenda malitia Spirituum noxiorum. Tanta enim eſt vis probitatis & caſtitatis, ut omnis vel pene omnis ejus laude moveatur humana natura, nec uſque adeo ſit turpitudine vitioſa, ut totum amittat ſenſum honeſtatis. Proinde hoc videns Dæmonum malignitas, implet negotium ſuum, faciendo, ut foris celeberrimo ſtrepitu actiones impuræ populis circumſonent, & intus paucis probitatis nomen vix ſonet: hac arte decus latet, & dedecus patet: quod malum geritur, omnes convocat ſpectatores; quod bonum dicitur, vix aliquos invenit auditores: tanquam honeſta erubeſcenda ſint, & inhoneſta glorianda. Sed ubi hoc, niſi in Dæmonum Templis? Ubi, niſi in fallaciæ diverſoriis? Illud enim fit, ut honeſtiores, qui pauci ſunt, capiantur: hoc autem ne plures, qui ſunt turpiſſimi, corrigantur; ante enim ipſum Delubrum, ubi ſimulacrum locatum conſpiciebatur, univerſi undique confluentes, & ſtantes ubi quiſque poterat, intuentes alternante conſpectu, hinc meretriciam pompam, illinc virginem Deam; hanc ſuppliciter adorari, ante ipſam turpia celebrari: cuncta obſcænitatis implebantur officia, & exhibebatur quod de Templo domum matrona doctior reportaret. Hoc quippe palam diſcendum præbebatur in Templo, ad quod perpetrandum ſaltem ſecretum quærebatur in domo: mirante tamen pudore mortalium, quod humana flagitia non libere homines committerent, quæ apud Deos etiam religioſe diſcerent, iratos habituri, niſi etiam exhibere curarent. Quis enim alius Spiritus nequiſſimus agitans mentes, & inſtat faciendis adulteriis, aliiſque

ſce-

ſceleribus, & paſcitur factis, niſi qui etiam ſacris talibus oblectatur? Quum Seneca hiſce potius ſacrilegiis quam ſacris adfuiſſet, ſic (a) inquit: „ Quid me exiſtimas di„ cere? Avarior redeo, ambitioſior, Luxurioſior.

Alii autem turpia iſthæc religionis ſacra cernentes, neſcienteſque quænam eſſet vera religio, ne illis criminibus polluerentur, in impietatem inciderunt, & ſubinde ii ipſi in Diaboli laqueis implicati ſunt; hinc impietas, quæ eſt maximum malorum, primum invecta fuit. Idololatria porro diſtinguitur in ſubtilem, & craſſam: ſubtilem Ethnicorum Philoſophi, de qua ſupra habitus eſt ſermo, phyſicis rationibus defendere conati ſunt; craſſam vero agnoverunt, & tamquam commentitiam & ſuperſtitioſam ab animis religioſis reſpuendam eſſe dixerunt; ritus tamen exteriores, tamquam a legibus & publicis inſtitutis præſcriptos ſervari debere voluerunt, ne a reliqua multitudine diſſentire viderentur. De craſſa idololatria, ab Ethnicis ſuperſtitio nuncupata, in moralibus de ſuperſtitione ſic inquit Plutarchus: Superſtitio & initium præbuit impietati, & ortæ patrocinium, non juſtum quidem aut honeſtum, tamen præſcriptionis non exors; non enim in hanc inſaniam homines venerunt, ut univerſum Diis carere putarent, quod in cœlo, ſideribus, tempeſtatibus, converſionibus & motibus Solis circa terram, quibus dies & nox efficiuntur, aut alimentis animalium, frugumve proventibus culpandum aliquid inordinatumque viderent, ſed ridicula ſuperſtitionis opera, atque effectus, verba, motus, præſtigiæ incantationes, circumſitationes, tympanorum pulſationes, luſtrationes impuræ, ſordidæ caſtimoniæ, & injuſta in Templis ſupplicia, ac contumeliæ occaſionem exhibuerunt nonnullis dicendi, præſtare nullos eſſe Deos,

(a) *Epiſt. 7.*

Deos, quam qui talia probent, iiſque delectentur. Idem Plutarchus libello de Iſide & Oſiride ſic ait: Nonnulli a recto itinere aberrantes plane in ſuperſtitionem inciderunt: alii velut paludem fugiendo ſuperſtitionem, imprudentes in præcipitium quaſi quoddam, in impietatem inciderunt. Hactenus Plutarchus. Lucretius Epicuri aſſecla ſive Patronus hanc veritatem confirmat, ubi apud Tullium ſic (*a*) canit:

Tantum religio potuit ſuadere malorum.
Religio peperit ſceleroſa atque impia facta.

Hac eadem de cauſſa ortum habuit apud Sinenſes, & Japponenſes impietas, ut capite ſexto libri primi docuimus, & indicavimus quoque tempus, ac a quibus impietas invecta ſit. Ceterum quis eſt, qui omnes ſeductoris Spiritus fallacias valeat enarrare, quum ille ſit, qui ſemper perſpicaciſſima mente, æque ac perverſa voluntate malum machinatur, artificioſe ſuggerit, argute loquitur, callide decipit miſeros mortales. Ethnicorum quoque Philoſophi vel decepti, vel decipientes, ſive cedentes vanitati errorique populorum, aliis Philoſophis viam impietatis aperuerunt. Horum autem defectionem injuſtam eſſe nemo non videt, ubi impietatis cauſſam ad veram religionem referre impii auderent. Oppoſita autem impiorum momenta adverſus omnem religionem in ſequentibus refellemus. Illud itaque cum ex idololatriæ hiſtoria, a me hactenus exhibita, tum ex maxima morum depravatione colligere libet, ſolius Divinæ omnipotentiæ opus fuiſſe, perpetuam ſervare apud omnes nationes perſuaſionem de celciſſimis principiis, & ſummis capitibus, quæ apud omnes viguiſſe & vigere in craſſioribus quoque idololatriæ tenebris, uberrime demonſtravimus; & ſubinde Divinæ omnipotentiæ aper-

(a) *Lib. 1. de Nat. Deor.*

Digitized by Google

apertiſſimum prodigium fuiſſe, tot diſſitas nationes a poteſtate Dæmonis liberare, veræque Religionis, honeſtatis & juſtitiæ jura reſtaurare; quum certe id nulla humana ratio, aut vis præſtare potuiſſet, iniqua repugnante conſuetudine, ac mala concupiſcentia nobiſcum nata & contra nitentibus ſæculi Principibus, Gentium Sacerdotibus & Philoſophis, ut factum fuit in promulgatione Evangelii: quæ quidem veritas, luce meridiana clarior, ex utraque hiſtoria, hoc eſt populi Dei & Gentium apertiſſime elucet; quoniam ex ſilva frementium beſtiarum factus eſt populus Dei; ſpiritali enim ædificatione per gratiam Dei ſublimata eſt univerſalis Jeſu Chriſti Eccleſia, per totum orbem diffuſa; populique teterrimis, ut vidimus, ulceribus vitiati, ſedenteſque in tenebris, & umbra mortis, gratia Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti ſanati, & ſanctificati, Templum Spiritus Sancti facti ſunt, nullis præcedentibus meritis, immo mala conſuetudine obſiſtente; propterea Gentium converſio ad verum Dei cultum omnipotentis Divinæ bonitatis opus evidentiſſime apparet.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Excutiuntur quorumdam Philoſophorum rationes Divinam Providentiam negantium, aut calumniantium.

INter eos, qui in hoc Hemiſphærio impietatis fores aperuerunt, recenſentur Democritus, Epicurus, Theodorus Cyrenæus, Euhemerus, aliique a nobis capite ſexto libri primi memorati, qui omnem religionem ex animis averuncare conati ſunt. „ Hi porro, ut inquit (*a*) Tullius, non modo ſuperſtitionem tollunt, in qua ineſt „ timor inanis Deorum, ſed etiam omnem religionem. Impietas ad Sinas uſque pervenit, Loachuni primum, deinde Confucii opera; & ad Japponios demum a quodam nomine Sciuto perlata. Eliminatam ab orbe noſtro impietatem, a Philophis olim invectam, proxime elapſo ſæculo reduxit Spinoza. Fuerunt autem alii Philoſophi, qui, non omni quidem religione ſublata, Divinam Providentiam inficiati, otiari Deum circa res humanas impie putaverunt; ut ex Anaxagoræ, & Platonis ſententia, quæ, referente (*b*) Plutarcho, ſic habet: „ Beatum in„ terituſque expers animal, bonis perfecte cumulatum, „ neque ullius capax mali, totum in ſua beatitate, atque „ perpetuitate occupatum, non convertit ſe ad curam re„ rum humanarum; miſer quippe fuerit Deus, ſi Opifi„ cis, aut fabri in morem onera ſubeat, ſoliciuſque ſit „ de mundo apparando. Si Deus eſt, & ejus curis res „ humanæ temperantur, qui fit, ut malis bene ſit, & bonis male? Quoniam vero præcipua noſtri ſyſtematis vis in

(a) *Lib. 1. de N. D.* (b) *De placitis Philoſoph.*

Digitized by Google

in eo conſiſtit, ut tamquam primum & verum admittatur, quod omnium Gentium conſenſione creditum eſt, quodque peremtorium argumentum eſt; quum autem, ut in contextu totius operis uberrime demonſtravimus, omnes nationes firmiter credant, eſſe unum ſummum Deum, Univerſi conditorem moderatoremque, qui cuncta nutu ſuo regat, quem vocant quoque hominum Patrem atque Deorum, bonorum omnium datorem, legum latorem ac vindicem, præſertim in vita futura; hinc preces fundunt, & in his omnibus ineſt Divini cultus apud omnes Gentes primigenia ratio. Præterea impii ipſi Philoſophi præſtantiſſimam dicunt Dei eſſe Naturam, quæ quidem talis non eſſet, fortitudine, bonitate, ac providentia ſublata; tollitur enim id, quod maxime proprium eſt optimæ præſtantiſſimæque naturæ; nihil enim eſt melius bonitate, beneficentia, & juſtitia: locupletior igitur eſſet humana natura, in qua elucet bonitatis, beneficentiæ, providentiæ, & juſtitiæ forma; quum autem Ethnicorum quoque Philoſophi fateantur, ut capite quarto libri ſecundi exhibuimus, animam humanam eſſe parvam Dei imaginem, fateri quoque neceſſe eſt, eadem attributa, & quidem perfectiſſima in Deo eſſe. Quum autem agatur de re maximi momenti hoc loco addituri ſumus alias etiam rationes, quibus radicitus evellantur omnes fibræ dubitationis, quas in improvidorum animis ſpecioſa adverſariorum argumenta defixerant.

Propius itaque ad rem accedendo, duo potiſſimum ſunt oppoſita momenta, malum ſcilicet morale, & malum phyſicum. Exordiar a malo morali, hoc eſt peccato, quod procedit ex libero arbitrio, cœleſtibus Spiritibus & homini a Deo conceſſo. Cum dixit Deus: fiat lux, & facta eſt lux; ſi recte in hac luce creatio intelli-

Digitized by Google

gitur Angelorum, profecto facti ſunt participes lucis æternæ, quæ eſt ipſa incommutabilis ſapientia Dei, per quam facta ſunt omnia. Ipſe enim Deus eſt, qui in principio condidit mundum, plenum bonis omnibus viſibilibus, atque intelligibilibus rebus, in quo nihil melius inſtituit quam Spiritus, quibus intelligentiam dedit, & ſuæ contemplationis habiles, capaceſque ſui præſtitit, atque una ſocietate devinxit; & beati ſint ſuo cohærendo auctori, qui liberum arbitrium eidem intellectuali naturæ tribuit tale, ut ſi vellet deſereret Deum, beatitudinem ſcilicet ſuam, continuo miſeria ſecutura. Quum autem præſciret Deus Angelos quoſdam per elationem tanti boni deſertores futuros, non eis ademit hanc poteſtatem. Homini quoque liberum arbitrium ab initio tribuit, & reliquit illum in manu conſilii ſui: „ ante hominem, ut (a) ſcriptum eſt, vita & „ mors, bonum & malum: quod placuerit ei dabitur illi. Propterea reponunt adverſarii: Si præſcierat Deus, quoſdam Angelos, & primum hominem, multoſque ex ejus poſteris peccaturos, in prævisione illa ac præſcientia peccati haud tribuendam fuiſſe libertatem: aut non permittendum ut tentatione ſolicitarentur. At nemo non videt, liberum arbitrium eſſe inæſtimabilem gemmam, in aurea mente divinitus colligatam, quæ intellectualem creaturam efficit magis ſimilem Deo, qui eſt ipſa libertas. Præterea ſublato libero arbitrio, ſive practica eligendi libertate, omne meritum e medio tollitur; mentem enim, neceſſitate agentem, velut artificioſam ſtatuam intelliges: liberum arbitrium igitur illud eſt, quod excelſam reddit intellectualem naturam. Peccatores autem & Angeli, & homines nihil agunt, quo impediantur magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus. Quoniam qui

(a) *Eccl. cap.* 15.

qui præcinxit nos virtute, quique providenter atque omnipotenter ſua cuique diſtribuit, non ſolum bonis, verum etiam malis bene uti novit. Ac per hoc, inquit (a) Auguſtinus, propter meritum malæ voluntatis ita damnato atque obdurato Angelo malo, ut jam bonam voluntatem ulterius non haberet, bene utens Deus, cur non permitteret, ut ab illo primus homo, qui rectus, hoc eſt bonæ voluntatis creatus fuerat, tentaretur? Quandoquidem ſic erat inſtitutus, ut ſi de adjutorio Dei fideret bonus homo, malum Angelum vinceret, ſi autem Creatorem atque adjutorem Deum, ſuperbe ſibi placendo deſereret, vinceretur: meritum bonum habens in adjuta Divinitus voluntate recta, malum vero in deſerente Deum voluntate perverſa. Quia & ipſum fidere de adjutorio Dei, non quidem poſſet ſine adjutorio Dei; nec tamen ideo ab his Divinæ gratiæ beneficiis ſibi placendo recedere non haberet in poteſtate? Nam ſicut in hac vita vivere ſine adjumentis alimentorum in poteſtate non eſt; quod faciunt, qui ſe ipſos necant: ita bene vivere ſine adjutorio Dei, etiam in Paradiſo non erat in poteſtate; erat autem in poteſtate male vivere, ſed beatitudine non permanſura, & pœna juſtiſſima ſecutura. Cum igitur hujus futuri caſus humani Deus non eſſet ignarus, cur eum non ſineret invidi Angeli malignitate tentari? Nullo modo quidem quod vinceretur incertus; ſed nihilo minus præſcius, quod ab ejus ſemine adjuto ſua gratia idem ipſe Diabolus fuerat Sanctorum gloria majore vincendus. Ita factum eſt, ut nec Deum aliquid futurorum lateret, nec præſciendo quemquam peccare compelleret; & quid intereſſet inter propriam cujuſque præſumtionem & ſuam tuitionem, Angelicæ & humanæ rationali creaturæ, conſequen-

(a) *Lib. 14. cap. 27. de C. D.*

ſequenti experientia demonſtraret. Quis enim audeat credere, aut dicere, ut neque Angelus, neque homo caderet, in Dei poteſtate non fuiſſe? Sed hoc eorum poteſtati maluit non auferre; atque ita & quantum mali eorum ſuperbia, & quantum boni ſua gratia valeret, oſtenderet. Ordo itaque Divinæ Providentiæ eſt, ut id quod eſt in homine præcipuum & excellens, hoc imperet ceteris, quæ ſunt nobis, beſtiiſque communia: atque id ipſum quod excellit in homine, ideſt mens & ratio, ſubjiciatur potiori, hoc eſt Deo, qui eſt ipſa veritas, ſapientia, & virtus. Hactenus Auguſtinus.

Neque defuere Ethnici Philoſophi, qui hunc Divinæ Providentiæ ordinem agnoverunt, & fere eadem tradiderunt. Chryſippus apud Plutarchum, de Stoic. Repub. ſic inquit: „ Nulla ratione dici poſſe, Deum ulla „ ex parte turpitudinis cauſſam eſſe; ſicut enim lex de„ linquendi cauſſa nullo modo dici conſentanee poſſit; „ ita rationi convenire, Deos etiam nulla ex parte cauſ„ ſam turpitudinis. In regendis enim rebus humanis Angelorum miniſterio, ut ſacrarum ſcripturarum apertiſſime monumenta teſtantur, plerumque utitur Deus. Illi enim Dei mandata audiunt, non corporis aure, ſed mentis, miniſtri ejus & Nuntii, qui ejus veritate incommutabili perfruuntur, immortaliter beati; & quod faciendum modis ineffabilibus audiunt, & uſque in iſta viſibilia & ſenſibilia perducendum, incunctanter atque indifficulter efficiunt. Alibi luculenter in hoc ipſo opere oſtenſum eſt, immortales Gentium Deos, a Chriſtianis Sanctos Angelos nuncupatos, eoſdem eſſe, quos Ethnici dicunt humani generis curam gerere. Propterea de hoc ordine Divinæ Providentiæ inquit (a) Tullius: „ Dominos eſſe omnium re-

„ rum,

(a) *Lib. 2. de legib.*

„ rum, ac moderatores Deos: eaque quæ geruntur, „ eorum geri vi, ditione, & Numine, eoſque de genere hominum mereri, & qualis quiſque ſit, quid agat, „ quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate religiones „ colat, intueri, piorumque & impiorum habere rationem. De Providentia autem Divina Socrates libro ſecundo de Repub. apud Platonem ſic diſſerit: „ Nonne bonus & ipſe Deus eſt? atqui nullum bonum noxium „ eſt. Quod innoxium eſt nunquid nocet? Quod non „ nocet nunquid malum facit? Quod autem nihil mali „ facit nullius mali eſt cauſſa. Malorum autem quamlibet aliam præter Deum cauſſam quærere decet. Hanc autem cauſſam libro decimo Plato demonſtrat: „ Virtus, inquit, eſt inviolabilis & libera. Quam prout honorabit quis, aut negliget, ita plus aut minus ex ea „ poſſidebit: eligentis quidem culpa eſt omnis; Deus autem extra culpam. De primis hominibus idem Plato (*a*) inquit: „ Deus ipſe illorum Paſtor & cuſtos dictus, quemadmodum homines nunc brutorum paſtores ſunt. Seneca (*b*) vocat bonos viros, Dei diſcipulos, quos Parens ille magnificus, virtutum non levis exactor, ſicut ſeveri Patres, durius educat — At Deus ubique præſto eſt, & omnibus; qui & mundo præſidet, & univerſa vi ſua temperat, humanique generis tutelam gerit — Neque enim neceſſitatibus tantummodo noſtris proviſum eſt, ſed uſque ad delicias amamur. Tot arbuſta non uno modo frugifera, tot herbæ ſalutares, tot varietates ciborum per totum annum digeſtæ, ut inerti quoque fortuita terræ alimenta præberent. Jam animalia omnis generis, alia in ſicco ſolidoque, alia in humido innaſcentia, alia per ſublime demiſſa, ut omnis rerum naturæ pars tributum aliquod

(a) *Polit. pag.* 175. (b) *Lib. de Provid. cap.* 1.

quod nobis conferret. Hactenus Seneca. Ad Dei Providentiam quoque reſpiciens Tullius (*a*) inquit: „ Hæc „ enim pure & caſte tribuenda Deorum Numini ſunt. Hinc Ethnici ipſi ne ulla quidem mali ſuſpicione Deum optimum maximum vel leviſſime onerarunt.

Altera adverſariorum querela eſt adverſus malum phyſicum. In hoc quidem orbe ſublunari tot ſunt viciſſitudines, tot varii, immo & oppoſiti naturæ impetus, qui ex adverſo ſe invicem petunt; hinc aeris intemperies, agrorum vaſtationes, terræ motus, turbines, procellæ, aliaque mala, quæ perpetuo hunc terraqueum orbem agitant; propterea aſſiduus moleſtiarum concurſus glomeratur in unum neceſſarium malum, quod in natura ipſa videtur & exſiſtit. In homine ipſo perpetua malorum ſeries eſt, ut alia ex aliis naſcantur; in morbis enim, doloribus, ærumniſque miſeri morales degunt, perque varia ac multiplicia curarum genera homo ætatem traducit, nullo ut tempore quieſcere datum ſit; & quotquot ſunt malæ affectiones, tot motibus agitatur infelix homo. Ad elidenda itaque oppoſita momenta, ſupervacaneum cenſeo referre rationes, quas Phyſicæ facultatis Profeſſores in medium proferre ſolent, ut adverſariorum nodos recidant. Poſthabitis igitur argumentis Philoſophorum, maxime eorum, quibus omnia libet per ludricam imaginem in quæſtionem vocare, meo propoſito principio innixius, hac quoque de re Hiſtoriam univerſalem cum ratiocinatione conjunctam elegi, quæ cum factis conſenſione omnium nationum ſacratis, evidentem neceſſitudinem habent. Profecto nodus iſte peremtorie ſolvitur ex iis, quæ capite tertio libri ſecundi, a nobis allata ſunt de duplici primorum Parentum ſtatu. Uberrime enim tradidimus, omnium Gentium teſtimo-

(*a*) *Lib. 1. de N. D.*

ſtimonio, de feliciſſimo Protoplaſtorum ſtatu, quibus extra omnem adverſæ fortunæ jactum degere licuerat; eorumque felicitas ad eorum poſteros tranſiiſſet, innocentia cuſtodita. Porro ante lapſum vita fuit facilis, & ex omni parte beata; eadem enim erat jucunda naturæ facies: eadem temporum placida temperies: terra uberrimos fructus ſponte dabat: non morbi, metus nulli, moleſtia nulla; hinc primi homines in terreſtri Paradiſo collocati ſumma degebant pace; propterea ob præſtantiam illius ætatis Gentes indidere aureæ cognomen; aureumque ſæculum nuncupatur. Quum igitur in amœniſſimo illo jucunditatis loco nihil eſſet, quod perfectiſſimæ hominis felicitati adverſaretur, primo Parente in crimen delapſo, juſta Dei pœna, omnia a Deo repente mutata ſunt, quæque ad humanam felicitatem creata fuerant, juſto Dei judicio in perniciem converſa. Hinc innumera malorum genera de quibus injuſte adverſarii queruntur. Omnes enim fuimus in illo uno, quando omnes fuimus ille unus. Nondum erat nobis ſingillatim creata & diſtributa forma, in qua ſinguli viverimus, ſed jam erat natura ſeminalis, ex qua vitiata propagaremur. Quamvis enim poſteri nondum agerent vitam, tamen quidquid erat in futura propagine, vita unius hominis continebat. Quæ mala omnino nulla eſſent, niſi natura mutabilis, quamvis bona & a ſummo Deo atque incommutabili bono, qui bona condidit, inſtituta, peccando ea ſibi ipſa feciſſet. Quo etiam peccato ſuo teſte convincitur, bonam conditam ſe eſſe naturam. Niſi enim magnum & ipſa, licet non æquale conditori, bonum eſſet, profecto deſertio Dei tamquam luminis ſui malum ejus eſſe non poſſet. Nam cæcitas oculi vitium eſt, & idem ipſum indicat ad lumen videndum oculum eſſe creatum, ac per hoc etiam vitio ſuo excellentius oſtenditur

ditur ceteris membris membrum capax luminis (non enim alia cauſſa eſſet vitium carere lumine) ita natura quæ fruebatur Deo, aliiſque multis bonis, optimam ſe inſtitutam docet etiam ipſo vitio ſuo, quo miſera facta eſt, juſtiſſima pœna voluntarii peccati. Verum omnipotentis Dei Providentia factum eſt, ut id quod juſtum ſuplicium fuit, in humani generis remedium verteretur. Promta enim pœna primo homini poſt lapſum a Deo inflicta, quæque ab omnibus, ejus poſteris ſentitur, juſtos ad ſervandam innocentiam invitat, & peccatores ad pœnitentiam provocat; caſus enim primorum Parentum terrorem judiciorum Dei in omnium animis defixit.

Præterea tot mala ac viciſſitudines, quæ præſentem vitam comitantur, aſſidue nos admonent, eſſe unum aliquid quo tendamus, hoc eſt aliam vitam hac meliorem, hoſpiteſque, & peregrinos nos eſſe in hoc ſæculo. Profecto, capite quarto libri ſecundi & tertii luculenter demonſtravimus hanc eſſe omnium Gentium firmiſſimam perſuaſionem, ſcilicet de immortalitate humanæ animæ, de extremo judicio, præmiis pœniſve in vita futura; immo de animarum juſtorum in Angelicam formam mutatione: & hæc omnia, univerſe ſumta, in fide irrefragabili Divinæ promiſſionis exſpectantur. Propterea vita hominis ſuper terram militia appellatur, ubi oportet exerere vires, fortiter dimicare, atrociterque in prœlio iſto concertare. Unde delicatus es miles, ſi putas te poſſe ſine pugna vincere, ſine victoria triumphare. Quis autem, inquit (*a*) Seneca, vir modo, & erectus ad honeſta, non eſt laboris appetens juſti, & ad officia cum periculo promtus? cui non induſtrioſo otium pœna eſt? Athletas videmus, quibus virium cura eſt, cum fortiſſimis qui-

(*a*) *Lib. 1. de Provid. cap. 1.*

Digitized by Google

quibuſque confligere, & exigere ab his, per quos certamini præparantur, ut totis contra ipſos viribus utantur: cædi ſe vexarique patiuntur: & ſi non invenerint ſingulos pares, pluribus ſimul objiciuntur. Marcet ſine adverſario virtus: tunc apparet quanta ſit, quantum valeat, polleatque, cum quid poſſit patientia oſtendit — Idem tibi de Deo liqueat: Bonum Virum in deliciis non habet, experitur, indurat, ſibi illum præparat — Non vides, quanto aliter Patres, aliter matres indulgeant? Illi exercitari jubent liberos, ad ſtudia obeunda mature, feriatis quoque diebus non patiuntur eſſe otioſos, & ſudorem illis, & interdum lacrymas excutiunt: at matres fovere in ſinu, continere in umbra volunt: nunquam flere, nunquam triſtari, nunquam laborare. Patrium habet Deus adverſus bonos Viros animum, & illos fortiter amat — Si tamen miraris hoc pro aliquo eſſe, miraberis quoſdam ferro & igne curari, nec minus fame ac ſiti — Sed ſi cogitaveris tecum remedii cauſſa quibuſdam & radi oſſa & legi & extrahi venas, & quædam amputari membra, quæ ſine totius pernicie corporis hærere non poterant: hoc quoque patieris probari tibi quædam incommoda pro his eſſe, quibus accidunt — Quid quiſque poſſet, niſi tentando non didicit — Ipſis Deus conſulit quos eſſe quam honeſtiſſimos cupit — Calamitas virtutis occaſio eſt. Hos itaque Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoſcit, exercet. Quid mirum ſi dure generoſos ſpiritus Deus tentat. Hactenus Seneca. Auguſtinus autem propius Divinæ Providentiæ arcanum reſerat. Nam, (*a*) inquit, bonus nec temporalibus bonis extollitur, nec malis frangitur: malus autem hujuſcemodi infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur. Oſtendit autem Deus ſæpe in his diſtribuendis

(a) *Lib. 1. cap. 8. de C. D.*

evidentius operationem ſuam. Nam ſi nunc omne peccatum manifeſta plecteret pœna, nihil ultimo judicio ſervari putaretur: rurſus ſi nullum peccatum nunc puniret aperte divinitus, nulla eſſe Divina Providentia crederetur. Similiter in rebus ſecundis, ſi non eas Deus quibuſdam petentibus evidentiſſima largitate concederet, non ad eum iſta pertinere diceremus: itemque ſi omnibus ea petentibus daret, non niſi propter talia præmia ſerviendum illi eſſe arbitraremur; nec pios nos faceret talis ſervitus, ſed potius cupidos & avaros. Hæc cum ita ſint, quicumque boni & mali pariter afflicti ſunt, non ideo ipſi diſtincti non ſunt, quia diſtinctum non eſt, quod utrique perpeſſi ſunt. Manet enim diſſimilitudo paſſorum etiam in ſimilitudine paſſionum, & licet ſub eodem tormento, non eſt idem virtus & vitium. Nam ſicut ſub uno igne aurum rutilat, palea fumat; & ſub eadem tribula ſtipulæ comminuuntur, frumenta purgantur; nec ideo cum oleo amurica confunditur, quia eodem preli pondere premitur; ita ut una eademque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat; malos damnat, vaſtat, exterminat. Unde in eadem afflictione mali Deum deteſtantur, atque blaſphemant; boni autem precantur, & laudant. Tantum intereſt, non qualia, ſed qualis quiſque patiatur. Nam pari motu exagitatum & exhalat horribiliter cœnum, & ſuaviter fragrat unguentum — Temporalia item bona & mala utriſque voluit Deus eſſe communia, ut nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter evitentur, quibus & boni plerique afficiuntur. Graves quidem eſſe perſecutorum, & malorum hominum moleſtias; ſed quia juſtis utiles ſunt, non judicat Deus amovendas; virtus enim per mala & probatur & conſtat. Sic itaque concludit magnus Auguſtinus: Quod ſi bonus eſt

qui

qui patitur, in bonum denique deſinit quod patitur. Apoſtolus autem ad mala præſentis vitæ reſpiciens, (*a*) inquit: „ Quod in præſenti eſt momentaneum, & leve „ tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æter„ num gloriæ pondus operatur in nobis. Quapropter poſt mortem juſti in cœleſtem Patriam translati lætantes canunt: Vidimus mala. De vita futura, & extremo judicio verba faciens Plato in Phædone, ſic ait: „ Qui opera „ mala fecerunt, & ſe ipſos tradiderunt ad exitium, tan„ quam ex navi aliqua ſe ſua ſponte in mare projicientes, „ condigna ſupplicia in altera vita ſubierunt. Neque Deus patitur, ut mala phyſica bonis noceant. „ Inter bonos vi„ ros, ac Deum, inquit Seneca loco ſupra citato, ami„ citia eſt, conciliante virtute. Ex hactenus dictis liquido apparet ordo Divinæ Providentiæ, & qua de cauſa in vita præſenti Deus ſinat tot tantiſque malis bonos, maloſque homines affligi. Figmento non licet dicere ei qui ſe finxit, quare me finxiſti ſic? In præſenti quidem ſæculo non eſt quies bonis maliſve; hoc tamen ipſo oſtenditur, natura ipſa monente, nos tendere alio, ubi bonis viris ſolida quies parata ſit. Ut hanc aſſequamur „ ubique, „ inquit Seneca loco citato, Deus præſto eſt, & omni„ bus; qui & mundo præſidet, & univerſa vi ſua tempe„ rat, humanique generis tutelam gerit. Hinc Tullius, ad impium illud Epicuri dictum, ſomniantis negligentem noſtri Deum eſſe, eumque a mundo averſum aliud agere: aut, quæ maxima Epicuri felicitas videtur, nihil agere „ ex quo, inquit (*b*) Tullius, omnes nationes fa„ tuitatis eſſent arguendæ dum aſſidue averſum a genere „ humano Deum precarentur, a quo nihil ſperandum fo„ ret. Profecto quamquam humanæ imbecillitati incom-

(a) 2. *ad Corinth. cap.* 4. (b) *Lib.* 3. *de N. D.*

Digitized by Google

prehenſibilia ſint judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus; ex his tamen quæ Deus ipſe ab initio hominibus revelavit, conſilium Providentiæ Dei homines non latet, quod & rationi conſonum videtur, ut apparet ex ipſa Ethnicorum Theologia, de qua habitus eſt & erit ſermo.

Nemo itaque non videt, eos de ordine Divinæ Providentiæ reconditiſque Dei judiciis perperam ſentire, qui queruntur de malis, quæ in hac vita bonis Viris contingunt; ad ea autem quæ hactenus dicta ſunt, alia addere libet, & ab illis petere, quoſnam putent Viros eſſe bonos, ac tantæ integritatis, ut nihil omnino commiſerint, quod Deo diſpliceat? Profecto ſolus Deus eſt cordium ſcrutator; hinc ſolus verus actionum æſtimator. Propterea ii qui hominibus probi, & juſti videntur, fortaſſe propter occulta peccata apud Deum juſti haud erunt. Capite tertio libri primi monuimus, præſtantiſſimos Ethnicorum Philoſophos deficere in veræ juſtitiæ inquiſitione; eorumque errores de finibus bonorum & malorum perſecuti ſumus; hoc autem loco meminiſſe ſufficiat, eſſe homini mortali tot malis concupiſcentiis illecto perdificile immaculatum ſe cuſtodire; propterea quotidie ad Deum clamamus: Dimitte nobis debita noſtra; qui & dimittit, ſi corde contrito id petimus. Verum in retundendis hiſce in Deum, ejuſque Providentiam contortis telis, ne Ethnicis quidem ſua argumenta, rationeſque evidentes defuere. „ Hominum malitia, inquit (a) „ Plutarchus, ſæpe deliteſcit: humanum ingenium in „ mores, opiniones, legeſque ſe conjiciens ſæpe numero „ vitiis occultatis bona imitatur. At vero Deus non ignorat cujuſque ingenium, & naturam, ut qui animam „ ſuapte natura magis quam corpus ſentiat: Eoque notans „ eorum

(a) *Lib. de his qui ſero a Numine puniunt.*

„ eorum levitatem atque imprudentiam, qui externis tan„ tum intenti nihil a pueris diſtant. Plato ipſe haud ſibi conſtans Divinam Providentiam faſſus eſt. Nam de hominibus verba faciens, ſic (a) inquit: „ Deus ipſe „ hominum Paſtor & Cuſtos dictus. In Phædone quoque idem Plato dicit Deum legumlatorem & vindicem; itemque librum ſcripſit de animorum immortalitate, de extremo judicio, præmiis pœniſve in altera vita, ex quibus omnibus ordo Divinæ Providentiæ componitur.

Iiſdemque adductis rationibus refellitur, quod libro primo Hiſtoriarum ſcribit Tacitus: „ Non eſſe curæ Diis „ noſtram ſecuritatem, eſſe ultionem. Porro omnia, quæ fiunt, quæque fortuita videntur, ſummi Numinis legibus ac ratione reguntur; & addere ſufficiat, quod libro ſupra citato de Providentia, ſcribit Seneca: Supervacuum eſt, inquit, in præſentia oſtendere, non ſine aliquo Cuſtode tantum opus ſtare, nec hunc ſiderum certum diſcurſum fortuiti impetus eſſe, & quæ caſus incitat, ſæpe turbari, & cito arietare: hanc inoffenſam velocitatem procedere æternæ legis imperio, tantum rerum terra marique geſtantem, tantum & clariſſimorum luminum, & ex diſpoſitione lucentium, non eſſe materiæ errantis hunc ordinem, neque quæ temere cojerunt, tanta arte pendere — Ne illa quidem quæ videntur confuſa & incerta, pluvias dico, nubeſque, & eliſorum fluminum ictus, & incendia ruptis montium verticibus effuſa, tremores labantis ſolis, & alia, quæ tumultuoſa pars rerum circa terras movet, ſine ratione, quamvis ſubita ſint, accidunt, ſed ſuas & illa cauſſas habent non minus, quam, quæ alienis locis conſpecta miraculo ſunt. Hactenus Seneca. Hinc univerſæ nationes omnem proſperitatem a Deo ſe habere fatentur,

(a) *Polit. pag.* 175.

Digitized by Google

ſatentur, qui cuncta vi ſua temperat, humanique generis tutelam gerit. Hoc ipſo corruit impia Plinii ſententia (a) dicentis: „ Irridendum, agere curam rerum huma-„ narum iſtud, quicquid eſt, ſummum: anne tam triſti, „ atque multiplici miniſterio non pollui credamus, dubi-„ temuſve. Fortaſſe, inquam ego, incorruptos magiſtratus, juſtoſque Principes pollui credemus, leges condendo humanæ ſocietati probe accomodatas, delinquentes puniendo, populorumque curam gerendo? Profecto ſicut delinquendi cauſſa ad legumlatorem referri non poteſt, & delinquentis culpa ſit omnis, ita rationi conſonum eſt, Deum nullo modo pollui poſſe turpitudine delinquentium. Irridendus quidem eſt ille, qui arbitratur, Deum omnium Creatorem & Dominum non debuiſſe hominum curam gerere, quum futuri eſſent deſertores & peccatores: pollutus profecto eſt impietate, qui credit, dubitatve, Deum pollui poſſe hominum turpitudine.

Mirum quoque videtur Anaxagoram, & Platonem, Viros ingenio, & doctrina præſtantiſſimos potuiſſe de Deo tam abſurda tradere dicendo, miſerum fore Deum, ſi opificis in morem onera ſubeat, ſolicituſque ſit de mundo apparando. Oſtendimus capite ſecundo libri ſuperioris antiquiſſimorum Philoſophorum communem ſententiam fuiſſe de Deo Mundi Conditore, omniumque cauſſarum præſtantiſſima; eademque perſuaſio reperta eſt apud omnes nationes; ſed & Epicurus ipſe faſſus eſt, præſtantiſſimam eſſe Dei naturam. Anaxagoras autem de mundi exordio verba faciens inquit: „ omnia ſimul erant, inde acce-„ dens mens, ea in ordinem reduxit. Plato in Timæo ait: „ Deum, cum mundum condere vellet, propoſuiſ-„ ſe, ut optimum opus, & bonitatis ſuæ particeps conde-„ ret.

(a) *Hiſtor. lib. 7.*

Digitized by Google

„ ret. Et libro tertio de legibus idem Plato fatetur „ Deum „ dediſſe leges hominibus; & eſſe ultorem adverſus præ- „ varicatores. Idem Plato, in crat. ſub finem, ad legum Divinarum humano generi latarum tranſgreſſionem, terreſtris Paradiſi ejectionem, omnemque, qua homo conflictatur, calamitatem refert. Alia quoque Ethnicorum Philoſophorum conſtans ſententia fuit, Deum dum vult, agere. Propterea appoſite Tullius (*a*) inquit: „ Nihil eſt, „ quod Deus efficere non poſſit, & quidem ſine labore „ ullo. Profecto ut Deus omnium cauſſarum præſtantiſſima dici poſſit, virtus & fortitudo in Deo talis eſſe debet, ut nihil in eo ad perfectionem deſideretur; hinc nemo non videt, abſurdiſſimum eſſe, Dei virtutem, & fortitudinem, a reliquarum ſpecie diſſimilimam, ad exilis humanæ facultatis normam metiri. Verum ipſi Ethnicorum Philoſophi, ut capite primo libri ſecundi exhibuimus, inquirentes modum agendi cœleſtium Spirituum, quos Deos immortales vocant, in eam ſententiam abierunt, illos Spiritus, dum intelligunt & volunt, agere. Quanto igitur excellentius modus iſte agendi in prima Cauſſa concipi debet, quæ juxta communem notionem & rectam rationem definitur, eſſe aggregatum omnium perfectionum, ita ut nihil omnino addi queat. Idcirco quam injuſtum & impium ſit dicere, otiari Deum, aperte vides.

Studioſe modo inquirendum eſt de malorum hominum felicitate, quos dicunt adverſarii, conſtanti proſperitate frui potioribus hujus vitæ bonis. Errant quidem putantes, ad ſolidam felicitatem, cujus propria in animo ſedes eſt, ex ſceleribus unquam aliquos perveniſſe. Perſonata eſt illa felicitas, qua homines mali in hac vita potiuntur;

(a) *Lib.* 1. *de N. D.*

tiuntur; ſi enim diligenter eam inſpexeris, larvamque, quam præſefert, detraxeris, in iis quæ videntur bona, plurimum mali invenies, & agnoſces, ea eſſe ſuppliciorum futuri ſæculi initia. Nam utcumque bonis temporalibus mali homines affluant, intus miſerrimi ſunt, quia maleſactorum conſcientia torquet. Videntur tranquillitatem habere, & bonis hujus vitæ æquo animo frui; ſed non eſt felicitas, non eſt tranquillitas, ubi animus exagitatur obnoxiæ ſtimulis conſcientiæ. Profecto mirabile Divinæ Providentiæ opificium eſt in homine conſcientia, cui non licet fidem negare: hæc intus accuſat, teſtis eſt, judex ſontes condemnat, furialibus ſpectris terret, ultrix agitat, carnifex exanimat, ſemperque ſæva noxium animum perturbat. Unuſquiſque hujus veritatis in ſemetipſo teſtimonium irrefragabile habet, & Gentium Philoſophi eadem fære de conſcientia tradiderunt. Socrates, in ſui Apologia apud Platonem „ conſcientiam appellat vocem brevem, „ quæ ad cor loquitur, monet, ſontes accuſat & damnat. Plutarchus in Commentario de his qui ſero a Numine puniuntur addit: „ Conſcientiam ipſam ſubire ſupplicii „ vicem: ſic malitia ſecum gignens id quod animum mor- „ det atque vexat, non ſubſequentem, ſed in ipſo male- „ facto præſentem pœnam habet. Et quemadmodum ma- „ lefici, cum ad ſupplicium educuntur, quiſque ſuam ef- „ fert crucem: ſic vitioſitas ad ſingula peccata ex ſeſe fa- „ bricatur ſingula tormenta: ſolertiſſima opifex vitæ mi- „ ſerabilis, & in qua præter turpitudinem, terrores multi, „ animique motus graves, pœnitentia, tumultuſque conti- „ nentes inſint. „ Hæc ſunt, inquit Tullius oratione pro „ Roſcio, aſſiduæ domeſticæque furiæ. Seneca (*a*) ad- „ dit: „ Mala conſcientia etiam in ſolitudine noxia atque „ ſolli-

(a) *Epiſt.* 40.

„ ſolicita eſt. Mali enim homines primas pœnas luunt angore conſcientiæ, fraudiſque cruciatu, ſuum quemque ſcelus agitat, & ſua malitia animum terrore vexat. Tiberius culmine Imperii, & militari gloria rutilans, ceteriſque omnibus hujus ſæculi bonis affluens, laniatus terroreſque ſuæ reæ conſcientiæ pandit. Tiberii ad Senatum Tacitus litteras referens, his verbis (*a*) ille exorſus eſt: Quid ſcribam vobis P. C., aut quomodo ſcribam, aut quod omnino non ſcribam hoc tempore, Dii me, Deæque pejus perdunt, quam perire quotidie ſentio, ſi ſcio: adeo facinora atque flagitia ſua ipſi quoque in ſupplicium verterant. Neque præſtantiſſimus fruſtra ſapientiæ firmare ſolitus eſt, ſi recludantur Tyrannorum mentes, poſſe aſpici laniatus & ictus, quando, ut corpora verberibus, ita ſævitia, libidine, malis conſultis animus dilaceratur. Quippe Tiberium non fortuna, non ſolitudines protegebant, quia tormenta pectoris, ſuaſque ipſe pœnas fateretur. Hactenus egregie Tacitus confirmat meam ſententiam, detrahitque larvam, quam bona ſæculi hujus præſeferunt.

Ad alteram partem venio, qua Divinæ Providentiæ oſores quærunt, cur ſero improbi homines a Deo puniantur, quum ex adverſo pœnæ ſtatim ſceleribus impoſitæ, futurorum ſint inhibitiones facinorum. Moræ cauſſas affert Auguſtinus, qui ſic (*b*) inquit: Eorum quoque (æternis ſuppliciis deſtinatorum) malitia juſte utitur Deus, ut aliis mala ingerat temporalia. Nimis enim conſilium Dei in abdito eſt; quo etiam malis bene utitur ad profectum bonum, etiam in hoc mirificans omnipotentiam bonitatis ſuæ; quia ſicut illorum nequitia eſt, male uti operibus ejus; ſic illius ſapientiæ eſt, bene uti malis operibus eorum — Omnis enim malus, ſic concludit Auguſtinus,

(a) *Annal.* 6. (b) *Epiſt.* 59. & 70.

Digitized by Google

aut ideo vivit, ut corrigatur, aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur. Neque defuerunt Ethnicis Philoſophis rationes refellendi oppoſita momenta, inter quos elucet Plutarchus, qui egregie hocce impiorum argumentum elidit, ubi ſic (*a*) adverſus Epicurum diſſerit: Quid eſt ergo, inquam ego, quod ex iis quæ Epicurus dixit, potiſſimum vos moveat; multa enim confertim, nihil ordine protulit homo, & alia aliunde petita, ira quadam & maledicendi ſtudio, interim exagitatus, adverſus Providentiam effudit. Tum Patrocles, mihi inquit, vel maxime tarditas & cunctatio Numinis in pœna malis irroganda res videtur eſſe gravis atque atrox, & nunc oratione iſtius quaſi rudis factus ſum, quod ad opinionem hanc attinet, atque novicius. Jampridem cum indignatione audiebam iſthuc Euripidis: Oreſta cunctatur, hæc quoque eſt natura Numinis. Enimuero nullam ad rem, minime autem omnium adverſum malos decebat Deum eſſe ſegnem, non ſegnes eos, aut qui ſuæ maleficentiæ diem producat, ſed qui celerrimis impetibus ab animi adfectionibus ad flagitia incitentur. Thucydidis eſt ſententia ultionem maleficio quamproxime adjunctam ſtatim viam intercludere iis, qui quam plurimum malitia bonos habente ſucceſſus utuntur. Nullum enim aliud debitum perinde, atque dilatio juſtæ vindictæ, injuria affectorum ſpes enervat, animoſque eorum dejicit; contra improbos ferocia & audacia augens. Sed ſupplicia ſtatim facinoribus impoſita, etiam futurorum ſunt inhibitiones maleficiorum, illiſque maxima ineſt conſolatio, quæ paſſos injuria reficiat. Sicut enim pœna illico peccatum inſequens, ictus eſt & compunctio, quæ corrigat, atque ad officium redigat: ita malus, ſi quoties aliquid delinquit, vapulet pœnaque impoſita reprimatur,

(a) *In Comment. de his qui ſero a Num. puniunt.*

tur, ſaltem tandem ad mentem redibit, metuque Dei humiliter ſe dimittet, eum præſto humanis actionibus atque affectibus intelligens eſſe vindicem, non qui in aliud judicium rejiciat tempus. At juſtitia ea, quæ paulatim, & ut Euripidi viſum, tardo pede & utcumque malis ingruit ob incertitudinem ac dilationem & inordinatæ vindictæ rationem a caſu potius, quam a Providentia pendere videtur, cum hoc pacto & juſtitia reddatur obſcura, & malitiæ metus evaneſcat. Ita igitur inter alia huc ſpectantia arguit Plutarchus: Gravius enim eſt, quam de rebus muſicis imperitum muſices, aut de bellicis militiæ rudem verba facere, res Deorum & Geniorum velle perſpicere eum qui ſit homo, & tanquam artificis ſententiam artis ignarum opinionibus & probabilibus conjecturis inveſtigare. Nam cum perdifficile ſit homini plebejo conſilium medici deprehendere, quod ſecutus non ante ſed poſt ſectionem adhibuit, neque heri lavit ægrotum ſed hodie, certe de Deo non facile aliud quicquam firmum homo pronunciabit, quam eum, ut qui optime opportunum medendi flagitiis tempus habeat cogitum, medicamenti inſtar pœnam ſceleri cuivis imponere, neque eadem in omnibus magnitudinis menſura, neque eodem temporis articulo definitam: medicinam enim animæ, quæ juſtitia cognominatur, omnium artium eſſe maximam; præter ſexcentos alios etiam Pinardus teſtatur, Principem & Dominum omnium appellans Ariſtotechnam, ideſt artificium præſtantiſſimum: quippe juſtitiæ adminiſtratorem, qui jus habet definiendi, quando, quomodo, & quatenus quilibet malorum ſit puniendus. Quid ergo miremur, ubi humana ita difficulter a nobis intelliguntur, ſi non facile explicatu nobis eſt, quanam de cauſſa Dii peccantium aliis maturius, aliis ſerius ſupplicia imponant? Propterea Deus

Digitized by Google

malis interpoſita mora ac tarde pœnas infligit, non quod vereatur, ne accelerando ſupplicio erret; ſed pœnitendi locum dari cunctatione puniendi. Atqui Deum credibile eſt, quamcumque vitio captam animam juſto ſuo judicio aggreditur, ejus motus perſpicere, ſicuti ad pœnitentiam inflectuntur, tempuſque correctionis largiri iis, quorum non extrema & incurabilis nequitia. Iis tempus vitia mutandi largitur: quod ſi perſiſtant in vitiis, ipſos quoque punit; non enim periculum eſt ullum, ne ipſius manibus elabantur. Conſidera vero quam multorum hominum mores & vita fuerint mutata. Nihil enim præſtantes naturæ exiguum efferunt, & ob acumen vehementia earum atque efficacia otioſa eſſe non poteſt. Sed quaſi æſtu fluctibuſque jactantur, donec mores ſtabiles atque compoſitos ſibi parent. Sicut ergo rudis aliquis agriculturæ nullo modo probaret locum, quem videret denſa obſitum ſilva, agreſtibus ſtirpibus, & multis feris, rivis, lutoque repletum: perito autem & judicandi gnaro, hæc ipſa virtutem molliciemque agri demonſtrarent: ſic multa inepta & prava magnæ naturæ primo efferunt; quorum nos aſperitatem & aculeos initio non ferentes, putamus ſtatim exſcindi opprimique debere: qui vero melior eſt ratiocinator harum rerum, is ætatem tempuſque præſtolatur, quod rationi & virtuti auxilium fert, quo etiam tempore indoles ſuum profert fructum; quod utique non fieret, ſi omne peccatum pœna ſequeretur: nimirum etiam Deus quibuſdam malis tanquam carnificibus uſus eſt ad ſumendas de aliis malis pœnas: quod verum eſſe de pleriſque Tyrannis arbitror. Quemadmodum enim fel Hiænæ, & Phocæ, aliorumque fœdorum animalium coagula aliquid habent ad morbos ſanandos utile: ſic nonnullis morſu & pœna indigentibus Deus injiciens Tyranni alicujus ſævitiam implacabilem,

cabilem, aut magiſtratus moleſtam aſperitatem, non ante id quod excruciabat ac turbabat ſuſtulit, quam vitioſos morbo liberaſſet ac purgaſſet ubi ſupplicii ordo ad ipſos pervenerit. Hactenus peremtorie Plutarchus.

Demum alii queruntur de hujus vitæ brevitate, quos optime redarguit Seneca. Non eſt, (a) inquit, quod in exiguum ævi gignimur, quod hæc tam velociter, tam rapide dati nobis temporis ſpatia decurrant — Animalibus tantum naturam indulſiſſe, ut quina aut dena ſæcula edurent, homini in tam multa ac magna genito, tanto citeriorem terminum ſtare. Non exiguum temporis habemus, ſed multum perdimus. Satis longa vita, & in maximarum rerum conſummationem large data eſt, ſi tota bene collocatur. Sed ubi per luxum ac negligentiam defluit, ubi nullæ rei bonæ impenditur; ultima demum neceſſitate cogente, quam ire non intelleximus, tranſiſſe ſentimus. Ita eſt: non accepimus brevem vitam, ſed fecimus: nec inopes ejus, ſed prodigi ſumus. Sicut amplæ & regiæ opes, ubi ad malum dominum pervenerunt, momento diſſipantur: at quamvis modicæ, ſi bono cuſtodi traditæ ſunt, uſu creſcunt: ita ætas noſtra, bene diſponenti multum patet. Quid de rerum natura querimur? Illa ſe bene geſſit. Vita, ſi ſcias uti, longa eſt — Repete memoriam tecum, quando certus conſilii fueris, quantus quiſque dies ut deſtinaveras receſſerit; qui tibi uſus tui fuerit; quando in ſtatu ſuo vultus, quando animus intrepidus; quid tibi in tam longo ævo facti operis ſit; quam multi vitam tuam diripuerint, te non ſentiente quid perderes; quantum vanus dolor, ſtulta lætitia, avida cupiditas, blanda converſatio abſtulerit, quam exiguum tibi de tuo relictum ſit: intelliges, te immaturum mori. Quid ergo eſt

(a) *Lib. de brevit. vitæ.*

Digitized by Google

eſt in cauſſa? Tanquam ſemper victuri vivitis: nunquam frugalitas veſtra ſuccurrit. Non obſervatis quantum temporis tranſierit. Velut ex pleno & abundanti perditis, cum interim fortaſſe ille ipſe, alicui vel homini vel rei donatus, ultimus dies ſit. Omnia tanquam mortales timetis: omnia tanquam immortales concupiſcitis. Audies pleroſque dicentes: a quinquageſimo in otium ſecedam: ſexageſimus annus ab officiis me dimittet. Et quem tandem longioris vitæ prædem accipis? Quis iſta, ſicuti diſponis, ire patietur? Non pudet te reliquias vitæ tibi reſervare, & id ſolum tempus menti deſtinare, quod in nullam rem conferri poſſit? Quam ſerum eſt, tunc vivere incipere, cum deſinendum eſt: & inde velle vitam inchoare, quo pauci perduxerunt? Veſtra mehercule vita, licet ſupra mille annos exeat, in arctiſſimo contrahetur. Videbis quemadmodum illos reſpirare non ſinant vel mala ſua, vel bona — magni, mihi crede, & ſupra humanos errores eminentis viri eſt, nihil ex ſuo tempore delibari ſinere: & ideo vita ejus longiſſima eſt, cui quantumcumque patuit, totum ipſi vacavit. Maxima porro vitæ jactura dilatio eſt. Maximum vivendi eſt, expectatio quæ pendet ex craſtino. Perdis hodiernum: quod in manu fortunæ poſitum eſt, diſponis: quod in tua dimittis. Quantulacumque itaque vita abunde ſufficit. Hactenus Seneca.

Alii, hoc eſt Sceptici noſtri ævi, nihil de re tanta adſtruentes, improvidorum mentes dubitationibus implent; impii autem ſunt non tantummodo ii, qui hanc veritatem negant, verum etiam ii qui dubitant. Incredibile autem videtur, cum eos, qui obfirmato in impietatem animo impia dogmata promunt, tum eos, qui de hiſce veritatibus dubitant, ita ab animo poſſe exſcindere communem

de

de Divina Providentia notionem, quam ultro rationi ex Theologia populi Dei, & Ethnici perfecte conſonam exhibuimus, ut conſcientiæ laniatus, & ictus non ſentiant, qui Divinæ Providentiæ munere cunctis mortalibus inditi ſunt.

Profecto Deus hominum conditor, fuit quoque opifex ſolertiſſimæ conſcientiæ, quam unuſquiſque experiundo fateri cogitur. Has aſſiduas domeſticaſque conſcientiæ furias impii ceteris magis ſentient, eorumque animos exagitando, intelligibili naturæ voce, injuſtam eorum defectionem condemnabunt. Igitur hoc ipſo apparet intus in homine Divinæ Providentiæ teſtimonium; & in furialibus conſcientiæ ſpectis opprobrii & ſupplicii ſempiterni indicium. Ejuſcemodi autem futuræ vitæ terrores non fuerunt prudentum hominum figmenta, ut capite ſequenti tradituri ſumus.

Digitized by Google

CAPUT VII.

Ad examen revocantur ac refelluntur impiorum commenta, quibus religionem reipublicæ cauſſa a ſapientibus invectam fuiſſe pertinaciter contendunt.

AD evertenda firmiſſima fundamenta, quibus religio nititur, viderunt impii, nihil aptius fore, quam oſtendere, eam non de Cœlis, Deo auctore profectam, ſed hominum prudentum commentis ideo invectam, ut populi in officio continerentur; ut ſeu præmiorum ſpe in vita futura propoſita, ſeu pœnarum metu incuſſo, ſocietatis jura ejuſcemodi ſpe aut timore inviolata ſervarent. Hinc nullum non movent lapidem, totiſque viribus incumbunt, in religionis origine perquirenda, ut ſubinde deducere poſſint, non aliunde ejus initia petenda eſſe, quam ab humana inſtitutione. Et ſane plurima ſuperſtitionum genera, quæ apud Gentes vigebant, ortumque habuerant ab humana inſtitutione, in cauſſa fuerunt, ut quidam in falſam hanc impiorum opinionem adducerentur; putantes non Divinitus conſtitutam religionem, ſed in tempore, atque prudentum hominum opera natam fuiſſe, ut publicis utilitatibus inſerviret. Polybius inter cetera ſic (*a*) ait: „ Hoc reſtat, ut terroribus nec manifeſtis, & „ ejuſmodi terribilibus figmentis vulgus cohibeatur. Id„ circo videtur mihi veteres, nec temere, nec ſine gravi „ cauſſa iſtas de Divis opiniones, & de pœnis apud Infe„ ros in vulgus induxiſſe. Hujus item opinionis mentio „ apud Ciceronem reperitur. Quid? ii (*b*) inquit, qui dixe-

(a) *Hiſtor. lib. 6.* (b) *Lib. 1. de N. D.*

dixerunt totam de Diis immortalibus opinionem fictam eſſe ab hominibus ſapientibus reipublicæ cauſſa, ut quos ratio non poſſet, eos ad officium religio duceret, nonne omnem religionem funditus ſuſtulerunt? Quid Prodicus Chius? Qui ea, quæ prodeſſent hominum vitæ, Deorum in numero habita eſſe dixit, quam tandem religionem reliquit? Quid, qui aut fortes, aut claros, aut potentes Viros tradunt, poſt mortem ad Deos perveniſſe, eoſque eſſe ipſos, quos nos colere, precari, venerarique ſoleamus? non ne expertes ſunt religionum omnium? Quæ ratio maxime tractata ab Euhemero eſt, quem noſter & interpretatus & ſecutus eſt, præter ceteros, Ennius. Ab Euhemero autem & mortes, & ſepulturæ demonſtrantur Deorum: hactenus Cicero. Apud Arnobium in quincto ſic legitur: „ Neque enim credendum eſt ſine ſuis originibus hæc eſſe „ fruſtra, atque inania fieri, nec habere conjunctas primis „ inſtitutionibus cauſſas. Originem vero cauſſaſque cultus, de quo Euhemerus loquutus eſt, Minucius Felix in Octavio refert. „ Dum reges, inquit, ſuos colunt religio- „ ſe, dum defunctos eos deſiderant in imaginibus videre, „ dum geſtiunt eorum memorias in Statuis detinere, ſa- „ cra facta ſunt, quæ fuerant aſſumta ſolatia: judicatum „ etiam facere hoc ad virtutem in viventibus magis exci- „ tandam. Plures quoque fabellas, Halicarnaſſeo libro ſecundo referente, atque ſuperſtitiones ab antiquis politica ratione inventas fuiſſe adverſarii dicunt: alias quidem ad humanarum calamitatum ſolamen: alias denique pro aliis utilitatibus, quarum cupiditate mortalium pectora incenduntur: alias ad abigendos timores, ſedandaſque animorum perturbationes.

Quum autem oppoſitum adverſariorum momentum ſit de re, quæ factum poſtulat, in medium proferunt ea

ſacra, quæ ab hominibus inſtituta videntur, ut ſubinde eliciant, omnem religionem ab hominum verſutia originem duxiſſe. Neque defuerunt impii homines, qui Moſem ipſum impoſturæ per turpiſſimam calumniam redarguentes, in ſancienda ob rationes politicas religione, auctoritatem Numinis magica factione obtentui ſumſiſſe, impudentiſſime contenderunt. Præterea ad probandum religionem fuiſſe prudentum opus, adducuntur ea, quæ a verſutis hominibus inſtituta cernuntur; inter cetera, quæ a Numa Romanorum Rege facta leguntur: „ Hic enim, „ inquit (a) Livius, clauſo Jani Templo, quum omnium „ circa finitimorum ſocietate ac fœderibus junxiſſet ani„ mos, poſitis externorum periculorum curis; ne luxuria„ rentur otio animi, quos metus hoſtium diſciplinaque „ militaris continuerat: omnium primus rem ad multitu„ dinem imperitam, & illis ſæculis rudem, efficaciſſi„ mam, Deorum metum injiciendum ratus eſt: qui quum „ deſcendere ad animos ſine aliquo commento miraculi non „ poſſet, ſimulat ſibi cum Dea Egeria congreſſus noctur„ nos eſſe: ejus ſe monitu, quæ acceptiſſima Diis eſſent, „ ſacra inſtituere. Profecto hac ſimulandi arte plures Urbium primores, populorumque rectores, quos ſingularis doctrinæ, aut probitatis fama commendabat, ad cohibendos furentis plebis impetus interdum uti conſueverunt; tunc quidem ſequebatur populus ſapientum arbitrium, cum Deorum voluntatem ſe ſequi exiſtimaret. Ex his autem, ſimilibuſque monumentis colligunt impiæ opinionis Patroni, religionem omnem ab humana inſtitutione eſſe profectam.

Hac porro de re, ne veritatem cum mendacio miſceamus, videndum primum eſt de Moſe, Divino Viro,

(a) *Lib. 1. Decad. 1.*

Digitized by Google

ro, hoc eſt a Deo miſſo, qui palam & aperte in conſpectu Iſraelitici populi mirabilia prodigia fecit, quibus ſe divinitus miſſum comprobavit; propterea fraudi & impoſturæ locus eſſe non potuit, quum ipſi Iſraelitæ vocem Dei in monte cum Moſe loquentis audiverint. Neque eſt, quod quæ Moſes hac de re, & de præteritis ſæculis in ſuis Annalibus ſcripſit, in dubium voces, cum Iſraelitæ mendacii ipſum procul dubio redarguiſſent, niſi aut ipſi vidiſſent, ea revera geſta eſſe, quæ narravit, aut a majoribus ſuis ea accepiſſent quæ de mundi creatione, de primo homine, de Patriarcharum religione, ac reliquis omnibus, quæ in ſuis Annalibus Moſes ipſe narrat. Tantum vero abeſt, ut in aliqua parte adverſati ſint, ut potius ſumma priſcorum Hebræorum & incredibilis in obſervandis Moſaicis inſtitutis conſtantia quam in Judæis recentioribus quoque videmus, non aliunde derivata ſit, quam quod continuata ſucceſſione a majoribus ſuis acceperint, vera eſſe ea omnia, quæ Moſes ſcriptis mandavit, & ab ipſo geſta fuerunt. Profecto etſi Moſes leges varias, tum ad religionem cultumque Numinis, tum ad civilem ſtatum ſpectantes, Iſraelitis tradiderit, ipſam tamen religionem non iſtituit, quippe qua Iſraelitæ jam pridem imbuti erant, a primis ſuis Patriarchis accepta, & continuata ſucceſſione cuſtodita, quam Moſes juſſu Numinis variis inſtitutis, ritibus, cærimoniis, legibuſque, pro illius temporis ratione reſtauravit. Hoc loco referre ſufficiat clariſſimorum Ethnicornm teſtimonium; unde liquido apparet, Moſem haud inſtituiſſe religionem, ſed novos colendi Deum ritus: „ Moſes, inquit (*a*) Tacitus, quo „ ſibi in poſterum Gentem firmaret, novos ritus contrarioſ„ que ceteris mortalibus indidit. Strabo autem ſic (*b*) ait:

 „ Pro-

(a) *Annal.* 21. *lib.* 5. (b) *Lib.* 6.

„ Profanos Ægyptiorum mores exoſum Moſem, collecta „ ingenti piorum hominum multitudine conceſſiſſe in Judæam, illicque fixis ſedibus, & ſanctis Dei colendi ritibus inſtitutis, abjectoque potiſſimum & ejurato Idolorum cultu, non tam vi & armis, quam pietate imperium confirmaſſe. Plinius quoque fatetur (a) „ religionem eſſe Moſe longe antiquiorem. Ex hactenus dictis turpiſſima videtur calumnia impiorum adverſus Moſem illata, quæ evidentius quoque oſtendetur.

Religio ſane in ſe ſpectata, commoda plurima reipublicæ, civilique ſocietati adfert; præcipuus autem finis ejus ad æternam ſalutem refertur, quod negabit nemo, niſi religionis plane expers ſit. Non diffiteor tamen exſtitiſſe homines, qui commodis ſuis eam accomodaverint; ſed hi, ut hoc ipſo demonſtrarunt, ſe indignos eſſe religioſorum Virorum nomine; ita nihil fraudibus egerunt, quod religioni, ejuſque veritati aut præſtantiæ damni eſſe queat: multo vero minus eam dominandi cauſſa aut inventam, aut inductam fuiſſe, inde colligi poterit. Illud quoque fatendum eſt, cultus ſuperſtitioſos ab humana inſtitutione manaſſe; id autem veræ religioni nullo modo officere, ut proinde adverſarii ſtatuere poſſint, omnem religionem a prudentibus reipublicæ cauſſa fuiſſe invectam. Superſtitio enim, ut luculenter probavimus, nihil aliud eſt, quam veræ religionis corruptio, quæ fit quibuſdam additamentis, vaniſque hominum commentis; hinc ſponte fluit conſecutio, veram religionem exſtitiſſe antequam aliquid ſuperſtitioſum fuerit ſuperadditum: mendacio quippe antecedit veritas, cujus illud eſt corruptio; neque corrumpitur, niſi id, quod ſanum fuit; quæ quidem præcedens integritas corruptionis voce percipitur. Religio igitur apud Gentes erat

(a) *Lib.* 30. *cap.* 1.

erat immaculata, antequam fœdaretur ſuperſtitioſis hominum additamentis, quæ porro additamenta, ut in opere demonſtravimus, gradatim facta fuere; nec eodem tempore, neque eodem modo apud Gentes corrupta fuit religio, ut ſanis quoque corporibus, variis adfectionibus, morborumque diverſis cauſſis agitatis, evenire ſolet. Illud autem omnibus idololatris commune fuit, ut ſuperſtitiones ſuperſtitionibus adderentur ac taliter inter ſe, & cum antiqua religione varia ſuperſtitionis additamenta nectetentur, ut rudibus populis antiquæ veræque religionis duratio appareret; immo putabant, in iiſdem additamentis præſtantiorem, efficacioremque reddi religionis uſum. Quum autem ſuperſtitioſæ inſtitutiones præſcriptione gauderent, quibuſdam eruditis Viris (ut loco ſupra citato inquit Cicero) viſum eſt idem eſſe, partem aliquam antiquarum inſtutionum tollere, ac omnem religionem eradicare: alii autem, teſte (*a*) Plutarcho, ſuperſtitioſa additamenta abominio habentes, ut hæc velut paludem evitarent, in impietatis præciptium inciderunt. Profecto in ſimulandis congreſſionibus ac colloquiis cum Diis immortalibus, a Chriſtianis Angelis Sanctis nuncupatis, vulgus utique a verſutis hominibus decipi potuit, quum interdum vere colloquia inter Angelos homineſque habita ſint; & de hoc commercio jam Gentium perſuaſionem exhibuimus, propterea nemo non videt, quam injuſtum ſit, ex ſimulatis cum Diis colloquiis conſecutionem elicere, omnem religionem ab humana inſtitutione callidorum hominum pendere, ortumque habuiſſe; religionis enim notio jam pridem alte inſiderat omnium animis, firma prius conſtantique perſuaſione imbutis, ſummum æternumque Numen voluntatem ſuam cœleſtium Spirituum

(a) *In Comment. de Superſt.*

Digitized by Google

tuum miniſterio hominibus declarare, quod utique niſi ante creditum fuiſſet, fruſtra cum Diis commercia ſimulata apparerent. Nam in hiſce ſimulatis colloquiis decipiendi mens elucet; quæ quidem ſpes ex ipſa populorum anticipata perſuaſione elicitur; hinc callidis verſutiſque hominibus haud difficile fuit, commodi ſui, aut publicæ utilitatis cauſſa, pietatiſque pretextu religione abuti; hoc autem ipſo oſtenditur, religionem veram fuiſſe apud antiquiſſimas Gentes, quæ gradatim corrupta fuit, ut capite ſecundo, & tertio hujus libri luculenter exhibuimus. Porro de Romanis loquendo, Romulus ipſe, condita Urbe, deſignavit Templo Jovis fines. Verum antequam Roma condita eſſet de Amulio (a) proditum eſt, quod pulſo Numitore fratre, Albanorum Rege, Rheam ejus filiam ad ſpeciem honoris, ac pietatis cauſſa Amulius Veſtalem legit, perpetuæque virginitati addixit, ut ejus Sacerdotii munere fungeretur, ne regno, quo potitus fuerat, alienæ prolis nativitate privaretur. Antiquiſſimam quoque omnium nationum religionem, moremque colendi Deum tradidimus; hinc perſpicuum eſt, religionem longe multumque ante præceſſiſſe, quam ea ſubdoli aſtutique abuterentur; & quidem tam ante præceſſit, ut a mundi incunabulis ejus origo petatur.

Contendentibus autem recentiorem ejus eſſe ortum, eo quia Spiritibus bonis maliſve, Heroibuſque defunctis in tempore divini honores ab hominibus fuerint conſtituti, ultro aſſentimur. Ex hoc tamen haud erui poteſt, veram religionem inter humanæ cogitationis inventa eſſe referendam. Adverſariorum enim munus eſt oſtendere, omnem religionem ab hominibus ſapientibus fictam fuiſſe: cujus omnino contrarium in contextu hujus operis demon-

(a) *Livius lib. 1. Decad. 1.*

monſtratum eſt, ſcilicet ſummi Numinis cultum omni ævo fuiſſe populo Dei & Ethnico communem, ejuſque originem non inveniri, niſi in prima mundi ætate; omneſque nationes in hoc quoque convenire; primos homines a Deo ipſo edoctos fuiſſe, rationemque tradidiſſe colendi ſui. Quum itaque regula hujus operis initio a nobis propoſita ſit, quod quidquid populo Dei & Ethnico commune videtur, & cujus origo non invenitur, niſi cum mundi incunabulis, id tamquam primum, & verum admittatur; propterea religio, ſive ſummi Numinis cultus, qui communis viſus eſt cunctis nationibus, ejuſque origo non invenitur niſi cum ipſius mundi primordiis, tamquam primus, verus, & a Deo ipſo præſcriptus eſt admittendus. Utut autem ſuperſtitioſus, aut idololatricus cultus apud Gentes latiſſime patuit, non tamen apud omnes iiſdem ritibus, neque eodem tempore, neque eadem ratione ab hominibus excogitatus auctuſque; hinc humanæ inſtitutionis apparet; propterea eundem cultum ſemper vera religio ejuravit & horruit: ex quibus ſponte ſequitur, ſervandum eſſe communem ſummi Dei cultum; ſuperſtitioſum, ſive idololatricum eliminandum, temporis, & humanæ cogitationis fetum.

Illud etiam animadvertendum eſt, non omnino verum eſſe, Deorum cultum a politica inſtitutione ortum duxiſſe; ſed tantummodo ab ea propagatum auctumque fuiſſe. Profecto vetuſtiſſimus malorum Spirituum cultus a ſacerdotibus, & Philoſophis derivatus eſt, opinantibus illos poſſe ſacrificiis, ſupplicationibuſque placari, & innoxios reddi. Cœlicolis autem, propter eorum excelſam naturam, magnaque beneficia ab ipſis humano generi præſtita, divini honores conſtituti fuerunt, ut eos ſibi Patronos, defenſoreſque conciliarent. Inſuper quum omnes nationes

Digitized by Google

tiones firmam ſemper perſuaſionem habuerint, de animorum humanorum immortalitate, de extremo judicio, de præmiis pœniſve in vita futura ſummumque Numen eſſe munificentiſſimum remuneratorem erga eos, quos pietas, & juſtitia cœleſti beatitudine dignos reddidit, factum eſt, ad excitandam quoque in mortalibus virtutem, ut divini honores identidem iis præſtarentur, quos putabant, propter eorum heroicas virtutes poſt mortem Cælo locatos, & Cœlicolis conſociatos, qui pro hominibus orarent, ac mortalium curam gererent; ut in contextu hujus operis uberrime demonſtravimus. Ad evincendum igitur hujuſcemodi cultus politicæ inſtitutionis fuiſſe, illud in primis ab hoſtibus religionis oſtendendum erat, perſuaſionem, quam ab initio Gentes habuere de Deo legum latore, ac vindice, de bonorum, malorumque Spirituum exſiſtentia, de humanorum animorum immortalitate, de judicio, præmiis pœniſve in altera vita paratis, ab humana calliditate fuiſſe profectam; manifeſtum quippe eſt, religionem, ac hoſce cultus ab hac prævia perſuaſione pendere, quam abſolute præcedere neceſſe eſt: quod tamen ab adverſariis neutiquam factum eſt.

Quamquam autem his, quæ objecta ſunt, abunde, ut opinor, reſponſum ſit, propoſitiſque difficultatibus ſatisfactum; adhuc tamen in iiſdem diluendis amplius inſiſtendum eſſe arbitror, ut magis magiſque veritas eluceſcat, omni adverſariorum fraude reſerata, atque ambiguitate ſublata. Ad quod præſtandum repetenda ſunt, quæ exhibuimus de Divino cultu, qui in interiorem & exteriorem dividitur; cultus enim exterior ſignum eſt interioris, qui in animo reſidet; ex utroque autem conſtat, quum exterior ab interiore procedat. Cultus interior oritur ex ſupra expoſita perſuaſione, quam in totius operis contextu probare

bare ſtuduimus, quæque ex iis ipſis adverſariorum objectis evidentius confirmatur. Nam hoc ipſo, ut ajunt, religionem a ſapientibus reipublicæ cauſſa fuiſſe invectam, fatentur Gentium perſuaſionem de celſiſſimis principiis ac ſummis capitibus interiorem religionem conſtituentibus; proinde ſponte fluit conſecutio, plane commentitium eſſe, religionem ab humana inſtitutione initia ſumſiſſe, ea potiſſimum ratione, quod ea, quæ omnino ſupra ſenſus ſunt, & ex quibus interior religio, ac cultus ratio omnis oritur, ad animos multitudinis nulla humana fraude deſcendere potuerint, ita ut ab omnibus nationibus tam firmiter crederentur. Hoc quidem certum eſt, quod ſi religio ab humana inſtitutione originem duxiſſet, humanum genus in atheiſmi tenebris tandiu vixiſſet, quandiu in lucem religio prodiiſſet. Hoc poſito, ab hoſtibus religionis lubet quærere, quonam modo, quave arte cunctis nationibus perſuaſum ſit, ſummum aliquod ſempiternumque Numen exſiſtere, cujus potentia univerſum hoc ſpectabile creatum ſit; cujus ſapientia, providentia, nutuque ſuo cuncta regantur; cujus juſtitia bonis præmia, ſupplicia malis hominibus, præſertim in vita futura, paraverit? Numquid humana ratio tam alta, tam abſtruſa, recondita, & a ſenſibus quam longiſſime remota cunctis Gentibus ſuadere potuit? Numquid ad hæc omnia firmiter credenda coegit Principum poteſtas? Numquid ſapientum verſutia imperitos & rudes populos in hanc ſententiam pertrahere valuit? Hæc autem omnia, ut inania ſunt, ita facile refelluntur.

Profecto quod ad humanam rationem ſpectat, ſi tanti momenti eſſet humanæ mentis acies, ut per ſe altiſſima illa principia, ſummaque religionis capita percipere potuiſſet, & hoc pacto religio apud omnes Gentes propagata

Digitized by Google

fuiſſet, ac ſervaretur, immerito impii veram religionem inficiarentur, ſi has veritates, omnino rationi conſonas, mens ipſa humana detegiſſet, & nationibus cunctis tam ſolide inſtillaviſſet. Oppoſitum autem irrefragabilis experientia oſtendit, quum ii qui ſoli ſuo ingenio ſervire voluerunt, quique noſtro quoque ævo abdicata primigenia traditione, omnium Gentium conſenſione ſacrata, ſolaque humana ratione nixi ſe dant contemplationi, de rerum initiis, naturæque Divinæ attributis deliria maxima amplexati ſunt; tantumque abeſt ut hoc pacto humanæ mentis acies religionis aperuerit arcana, quum ex adverſo impia & falſa dogmata prodierint; & hujuſce rei teſtes ſunt adverſariorum dogmata, quæ a Philoſophorum animis eradicare inſtituimus, quæque e diametro religioni adverſantur. Profecto ſola humana ratione ſciri non poſſunt ineffabilis Naturæ Divinæ attributa, neque datum eſt ſcire, quid omnino ſit Deus; utpote quia Natura Divina humanæ mentis limites infinite excedat; inſuper noſtris luminibus hæc craſſa caro officit, ut non ſolum ſimpliciſſima & perfectiſſima Dei Natura ut in ſe vere eſt nequeat animi oculis intueri, verum etiam officit, ne aliorum Spirituum naturam, eaque omnia, quæ ad capita ſumma referuntur, perfecte inveſtigare valeamus; propterea non illorum tantum, qui ob ſtultitiam deorſum vergunt, ſed admodum etiam ſublimium ſummoque ſtudio in harum rerum indagatione verſantium errores, & diſſidia libro primo exhibuimus. Demus autem, ut nonnulli Philoſophorum arbitrantur, Viros ingenio præſtantiſſimos, & in pulvere litterario vitam ducentes, poſſe celſiſſima principia, & capita ſumma recto rationis uſu aperte percipere: quî fieri poſſet, ut arcana ſcientia recte philoſophantium, qui pauciſſimi videntur, ſi cum immenſa reliquorum hominum

num multitudine comparentur, in rudes populos deſcendere poſſet, ab omnibus amplecteretur, alte radices ageret, animos alliceret, ibique tali vi inſideret, ut nulla impiorum ratio, nulla hominum violentia, nullus mortis terror vincere aut infirmare deinceps poſſet? Tanta porro & talis apud omnes Gentes vis eſt religionis; unde apertiſſime patet, tantum ac tam mirabile opus humanam rationem non potuiſſe perficere; quum immo ex adverſo plurimi eorum, qui ſola humana ratione duce ſe dederunt altiſſimarum rerum contemplationi, in tot abſona & devia abierunt, ut merito Vellejus apud Tullium (*a*) „ eorum ſententias vocaverit, miracula & portenta Philoſophorum non differentium, ſed ſomniantum: utque libro primo luculenter tradidimus.

Multo minus ad id idonea reputanda eſt Principum, ſive Magiſtratuum auctoritas. Horum quidem poteſtas, quantumvis excellat, ſubditorum certe voluntates pœnarum terrore cogere poteſt, antiquatas autem communeſque notiones ab animis eradicare haud poteſt; humana quippe vis voluntatem flectit ad aliqua agenda aut omittenda; at intellectum redigere in ſervitutem nequaquam munus eſt humanæ auctoritatis, quemadmodum omnium temporum experientia docet, ut optime animadvertit Petrus Garzonus parte ſecunda libro decimo. Perlucidum hujuſce veritatis exemplum perhibent impii noſtri ævi, qui ſubdole pœnarum metu exteriorem patrium cultum exercent; utque de priſcis teſtatur Tullius, qui ſic (*b*) inquit: „ Reliqui enim Epicuri calliditatem imitantes, „ qui non magnopere de Diis immortalibus pugnabat, „ tantummodo negare eos non audebat, ne quid invidiæ „ aut criminis ſubiret.

(a) *Lib.* 1. (b) *Lib.* 3. *de N. D.*

Sequitur ut diſquiramus, an a verſuta decipiendi arte ortum habuerit religio. Quoniam, inquiunt adverſarii, falſæ religiones ab humana inſtitutione prodierunt, dicendum quoque eſt, omnem religionem fictam eſſe ab hominibus ſapientibus reipublicæ cauſſa. Veruntamen quis non videt, inutiliter iſta afferri ad ſubvertendum veræ religionis ſyſtema? Superſtitioſa quidem additamenta, ac vana commenta, quæ pietatis ſpeciem præſeferunt, patula aure audit & ſequitur vulgus; tum maxime quum putat augeri cultum, quem a majoribus accepit. Superſtitionem itaque rudes populi facile amplectuntur, quoniam veræ religioni proxima eſt, eamque imitatur; neque aufert quod primum in mente & moribus anticipatum erat, ſed ſolum commentitia addit; quantum autem facile ſuperſtitio obrepat, atque in homines ſe inſinuet enucleate expoſuimus capite tertio hujus libri, quum omnium corruptionum exordia parva & obſcura ſint; hinc modicum ſuperſtitionis fermentum paulatim, & gradibus quibuſdam totam religionis maſſam fœdare potuit: tranſitus vero de impietate ad pietatem ſub aliqua proximitatis ſpecie fieri nequit, quum delenda ſint ea omnia, quæ ante in animis inſederant, novaque ſubſtituenda prioribus notionibus omnino adverſantia; propterea nulla calliditas ſive fraus excogitari poteſt, quæ omnes nationes ab atheiſmo avocare potuiſſet, & in eumdem religionis pietatiſque conſenſum traduceret.

Illud quoque accedit, in quo plurimum firmitatis atque roboris ineſſe videtur. Fingamus, diſputationis gratia, in toto terrarum Orbe nunc atheos eſſe homines: ab iiſdem quæro, num aliqua fraus ſive calliditas humana tantum virium habere poſſet, ut omnes nationes celſiſſima principia, & capita ſumma firmiter amplecterentur; & obtine-

obtinere, ut abjectis notionibus, quas comprehenſas habent animo, relictiſque majorum traditionibus, moribuſque quibus aſſueverunt, rebus nobis & a ſenſibus longiſſime remotis aures præbeant? Quod an fieri poſſit, ii ipſi judicent, quorum mentes impietatis præjudiciis occupatæ ſunt; quique nec Philoſophorum rationibus, neque cœleſtibus doctrinis, prodigiiſque ab impietate revocantur; negant enim cœleſtium Spirituum exſiſtentiam, itemque vaticinia, & miracula proſcribunt: unam tantum eſſe in rerum natura ſubſtantiam dicunt, & hanc ſubſtantiam eſſe materiam; res vero in quibus varie eſt & multiplex naturæ facies, nihil aliud eſſe, quam modos adtributorum naturæ naturantis, quæ multimodis tantum adfecta & modificata perpetuo ſeſe fundit ac pandit, diverſaſque in figuras ſe porrigit; & quæ varia apparent eſſe ludificamenta oculorum autumant; virtutemque Dei creandi ex nihilo, ejuſque Providentiam negant; propterea excuſſo omnis religionis principio, quis non videt, neque ſimulatis cum cœleſtibus Spiritibus colloquiis, quorum exſiſtentiam non credunt; neque magicis factionibus, quæ omnia putant eſſe ſolius immaginationis fetum, & ludificamenta oculorum. Igitur nulla humana ars ſive fraus idonea videtur ad revocandum ab impietate humanum genus, facta ſuppoſitione quod in atheiſmi tenebris verſaretur. Præterea omnibus notæ ſunt inter ſeſe perpetuæ nationum diſcordiæ & inimicitiæ; neque apud omnes eadem eſt regiminis forma, ita ut ſi quis animo repetat Gentium monumenta, eaque ſtudioſe ſcrutetur, fateri cogetur, tantam in ſingulis hominibus ſententiarum diſſimilitudinem, & tam varios animorum eſſe motus, ut in hac vita verſari ſine aliqua vel occulta, vel aperta, & interdum acerba diſſenſione vix poſſint ii, qui optimam ſibi propoſuerunt vitam. Hinc ad

varia

varia & ſæpe monſtroſa & nefaria hominum ſenſa reſpiciens Socrates, (*a*) inquit: „ Qui poſſim? Quum homines „ univerſi convenire non poſſint, nec eodem ſermone „ utantur.

Profecto ſi dicta univerſalis converſio ab impietate ad religionem qualibet humana arte fieri non poſſet hoc ævo, in quo cum omnibus nationibus viget conſuetudo; multo minus antiquitus perfici, immo nec attentari potuiſſet. Nam ante inventum magneticæ acus uſum, plurimæ nationes, immenſo maris ſpatio ſejunctæ, veteribus inter ſeſe omnino ignotæ erant, ut capite ſeptimo libri ſecundi enucleate tradidimus; ſed alii quoque populi, qui in hoc quem incolimus Orbe, continebantur, adeo inter ſeſe incogniti erant, ut nulla inter ipſos eſſet conſuetudo; frugalitas enim illorum temporum fecit, ut alienas opes non adamarent, idcirco negotiationibus cum finitimis populis non gauderent, nec ullus ad Gentes diverſæ linguæ commearet. Hoc loco referre ſufficiat, quod ſcribit Tacitus libello de populis Germaniæ: „ Nuper, inquit, tamen co„ gnitis quibuſdam Gentibus, ac Regibus, quos bellum „ aperuit. Additque Plinius, tempore T. Veſpaſiani, cui ſuam inſcripſit Hiſtoriam, de Germania his (*b*) verbis: „ Nec tota percognita eſt. Demum his aliiſque populis detectis apud omnes eadem celſiſſima principia, & capita ſumma, ex quibus ſponte fluit religio, reperta ſunt, ut in contextu hujus operis uberrime demonſtravimus, hoc eſt de uno ſummo Deo, Univerſi conditore, ac moderatore, de humanorum animorum immortalitate, de judicio, præmiis pœniſve in vita futura, de Spiritibus bonis maliſque, de primo homine, de terreſtri Paradiſo, de illius poſt lapſum infelicitate, de cultu Dei, de portentoſa totius

(a) *Lib. 4. apud Xenophontem.* (b) *Lib. 4. cap. 14.*

Digitized by Google

tius Orbis innundatione, de matrimonio, de Divinis naturæque legibus, deque aliis, in Moſaicis Annalibus deſcriptis, quæ a Deo repetenda ſunt, tradente illa homini primo, a quo deinceps per ſingulas ætates, ad noſtram uſque, prorſuſque naturali traditione manarunt. Quantumvis enim ſupra primigeniam traditionem plures errores a Gentibus accumulati ſint, baſis tamen religionis nullo defuit ſæculo; hujuſque ſanctiſſimæ traditionis ope teterrima impiorum monſtra jugulantur.

Ex hactenus dictis liquido apparet, religionis fundamenta non potuiſſe ſive humana mente, ſive calliditate prudentum architectari; & multo minus in omnium Gentium animis ſolide firmari. Præterea admirabilis illa humani generis converſio, quæ ponitur ab adverſariis ab atheiſmo ad religionem, quum ſit de re quæ factum poſtulat, haud dubia tam ſtupendæ mutationis veſtigia reliquiſſet in Gentium Hiſtoriis, aut ſaltem traditionibus. Attamen ubi ſunt hæc monumenta, non inquam aperta, ſed tantummodo adumbrata; non omnium dico Gentium, ſed alicujus nationis, ex quibus adverſarii evincere poſſint, humanum genus, aut Gentem aliquam ab atheiſmo ad pietatem fuiſſe converſam? Quum autem nulla hujuſce rei monumenta ab impiis in medium proferantur, aut exſtent ſive in Hiſtoriis, ſive in cujuslibet nationis traditionibus, conſequens eſt irrefragabili inductione, plane commentitia eſſe impiorum effata, & fruſtra laborare, ventoſque verberare, dum talia jactant. Procul dubio adverſarii monumenta deſiderata in medium protuliſſent, ſi invenire potuiſſent, ex quibus eorum aſſertio, quæ eſt ex hiſtoricarum numero, comprobaretur; propterea impiorum dicta ad fabulas jure ac merito demandanda ſunt. Mirum quippe non videbitur ſi adverſarii oſtendere nequeunt tempus,

pus, in quo ortum habuerit religio, quum temporis non ſit filia, neque humanæ cogitationis inventio, ſed a Deo ipſo conſtituta, & homini primo tradita, continuataque ſucceſſione parentum ad filios apud omnes nationes propagata videtur, ut in contextu totius operis probare ſtuduimus. Inter antiquos Plinius, impietate pollutus, ſtudioſe religionis originem conatus eſt inveſtigare, & uſque ad antiquiſſimum Zoroaſtrem, quem Moſe longe antiquiorem fatetur, pervenit. Originem magicæ artis diſquirit quam (*a*) fraudulentiſſimam artium appellat „ ſine du-„ bio, inquit, illic ortam in Perſide a Zoroaſtre, quæ ad-„ didit vires religionis. Sua autem ſpe fruſtratus inveniendi religionis originem, ſic concludit: „ Quid ipſe ego „ hanc memorem artem, Oceanum quoque tranſgreſſam: „ & ad inane naturæ provectam in Britanniam; quæ ho-„ die eam attonite celebrat tantis cærimoniis, ut dediſſe „ Perſis videri poſſit. Adeo in toto mundo conſenſere, „ quamquam diſcordi, & ſibi ignoto. Profecto Plinius fruſtra laboravit, ut religionis originem invenire poſſet: neque quilibet alius diligentiſſimus antiquitatis ſcrutator id præſtare potuit; hinc ii ipſi teſtes facti ſunt propoſitæ veritatis, quod ſcilicet omnes Gentes inter ſeſe quoque diſcordes, & ignotæ una eademque mente de religione conſenſerint, cujus origo non invenitur, niſi cum ipſius mundi incunabulis. Immo tantum abeſt, ut apud Gentes cum veteres tum recentiores veſtigia aliqua inveniri queant, ex quibus erui poſſit, religionem ab arte ſive fraude humana fuiſſe invectam, quum ex adverſo apud omnes populos continuata parentum ad filios traditione vigeat firmiſſima perſuaſio, Deum ipſum, ac cœleſtium Spirituum miniſterio primos humani generis Patriarchas docuiſſe, &

tra-

(a) *Lib.* 30. *cap.* 1.

Digitized by Google

tradidiſſe leges, & rationem colendi ſui, ex quibus omnibus hominum officia conſtituta cernuntur; hinc cunctæ nationes fatentur, a Deo jus Divinum & Naturale originem duxiſſe, ut capite primo & tertio libri ſecundi enucleate demonſtravimus: neque aliter niſi Deo auctore, omnis veritatis fonte, arcana hæc & celſiſſima documenta ad cunctorum populorum animos potuiſſent deſcendere, & tam ſolide in mentibus firmari, ita ut perſuaſio iſthæc ſuperet omnem ſcientiam. Illud autem quod inquit Plinius de magia „ quam fraudulentiſſimam artium appel„ lat, in Perſide ortam a Zoroaſtre, quæ addidit vires re„ ligionis, ex parte verum eſt, & ex parte commentitium. Magia quidem fraudulentiſſima artium eſt, & Varronis quoque teſtimonio, orta in Perſide, additque a Perſis in Italiam fuiſſe allatam, quam vocat hydromantiam; in aqua enim videbant imagines Deorum, vel potius ludificationes Dæmonum, ut capite quinto hujus libri exhibuimus: unde turpiſſime fœdata fuit religio, non autem magia addidit vires religionis, ut ſomniat Plinius. Neque mirum videbitur, ſi nonnullorum oculi mentis cæcutire videntur in meridie; ſcriptum (a) eſt enim: „ Conſidera „ opera Dei, quod nemo poſſit corrigere, quem ille „ deſpexerit.

Atque hæc ſunt, quæ ad demonſtrandam neceſſitatem, veritatem, & durationem primigeniæ traditionis, & ad recidendos omnes impiorum nodos, exquiſita decipiendi arte diſpoſitos, potiora mihi viſa ſunt. Id autem, quam feliciter præſtiterim, non audeo dicere; conſtanter quidem ac pro viribus certe. Profecto traditio iſthæc, Divinum veluti ſydus, altum perpetuo tenet, atque ſæculorum omnium ſuffragio, quaſi aquarum mole fertur, ne-

 que

(a) *Eccleſ. cap. 7.*

Digitized by Google

que adhæreſcit ſcopulis inbecillium diſputationum noſtrarum; admiſſa enim ſacra doctrina a primæva Numinis traditione profecta, quæ hominum mentes allicit & illuminat ad ea perſpicienda, quæ tenebris obducta erant, deſinit humanus animus fluctuare ſuper Divinæ Naturæ attributis, rerum initiis, animorumque noſtrorum vita ſempiterna, & ſuper Juris Divini & Naturalis Origine; utpote quæ habenda eſt inter ſubſidia naturæ, ab optimo Creatore homini primo conſtituta; ab hoc filiis & nepotibus commendata accurato traditionis magiſterio, ut poſteri, non diſquiſitione naturæ, ſed narratione majorum illam ediſcerent, perficienda ſemper, delenda aut mutanda nunquam. Ea ipſa eſt, quæ animum format, vitam diſponit, actiones regit, agenda vel omittenda demonſtrat, ſedet ad gubernaculum, & per ancipitia fluctuantium rectum dirigit curſum: ſine qua nemo, quantumvis excellat ingenio, ſecurus; humi enim repunt quotquot ab hac primigenia traditione recedunt; & in abſona deviaque abeunt, ut libro primo uberrime demonſtravimus; utque ſapientes cordatique Viri cognovere; unde quoque proceſſit certiſſima humanarum actionum regula, atque diſcrimen, & ſupra hanc baſim conflatæ ſunt omnes ſocietates, ita ut unuſquiſque ſcire poteſt, quid Deo, ſibi, aliiſque debeatur. At traditionis hujus indolem altius excutienti liquido patebit, in ea mire concinere partes omnes, quas hucuſque ad ſtabilienda Juris Divini ac Naturalis principia quæſivimus; & addere mirum quantum vires humanæ rationi, ut hac duce homo aperte videat inter humana & Divina rationem connexi; ita ut extra naturæ cancellos minime egreſſus, exitum reperiat intricatiſſimi labyrinthi illius, quem tot mortalium de jure primo dicundo ſententiæ innumeris ambagibus intercluſerunt. Igitur

tur jus Divinum ac Naturale ſupra duas firmiſſimas columnas, inter ſe nexas fulcitur, hoc eſt Divinam primigeniam traditionem, omnium populorum conſenſione ſacratam, rectamque humanam rationem: Nam a Divina traditione orta eſt omnium Nationum perſuaſio; a ratione autem ſcientia, quæ ex utraque conflatur, ſcilicet Divina traditione, ac recta ratione; agnoverunt quippe contemplativi ſapientes, eſſe certiſſimæ rationi ſubnixa, quæ traditione acceperunt.

Sed jam utriuſque Hemiſpherii regionibus mente peragratis, omnium nationum religionibus, moribus, inſtitutiſque attente exploratis, contrahenda ſunt vela diſputationis. Demonſtravimus enim in decurſu totius operis ea omnia, quæ vera religio tradit de ineffabili Natura ſummi Numinis, deque mundi ortu, atque animorum humanorum immortalitate, nec non de judicio, præmiis pœniſve in vita futura, ea, inquam, omnia, & quæ cum iis conjuncta ſunt alia, Dei populo, atque Ethnico eſſe communia. Itaque cum ea juxta poſtulatum noſtrum, quæ omnibus nationibus communia ſunt, tamquam prima & vera ſint admittenda, jure nobis concludere licet, ſumma illa rerum capita, in quibus hactenus verſati ſumus, prima omnino ac vera eſſe habenda.

Ceterum ut ædificium molienti ſatis non eſt, ſaxa, ligna, ferramenta, & quæ ſunt uſui alia parare, ſed præterea opus eſt artificium manibus, quæ propoſito exemplari rebus in diſponendis collocandiſque ſubſerviant; ita mihi in hac diſſertatione concinnanda non tam laborandum fuit, ut multa & varia congererem, quam ut ea diſponerem, & ex rerum copia non ſine delectu collecta opus exſurgeret aptum ſibi undique & cohærens, in quo humani generis hiſtoriam quiſque poſſet cognoſcere, ſuis rationum

momentis diductam, & confirmatam. Id num conſecutus ſim aliorum eſto judicium; equidem quod in me fuit conatus ſum. Ea autem quæ ſcripſi, qualiacumque ſint, vehementer benevolos Lectores rogo obteſtorque, ut æqui bonique faciant. Itaque poſt longam & laborioſam peregrinationem itinere confecto, portum quietis ingreſſi, modum operi impono; & in rem meam Auguſtini verba uſurpare audeo. Si aliquid vel incautius vel indoctius a me poſitum eſt, quod non ſolum ab aliis, qui videre id poſſunt, merito reprehendatur, verum etiam a me ipſo, quia & ego ſaltem poſtea videre debeo, ſi proficio, nec mirandum eſt, nec dolendum, ſed potius ignoſcendum, atque gratulandum, non quia erratum eſt, ſed quia improbatum. Nam nimis perverſe ſe ipſum amat qui & alios vult errare, ut error ſuus lateat. Profecto ſi rationi perſpicuæ infirmus humanæ conſuetudinis ſenſus non auderet obſiſtere, ſed doctrinæ ſalubri, donec Divino adjutorio, fide pietatis impetrante, ſanaretur, non multo ſermone opus eſſet, ad convincendum quemlibet vanæ opinionis errorem, his qui recte ſentiunt, & ſenſa verbis ſufficientibus explicant. Nunc vero, quoniam ille eſt major & tetrior inſipientium morbus animorum, quo irrationabiles motus ſuos, etiam poſt rationem plene redditam, quanta homini ab homine debetur; ſive nimia cæcitate, qua nec aperta cernuntur; ſive obſtinatiſſima pervicacia, qua & ea, quæ cernuntur, non tamen feruntur, tamquam ipſam rationem veritatemque defendunt: fit neceſſitas copioſius dicendi plerumque res claras, velut eas non ſpectantibus intuendas, ſed quodam modo tangendas palpantibus, & conniventibus offeramus. Et tamen quis diſceptandi finis erit, & loquendi modus, ſi reſpondendum eſſe reſpondentibus ſemper exiſtimemus? Nam qui vel

non

non poſſunt intelligere quod dicitur ; vel tam duri ſunt adverſitate mentis, ut etiamſi intellexerint, non obediant: reſpondent (ut ſcriptum eſt) & loquuntur iniquitatem, atque infatigabiliter vani ſunt. Quorum dicta contraria ſi toties velimus refellere, quoties obnoxia fronte ſtatuerint, non curare quid dicant ; quam ſit infinitum, & ærumnoſum, & infructuoſum vides. Quamobrem nec te ipſum, nec alios, quibus hoc opus noſtrum in Chriſti caritate liberaliter ſervit, tales ſcriptorum meorum velim Judices, qui reſponſionem ſemper deſiderant ; cum his quæ leguntur, audierint aliquid contradici ; ne fiant ſimiles earum mulierculartum, quas commemorat Apoſtolus, ſemper diſcentes, & ad veritatis ſcientiam nunquam pervenientes. Videor enim mihi, adjuvante Domino, debitum hujus operis reddidiſſe. Quibus parum videtur, addant ipſi id quod deeſſe autumant : quibus autem nimium eſt, mihi ignoſcant: quibus vero ſatis eſt, non mihi, ſed Deo gratias mecum gratulantes agant.

FINIS.

IN-

INDEX
RERUM NOTABILIUM
Quæ in hoc Opere continentur.

A

ADam primus homo a Gentibus cognitus pag. 165. *uſque* 170. *De primorum Parentum felicitate, deque ærumnis poſt lapſum conveniunt Gentium traditiones & hiſtoriæ cum Moſaicis Annalibus* 170., *& ſeq.*
Actiones humanas bonitatem vel turpitudinem intrinſecam habere ab omnibus nationibus conceditur 36.
Actiones juſtæ ſunt quæ ad finem verum diriguntur 39.
Actiones aliquæ ab aliquibus nationibus turpes, licitæ ab aliis creditæ ſunt 41.
Adami pœna in poſteros transfuſa 164. *Converſa in humani generis remedium ibid.*
Adulterii crimen apud Gentes exſecrabile fuit 184.
Ægyptii in columnis quid de Deo, de Angelis, & Dæmonibus ſentirent exprimebant 252.
Ægyptii primi templa Diis poſuere 320. *Eorum Bacchanalia turpia* 362.
Ætas mundi non curioſius inquirenda 234.
Africani populi homines mactant in ſacrificiis 197.
Afrorum mos in petendis a Deo neceſſariis 309.
Agnus Dominator univerſæ terræ 281.
Aliqua ſunt per ſe turpia aut honeſta, & quæ 27.
Alphabeti inventio 255. *Ejus uſus non eſt ab omnibus receptus* 257.
America Novi orbis regio ab Americo Veſputio ſic dicta 244.
Anaxagoras mentem puram præeſſe univerſo affirmat 68.
Ab Angelis homines edoctos fuiſſe probatur 128.
Angelorum, & Dæmonum cultus quomodo invaluerit 350.
De Anima diſputatio maximi momenti 46.

Ani-

Animæ naturam rationis auxilio philoſophi conati ſunt inveſtigare ibid.
Anima quibus rationibus probetur immortalis 47.
De Anima variæ Ethnicorum ſententiæ ibid.
Anima materialis ab aliquibus Ethnicis Philoſophis putabatur 50. *& ſeq.*
Animam non eſſe Dei portionem probat Clemens Alexandrinus 52.
Animas quondam fuiſſe ſpiritus cœleſtes aliquorum fuit opinio 55.
Animam ex atomis conſtare Democritus vult 73.
Animæ immortalis diſquiſitio magni momenti argumentum 192.
Animæ humanæ proprietates ibid.
Animam immortalem omnes nationes fatentur 193. *& ſeq.*
Anima Dei imago ibid.
Animarum Defunctorum cultus origo 320.
Animalium figuræ idola, non hieroglyphica Ægyptiis fuiſſe falſo aliqui opinati ſunt 254.
Annales a Moſe ſcripti non exſtant, ſed tantum eorum exemplaria 225.
Anni metiendi ratio quam varia 228.
Annus ſabbaticus apud Hebræos 276.
Antigonus occaſio fuit opinionis Sadducæorum 54.
Antiquiſſima Gentium religio 294.
Aſtrorum cultus 316.
Athei num exſtiterint alii affirmant, alii negant 102.
Athei ſunt qui Deum negant, non qui de Deo opinione diſſentiunt 102.
Atheos proprie tales nunquam fuiſſe credendum eſt ibid.
Atheiſmus quid ſit ſtricto, ac latiori ſenſu 17.
Atomos eſſe rerum initium dicit Democritus 73.
Atomis immortalitatem tribuit Democritus, non iis quæ ſunt ex atomis compacta 74.
Athenis Bacchanalia inventa 361.
Avaritia contaminandæ religionis inter cauſſas fuit 308.
Aurea Ætas 171. *erat tempus juſtitiæ primorum Parentum* 375.

Bac-

B

Bacchanalia mores contaminarunt 361.
Beatitudinem Dei in voluptatibus collocat Epicurus 75.
Benedictus de Spinoza impietatem renovavit 86.
Brachmanes affirmant Deum eſſe ſuarum legum auctorem 126.
Brevitatis vitæ querela 389.

C

Cajani Hæretici 178.
Caini hiſtoria apud Gentes habetur ibid.
Canticorum uſus, & ex his poeſis origo 249.
Carnalis cupiditas acrior quam pecuniæ 41.
Cauſa moræ adventus Meſſiæ a Judæis conficta 278.
Celſiſſima principia a Deo in homines deſcenderunt 121.
Chriſti regnum non temporale ſed ſpirituale 282, *ejus ſacerdotium æternum* 284.
Chriſti ſecundus adventus 291.
Chronologia ex variis codicibus 225.
Ciceronis ſententia de Deo 77.
Circumciſio Gentibus non præcipiebatur 237.
Clara ſpiritualis ſubſtantiæ notio ab hominibus non habetur 49.
Codicis ſacri verſio juſſu Ptolæmei facta 226.
Codices græcos, judeos, & hebraicos quoad ſubſtantiam conſonos eſſe mirabile eſt 234.
Cognitionem rerum duplici via aſſequimur 106.
Concupiſcentia a lege detecta 43. *in primis Parentibus fuit pœna peccati, in ceteris natura* 44. *quantum valeat ibid. peccatoribus dominatur ibid. virtutis faciem interdum aſſumit* 45.
Confucius, ejuſque doctrina de Anima 51. *Magno in honore a Sinenſibus habitus* 79. *religionem originariam Sinenſium profitebatur* 80. *ejus Syſtema ibid. libri ipſius combuſti* 103. *aliquas leges eſſe a Deo fatetur* 126.
Conjugii inſtitutio a Deo 183.
Conſcientia Providentiæ opus 384. *quæ operetur in homine malo ibid.*
Converſio ab Atheiſmo ad religionem humana arte fieri non potuiſſet 396.

Cor-

Digitized by Google

Corporis reſurrectionem Gentes non inficiantur 205.
Cultus alius internus, alius externus 264., & 400. *interior in quo conſiſtat* 264.
Cultus ſervitutis duplex eſt 265.
Cultus proprius, & ſimbolicus; item ſimplex, & mixtus 304.
Cultus Deorum ſive Angelorum 318. *ejus origo* 320.
Cultus Deorum Animalium apud omnes idololatras 329.
Cultus honoris Angelis ac beatis deletur 338.

D

Democritus ſpreta traditione primus impietati viam aperuit 72. *ejus placita recenſentur* 73. *De Diis dubitat ibid. ejus libri ab Athenienſibus combuſti ibid.* & 103.
Dæmonis invidia quot mala in homines intulerit 42.
Dæmones humani generis hoſtes, eorumque caſus 123. *eorum fraudes ſemper in promtu ibid.*
Dæmonum natura ab Ethnicis explicata 138.
Dæmones generare Ethnici credebant 140.
Dæmones concubitus cum mulieribus aliquando exercuere 141.
Dæmonis quæ ſint artes ad decipiendum 349. & *ſeq.*
Dæmonum natura juxta Apulejum 355.
Dæmonis prodigia 361.
Dæmones flagitia ſibi imputant quæ non admiſerunt 363.
Deus quis, aut qualis ſit humana mente concipi non poteſt 66., *ejus exſiſtentia nunquam in dubium vocata* 67.
Deum quibus nominibus Stoici deſignaverint ibid.
Deo quot munera, tot nomina poſſunt imponi ibid.
Dei naturam quomodo explicent Ethnicorum Philoſophi ibid.
Dei ſumma perfectio ex perfectionibus ſingularum creaturarum facile arguitur ibid.
Deus ſub nomine Mundi a Zenone ſtatuitur 71.
Deum interritui obnoxium facit Democritus 74.
Diis humanam formam tribuit Epicurus 75.
Deum, ignem artificioſum dicunt Stoici 76. *eſſe animam mundi affirmat Varro ibid.*
Deus quid ſit juxta Plinium 77.

Deum ex nihilo creaſſe percipi non poteſt, niſi traditio opituletur 84.
Deum ex nihilo creaſſe negantes traditionem ſpreverunt ibid.
Deum ex abſoluta naturæ ſuæ neceſſitate agere ait Spinoza 88.
Deus per ſe, vel per Angelos homines docuit 121.
Deum pollere virtute creandi, & ratione, & traditione cognoſcitur 146.
Dei natura præſtantiſſima 145.
Deum eſſe mundi creatorem Gentes cognoverunt 149.
Deus cur Cœli Dominus vocetur 153.
Dei cultus antiquitus ſimplex fuit 182.
Deum ſacrificiis non indigere Gentibus erat perſuaſum 300.
Dei vocabulum aliquibus rationalibus creaturis ſine reprehenſione tribuitur 302.
Deorum nomine Angelos, & defunctorum Animas Ethnici intelligunt 308.
Deorum cultus fuit cultus ſervitutis 320.
Dii qua formula invocarentur contra hoſtes 355.
Deum creaturarum curam habere convenit 381. *cur ſero puniat* 385.
Deorum ideſt malorum ſpirituum cultus a Sacerdotibus, & Philoſophis, non a publica poteſtate ortum habuit 399.
Defunctorum Animæ, aliæ publica, aliæ privata auctoritate inter Deos locabantur 325.
Deucalionis diluvium ab univerſali diluvio differt 214.
Dies feſtus in creationis memoriam ab antiquis inſtitutus 152.
Diluvii univerſalis perſuaſio apud Gentes 213.
Divinam naturam inveſtigare eſt difficile 77.
Divina Majeſtas ſcientiæ noſtræ limites excedit 118.
Divini cultus rationem, ac ritus a Deo homines didicerunt 181.
Divini cultus corruptio unde proceſſerit 305.
Doctores Sinenſes, & Japponenſes aliqua congruentia naturæ tradidere 39.
Duorum principiorum ſententiam quidam invenerunt 311.

Eccle-

Digitized by Google

E

ECcleſia Romana ab idololatriæ calumnia vindicatur 339. ejus diſciplina dogmatibus ejuſdem non contradicit 340. ejus ritus qui ſint ibid.
Epicurei concupiſcentiæ indulgentes 35.
Epicurus contra Platonem animam dicit mortalem 53. Democriti aſſecla 74. quam opinionem de Deo tueatur ibid.
EST De Deo quomodo explicetur 158.
Ethicæ principia a natura Philoſophi acciverunt 27.
Ethnicorum aliqui animam dicunt immortalem, eo quod ſit Divinitatis particula 51.
Ethnici Philoſophi traditione duce ſublimem theologiam aſſecuti ſunt 72.
Ethnici qui Deum Creaſſe ex nihilo negant, omnipotentiam tamen fatentur 83.
Ethnici a traditione hauſerunt quæ de Dei natura locuti ſunt 112.
Ethnicos ab Hebræis ſumma capita didiciſſe quidam eruditi falſo opinati ſunt 235.
Ethnicorum Philoſophi nonnula preclare de moribus ſcripſerunt 39. eorum nemo perfectum ſyſtema morale condidit ibid. De Anima quid ſentirent 50. quamplurimi ſolam materialem ſubſtantiam agnoſcunt 51. ipſorum philoſophia ſi qua vera habeat ſunt delibanda 114. Theologia a traditione, & a ratione ortum habet 116. Eorum ſublimior theologia 157.
Externus Dei cultus, ac ritus aliquis a Moſe præſcripti 266.

F

FElicitas reproborum in hoc ſæculo eſt ficta, non vera 383.
Fides ad rerum cognitionem mirifice inſervit 106. robore ſcientiam præſtat 107.

G

Genii ſunt Spiritus cuſtodes 129. *apud Ethnicos qui fuerint* 138.
Gentes traditione & conſideratione ad Univerſi cognitionem pervenerunt 68.
Gentes aliquæ circumciſionem, non religionis principia ab Hebræis didicerunt 237.
Gentes ab Hebræis non fuiſſe edoctas probatur 245.
Gentes canticorum uſum habebant 250.
Gentes Cœlicolis divinos honores præbentes redarguuntur 337.
Gentium perſuaſio de ſummis capitibus a philoſophia non manavit 104. *perſuaſio de Animæ immortalitate* 193. *earum funebria Animæ immortalitatem oſtendunt* 197. *converſio gentium evidentiſſimum Dei opus fuit* 287.
Geometriam confutat Zeno Epicureus 62. *defendit P. Dechales, ejuſque principia exponit ibid.*
Geometrica methodo ſua cogitata digeſſit Spinoza 87.
Græca verſio ſamaritano exemplari magis conſentanea 226.

H

Hebdomadarum a Daniele prædictarum initium, & exitus 277.
Hebræorum lingua Gentibus non erat nota 242.
Herculis cultus qua occaſione fuerit inſtitutus 325.
Heroes in Deorum numerum relati ibid.
Heroum defunctorum conſecratio, & ritus apud Romanos 332.
Heroum cultus celſiſſima principia non delevit 336.
Hieroglyphica ſubſidium memoriæ 251. *antiquiſſima ſimbolica, & compoſita* 253.
Hieroglyphica ſimbolica ſcriptura arcana dicebatur 254.
Hiſtoria de qua agitur erit tuta ſi cum ratiocinatione conjungatur 19. *univerſalis neceſſaria eſt ut cognoſcatur quid omnibus commune* 235
Hiſtoriæ fides traditione, & teſtibus qui facto interfuerint adſtruenda 260.
Hobbeſius quid impie ſentiat de regulis morum 28. *ejus ſyſtema ever-*

evertitur 28. , & 190. *ejuſdem error ab Epicureorum ſententia profluxit* 36.

Homo quid ſit 21. *quid cum Diis , quid cum belvis commune habeat ibid. pluribus malis obnoxius ibid. ejus miſeriæ quæ ſint* 22. *ipſius cauſſa mundum conditum Ethnici fatentur* 31. *in quo diſcriminetur a bruto* 37.

Homo nulla Dei vel mundi traditione habita in abſona abiret 85.

Hominis creatio omnium Gentium conſenſione probatur 165.

Homines armentis ſubſtituti in ſacrificiis 322. *mactabantur in ſacrificiis* 351.

Homines a Deo & ab Angelis ſanctis fuiſſe edoctos omnium Gentium conſenſione demonſtratur.

Humana ratio ſumma capita hominibus perſuadere non potuit 124. *& ſeq.*

I

JAni nomine Noachum *Gentes deſignarunt* 216. *idem cur bifrons , & quadrifons dictus* 217.

Japponenſes Deum in ſpeculis adorant 317. *eorum mos in expiatione defunctorum* 200.

Idololatria quid ſit 304. *ejus origo* 305. *cauſſæ* 306. *veræ religionis principia non delet* 307. *e ſimbolis originem duxit* 315. *Dæmonis fraude invecta* 356. *alia craſſa alia ſubtilis* 365. *ſubtilem defendebant , craſſam damnabant Philoſophi ; ibid.*

Ignis ſacri origo 316.

Immortalitatis Animæ perſuaſio a philoſophia non manavit 47.

Impietas a traditionis ſpetu manavit 112. *qua de cauſſa primum invecta* 365.

Impiorum quæ ſint dogmata 9. *ipſis ſecundum hiſtoriam ratiocinatam reſpondendum* 10.

In toto opere quid præcipue probandum 15.

Joannes Baptiſta Prophetarum noviſſimus de Meſſia 288.

Jovis pueri cur fuerint nuncupati Angeli 131.

Iſidis & Oſiridis nomine Adam & Heva deſignautur 168.

Judaici Regni excidium quo tempore exſecutum 273.

Ju-

Judei ſpreti a Gentibus diverſæ religionis cauſa 242. *Gentibus arcana ſuæ religionis occultabant* 245.
Judei Meſſiam veniſſe negantes refelluntur 279. *eorum obcœcatio* 287.
Judicii extremi perſuaſio apud Gentes 207.
Juris principia prius traditione quam ſcripturis probanda 3. *ex traditione primigenia ſtabiliri poſſunt ibid.*
Jus civile quid ſit 37. *Divinum & naturale eſſe donum Dei Ethnici fatentur* 117.
Jus divinum orali traditione propagatum 181. *cur aliud dicatur divinum, aliud humanum* 182. *jus divinum & naturale traditione & ratione fulcitur* 411.
Juſti malas appetitiones ſub poteſtate habent 44.
Juſtitia naturalis a natura, civilis ab hominum inſtitutionibus pendet 37.

L

Latriæ & Duliæ vocabula quid ſignificent 266.
Leges ſecundariæ unde originem ducant 191.
Lex naturæ cordibus inſcripta quomodo operetur 28. *ab Ethnicis non negatur ibid. cur ſic nuncupata* 109., & 122.
Lex ſcripta cur varie a multis interpretata 45. *Sex divina & naturalis quid probibeat* 191.
Liberum arbitrium Angelis & hominibus datum 370.
Loachus quo tempore vixerit, & quam doctrinam de Anima tradiderit 50. *viam impietati aperuit* 79. *dicit Deum corpore conſtare ibid. nullam admittit ſpiritualem ſubſtantiam ibid. quid ſentiat de creatione ibid.*
Logicæ Laus 110.
Lucretius errorem Epicuri defendit 53.

M

Magica ars, ejuſque ortus 408. *a Perſis in Italiam delata* 358.
Magiſtratus & ſublimiores Poteſtates qua occaſione inſtitutæ 190.

Ma-

Magnetica acus quo tempore inventa ſit 244.
Majeſtas Dei, propter quam coli debet, præſtantiſſima 265.
Malum morale, & phyſicum unde originem traxerit 180. *eſt argumentum impiorum contra divinam providentiam* 369.
Malum phyſicum providentiam Dei non lædit 374. *ejus origo* 375.
Mala hujus vitæ aliam patriam exſpectandam innuunt 376.
Mala & bona cur Deus voluerit omnibus eſſe communia 378.
Maritima piſcium corpora lapidificata ſunt diluvii reliquiæ 221.
Materiam in craſſam, & ſubtilem dividunt Confucii aſſeclæ 80.
Mathematica methodo additas naturæ vires quidam inveſtigarunt 65. *ejuſdem laus* 87.
Matheſis cum phyſica experimentali nonnulla arcana detexit 60. ~~*ejus principia quidam eruditi inficiantur* 61. *admodum*~~ *neceſſaria ad vitæ cultum* 64.
Matrimonii inſtitutio apud Gentes propagata 183.
Medicina Matheſi illuſtrata 65.
Memoria maximum & neceſſarium vitæbonum 250., *eſt naturale omnium liber* 260.
Mentis humanæ acies ab aliquibus nimis extollitur, ab aliis deprimitur 18.
Mentis quæ ſint munera 33. *ejus acies utilibus contemplationibus exercenda* 65.
Mens in homine imbecillis 24. *ſubſtantias materia carentes non percipit* 49. *in matheſi eſt promta, quia in utilibus verſatur* 61.
Mercurii columnæ quales fuerint 257.
Meſſias eſt homo Deus, & quo ſenſu 268. *quæ ſint ejus notæ ibid.*
Methodus differendi antiquis erat præſtantior, quæ uſque ad ſocratis tempora pervenit 110.
Mexicani quibus ſignis Deum creatorem ſignificent 155. *Chronologiam ſervaverunt* 230. *eorum annus qualis fuerit ibid. Chronologia convenit cum græca* 231. *utuntur ſcriptura hieroglyphica* 252.
Moralis diſciplinæ ſyſtema a Deo ſolo potuit architectari 40.

Mora-

Moralis philoſophia non tantis laudibus eſſerenda ibid. a Seneca laudatur ibid.
Moralis vitæ diſciplinam Dæmones evertere conati ſunt 361.
Morum diſciplina num a philoſophia ſit deducta 33. *a philoſophia non eſt profecta* 45.
Mos ſignandi ſaxis ſenſa animi 258.
Moſes in teſtimonium ſuorum Annalium traditiones adducit 248. *ipſe, ejuſque Annales fraudi, & impoſturæ non ſunt obnoxii.*
Mulieris ſubjectio peccati pœna, & ſocietatum norma fuit; 185.
Mundos infinitos ponit Democritus 74. *item alii nonnulli* 81.
Mundum eſſe Deum quidam dixerunt 77. & 78.
Mundi opificium Deo tribuitur ab Ethnicis 81.
De Mundi creatione omnes nationes cum Moſe conveniunt 149. & *ſeq.*
Myſteria quædam naturæ Philoſophorum mentes non aſſequuntur 61.

N

Natura dictans eſt eadem, at ſententiæ hominum variæ, & cur. 29.
Natura naturans & natura naturata a Spinoza quomodo explicetur 90.
Noe Saturnus dictus 218.
Notiones homini neceſſariæ eidem præſto ſunt 119.
Nova Hiſpania a Ferdinando Corteſio capta 244.
Numa Pompilius, ejus ſepulcrum & libri inventi 356. *hydromantia uſus eſt* 358.

Occi-

O

OCcidere ſeipſum Ethnicis & Heroibus glorioſum videbatur 42.
Officiorum principia non ratione, ſed hominum perverſitate in dubium vocata 26.
Operis epilogus 411.
Operis occaſio 1. & ſeq.
Opinio Saducæorum orta eſt poſt tempora Alexandri Magni 53.
Opinionum diſſimilitudo in moralibus unde oriatur 42.
Oracula perſuaſionem de Dei & Angelorum commercio cum hominibus confirmant 134.
Oraculorum reſponſa cur ambigua 136. homines decipiebant 352.
Origenes dicit animas quondam fuiſſe Spiritus cæleſtes 55.
Ovum Mundi ſymbolum 149, & 312.

P

PActum cum Abrahamo Gentes non excludebat a ſpe ſalutis 238.
Paradiſus terreſtris in aurea ætate deſignatus a Gentibus cognitus 171. a Platone deſcriptus 175. a Sacerdote quodam Peguano ibid.
Patria poteſtas 270. olim quaſi regia 186.
Patriarcharum antiquorum longævitas 179.
Patriarchæ ſpirituali ſimul, & temporali pollebant poteſtate 191.
Paulina in Iſidis templo conſtuprata 141.
Peccati ſupplicium a Deo in remedium verſum eſt 377.
Peccata occulta in cauſa ſunt cur Deus mala infligat 380.
Perſuaſio Gentium de Animæ immortalitate, judicio &c. a Deo eſt repetenda 201.
Perſuaſio Gentium circa tempus adventus Meſſiæ 277.
Phœnices litteras in Græciam introduxere 256.
B. Phylaſtri tranſlationem prodigium ſecutum eſt, idque narratur 346.

Philoſophia ſola non valet diſcernere animas eſſe immortales, brutorum non item 54.
Philoſophiæ duæ origines 111. *Jonica & Italica, cur ſic dictæ: in quo diſſentiant ibid.*
Philoſophia a traditionibus recedens eſt fallax 112. *ejuſdem neceſſitas ad fallacias detegendas ibid.*
Philoſophi a traditione recedentes erraverunt 4. *quid ſtatuerint traditione duce ibid. eorum contradictiones a Seneca enumeratæ* 40. *de animarum immortalitate dubitantes* 56. *cauſſam primam in creatis rebus quærunt* 58. *qui Dei creationem & gubernationem adſtruunt, recenſentur* 69. *quorumdam opinio de natura Dei* 70.
Philoſophi ſolo mentis ſuæ ductu judicantes de Deo fœde erraverunt, ideo reprehendendi 72., & 118.
Philoſophi de Deo humanis rationibus nixi ferre ſententiam a Gentibus prohibebantur 103.
Philoſophorum dogmata a præſtantiſſimis Ethnicis ludibrio habita 104.
Philoſophi quare in abſona abierint 111.
Phyſica rationalis, & experimentalis primas naturales cauſas reſeravit 60. *eam cum matheſi aliqui conjunxerunt* 65.
Phyſici cauſas naturæ abditas perſcrutantur 58. *non de facili eis fides habenda, utpote qui nihil certi ſtatuant ibid.*
Pithagoras philoſophiæ nomen invenit 110.
Placita antiquorum qui ſola philoſophia officia hominum explicaverunt 34.
Polybius ait religionem eſſe hominis inventum 392.
Populi aut nationis nomine quid intelligatur 16.
Populi omnes religionem aliquam profitentur 127.
Poſtulatum 20.
Poteſtates duæ Spiritualis ac temporalis apud omnes nationes 117.
Primum Chriſti adventum cum ſecundo confundunt Judæi 292.
Principes ſibi in vita honores divinos arrogantes 334.
Principia impietati adverſantia in fœdata quoque religione inveniuntur 304.

Prin-

Digitized by Google

Principium bonum, & principium malum admittens ſententia unde effluxerit 350.
Principum auctoritas ſumma capita hominibus non perſuaſit 403.
Prodigia in Chriſti morte ab hiſtoricis memorata 288.
Prophetia quid ſit 267. *Prophetiæ de venturo Meſſia ibid.*
Protagoras Socraticam differendi rationem primus immutavit 111.
Protoplaſtorum creatio 161. *tentatio & caſus* 162. *peccatum & pœna inflicta* 163.
Providentia Dei in ordine univerſi elucet 68. *eam negat Epicurus* 75. *alii qui providentiam negant recenſentur* 368.
Providentiæ ordinem in libero arbitrio Philoſophi Ethnici faſſi ſunt 372.
Pyrrhonis ſecta in Italiam quoque errores invexit 50.

R

R*Egiones aliquæ antiquis erant penitus ignotæ* 243.
Religionis veræ definitio 304. *ejus ſucceſſio apud Chriſtifideles* 267.
De Religione quæ poſſimus quærere & quomodo 108.
Religionis myſteria non ab Hebræis, ſed traditione in Gentes pervenere 235.
Religio a Gentium Theologia corrupta fuit 310. *ejus finis* 396. *non a ſapientibus invecta reipublicæ cauſſa ibid. in homines invehi non potuit niſi prævia perſuaſione de ſummis Capitibus* 401. *ejus originem perquirit Plinius & non invenit* 408. *a Deo profecta omnium nationum traditione ſervatur* 409.
Reliquiæ & imagines Sanctorum 343.
Ritus colendi Deum antiquitus ſimplex fuit 294.
Ritus religioſi antiquorum apud Gentes ſervati 295.
Romanorum Bacchanalia 362.

Digitized by Google

S

Sabbatum a Mexicanis in creationis memoriam celebrabatur 155.
Sacerdotum avaritia 309.
Sacrificium quid ſit 181. *ſoli Deo offertur* 339. *veterum ceſſatio, novique inſtitutio* 285.
Sadducæi inter Hebræos Animæ immortalitatem negant 53. *alii eorum errores* 55.
Sanctos canonizandi conſuetudo in Eccleſia 346.
Sapientia a Deo communicatur qui eſt ipſa ſapientia 116.
Scepticiſmus quid ſit 17. *Abteiſmus ſcepticus & dogmaticus; ibid.*
Sceptrum in Jacobi vaticinio quid ſignificet 270.
Scriptura ſymbolica Egyptiorum 252.
Scripturarum ſymbola Meſſiam protendentia 280.
Seneca videtur facere animam mortalem 53.
Serpentini hæretici 177.
Silveſtres Americani ſine religione non ſunt inventi 299.
Simulacra Deorum non erant in uſu: interdum prohibita 297. *eorum origo* 323. *pro templorum poſtea ornatu erant in uſu: ibid.*
Sinedrium a Moſe inſtitutum 271.
Sinenſes doctrinam habent quam dicunt ſecretam 115. *Philoſoforum libri combuſti imperiali decreto* 103. *quo ritu malos Spiritus a ſe avertant* 137. *ritus in expiatione mortuorum* 200. *exactam temporum rationem ſervaverunt* 229. *ipſorum chronologia cum græco Codice convenit* 232. *eorum characteres ab antiquis hieroglyphicis originem duxerunt* 253.
Societatis humanæ principium & fundamentum 189.
Socrates Deum eſſe creatorem fatetur 68.
Sophiſtica Philoſophia noſtris temporibus invaluerat 113. *eſt eliminanda* 114.
Spinozæ ſyſtema 55. & 88. *quo animo, quibus moribus ipſe fuerit* 87. *ſyſtematis ſpinoziani abſurditas* 91. *geometrica methodus illius ſyſtemati aptari non poterat* 99. *principiis nititur precariis ibid. quod aſſerit non probat* 100. *a Stoicis ſuam doctrinam*

Digitized by Google

nam ſumſiſſe videtur ibid. ipſius cogitata refelluntur per ea, quæ Cicero diſſeruit contra Stoicos 101.

Spirituum tria genera antiqui diſtinguebant 129. *Eorum natura quomodo ab Ethnicis explicetur* 133. *mali Spiritus omnibus Gentibus innotuerunt* 136.

Spirituum & Heroum cultus, non ipſa religio eſt ab hominibus inventa 339.

Stephani Protomartyris translatio duobus prodigiis comitata 347.

Stemmata ferarum & ſerpentium unde originem trahant 214.

Stoici, eorum opinio de fato 35. *creationem & gubernationem Deo tribuunt* 69. *virtutem quæ in Deo eſt ob ea, quæ eſt a Deo non diſtinguunt* 322.

Subſtantiam unicam & hanc materialem recognoſcit Spinoza 88.

Summa capita, quorum omni ævo viguit perſuaſio 119.

Summorum capitum cognitio quomodo in hominibus conſervata 247.

Superſtitio vitanda 119.

Synderesis vindex juris infixi quid valeat 26.

Symbolicus cultus olim periculoſus fuit 305.

T

TEmporis adventus Meſſiæ vaticinia 270, & 275.

Thales Mileſias ante Anaxagoram Deum creatorem cognovit 68.

Theologiæ naturalis definitio a Wolffio tradita 72.

Tiberius imperio & gloria auctus conſcientia torquetur 385.

Traditio philoſophorum argumenta roborat 3. *inter ſubſidia humanæ naturæ locanda* 4. *variis commentis deformata ibid. traditio, non philoſophia de animorum immortalitate nos certiores facit* 57. *quæ ſint ejus commoda* 109. *qui eam contempſerunt in abſona abierunt ibid. ejuſdem laus* 409.

Ver-

V

VErbum procreans cognovit Ariſtoteles 69.
Verſio ſacræ ſcripturæ facta Ptolæmei ætate 242.
Verſuta hominum ars religionem non ſuaſit 404.
Victimæ ſummi Dei a victimis aliorum Deorum differebant apud Gentes 351. *quam variæ ibid.*
Virtutes morales non a natura, ſed arte aquiri juxta Ariſtotelem 25. *eorum initia ſunt a natura in ſententia multorum ibid.*
Vita hominis militia 376.
Unde concipiatur diſcrimen hominis inter ac reliquorum animantium animas 55.
Univerſalis ab Atheiſmo converſionis nullum exſtat monumentum 407.
Uxores vivas cum maritorum cadaveribus humandi mos 201.

Z

ZEno mundum tripliciter appellat 70.
Zoroaſtres Magicarum artium inventor 408.

FINIS.

ANT 1318513

Digitized by Google

Digitized by Google